
GAUDEO.
John Carter Brown.


HONI SOIT QUI MAL Y PENSE
SI DEUS PRO NOBIS QUIS CONTRA NOS
IX
T.h.11

1.10.6

Latta & Faleters fine Copies

Faletus imperfect
- wants pages 42-43-62-63

The second work (which is not mentioned in the Catalogue) wants 2 leaves

M. ANTONII
NATTAE ASTENSIS
Opera.

De Immortalitate animæ libri V.

In Domini Natale,	*Oratio*
De Quadrageſimali ieiunio,	*Oratio*
De pœnitentia,	*Oratio*
In feſtum diem Paſchatis,	*Oratio*
De fuga ſæculi, & ſtudio religionis, ad Nouitium Monachum,	*Liber*
De perfecta vita,	*Liber*
De Poetis,	*Liber*
Metra Poetica,	*Liber.*

VENETIIS, M. D. LXIIII.

SANCTISSIMO D. N. PAPAE PIO IIII.

Marcus Antonius Natta Aſtenſis ſalutem *& humilem ſui commendationem.*

EXTAT VETVS *conſuetudo tibi non incognita Pontifex Maxime* PIE, *qua hi, qui in diſciplinarum & ingenuarum artium ſtudijs uerſantur, lucubrationes ſuas ſummis dedicant Principibus, quidam exiſtimantes ſcripta ſua magis ſuſpici, ſi ad ſummos viros miſſa, & eorum iudicio probata viderentur. alij per hæc aditum ad amicitiam & familiaritatem quærentes: alij quemlibet alium fructum de huiuſmodi oblatione petentes: nec intereſſe creditum eſt, cuius eſſet materiæ, quod ſcriberetur, modò non turpis eſſet & infamis. Hinc (vt ab Hermolao Barbaro collectum eſt diligenter) Iulius Pollux ad Commodum Cæſarem de Grammatica: Vitruuius ad Auguſtum de Architectura: Oppianus ad Antonium de Piſcibus: Diophanes ad Deiotarum Regem de Agricultura ſcripſerunt. Hæc paulò altius repetita, quorſum tendant, iam perſpicuum eſt; manifeſtius tamen erit, ſi dicatur, quàm ſilentio prætereatur: paucis tamen agendum puto. Ego tam & ſi ab ineunte ætate iuris ſcientiæ me addixerim, omnemq; ferè ætatem in ea conſumpſerim, tùm reſpondendo de iure meis ciuibus, tùm magiſtratus gerendo, ta-*

men neſcio quo diuino impulſu (non enim poſſum aliter dicere) alia ingenuarum artium ſtudia pariter ſequutus ſum: maximè autem mihi cœleſtia ſacramenta, & quæcunque ad animæ pertinentia ſalutem, placuerunt. Itaque ea addiſcere curæ fuit, nec addiſcere modò, ſed etiam literis mandare: quòd illo modo plenius rem cognoſci, & tenacius hærere animo arbitrabar: & de his quidem, quos antea ediderim libros, prætereo, ne ambitioſè id facere uidear. Nunc autem, quum aliquot alios libros ijſdem de rebus iampridem confectos emittere in uulgus uellem, uiſum eſt eos ad te mittere, uel maieſtati tuæ potius conſecrare: vt ſub tui nominis auſpicijs illuſtrentur, & fœliciſſimæ tuæ fortunæ flatu prouehantur. Adijce, quòd materia quoque ipſa me huc vltro vocare videbatur. Nam hîc orationes adſunt in Natiuitatem Domini, & in eiuſdem Reſurrectionem. Item de quadrageſima: De fuga ſæculi, & ſtudio religionis: De pœnitentia: De vita perfecta libri ſinguli: Præterea de immortalitate animi quinque libri conſpiciuntur: Copioſius hoc in argumento verſatus ſum propter uarias diſſentientium Philoſophorum ſententias, quorum alij immortalitatem omnino negabant: alij ad tempus concedebant: alij ambigebant. Neceſſe igitur fuit argumenta argumentis comparantem veluti collatis ſignis dimicare, & quaſi ferro viam ſternere veritati. Luſimus etiam metro quædam piè ac religioſè. Omnia ferè ad Chriſtum ſpectant, cuius es Vicarius & Clauiger ſummus: Omnia ſub te ſunt humana, ſumma etiam Regum culmina pedibus tuis proſternuntur. Non eſt alius quiſquam inter homines, qui ampliori poteſtate fungatur: Quodcunque ſolueris ſuper terram, ſolutum erit & in cœlis. Vnum & idem facis cum Chriſto tribunal, omnia iudicans, à nemine mortalium ipſe iudicandus. Hinc non abſurdè uiſus dixiſſe Poeta quidam ad Pium ſecundum prædeceſſorem tuum tibi cognominem. Non Deus es, nec homo: innuens ſupra hominis conditionem aſſurgere, qui talem tantamq; à Chriſto collatam gereret poteſtatem. Itaque nulli magis libri

de

de religione compoſiti, quàm tibi debentur, quorum etiam cenſor eſſe potes, & debes. Nullæ quidem à me ſententiæ, ſed à ſanctis deſumpta patribus omnia, ea præſertim, quibus religionis noſtræ myſteria continentur: ordinem tamen in dicendo ſequutus ſum, qualem uolui. Conatus ſum etiam nitore uerborum illuminare ſingula, & ex arte Rhetorum facere aptiora. Nam licèt aliorum ſententijs (vt Fabius diſſerit) adijcere oratorium robur, omiſſa ſupplere, effuſa ſubſtringere, recipiuntq́; omnia (quantùm ego ſentio) proprietatem & lucem Romanæ linguæ: quem morem magni illi interpretes ſacrarum literarum antiquitus tenuerunt Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & is, qui eandem Petri cathedram, quam tu nunc obtines, inſedit, Gregorius. Num tamen, quod conatus ſum, aſſequutus fuerim, me latet: hoc unum ſcio, ſtudium non defuiſſe, & magnum eſſe, materiam dicendo exæquare. Sed, ut id ſe ſe habeat, ſpero ſub tui nominis auctoritate lucubrationes has noſtras gratioſiores multis fore: quod, vt contingat vberius, peto à te atque adeò obſecro, vt eas benigna & hilari fronte ſuſcipias, eisq́; tribuas, non quantùm earum merita poſtulant, ſed quantùm humanitas tua depoſcit, quæ quàm cordi tibi ſit, vel ipſa nominis tui ſignificatione indicatur: non enim fruſtrà Pontificale aſcendens ſolium, Pij tibi denominationem aſſumere voluiſti. In fine harum literarum, Deum Optimum Maximum comprecor, vt ſanctitatem tam fœliciter augeat, gregiq́; ſuo diutius conſeruet. Vale.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
DE IMMORTALITATE ANIMI,
LIBRI QVINQVE.

Procœmium.

EFFLAGITARVNT de me ſæpius familiares quidam & ami-
ci, ut ſepoſitis paululum his, quæ in fide traduntur, ali-
qua de immortalite animorum literis mandarem: nihil ſi-
bi hoc munere fore gratius oſtendentes. Ego autem & ſi il
lis uiris de me optimè meritis omnia cupiebam: utrum
tamen præſtarem id, quod petebatur, diu multumq́ue du-
bitaui. Nam & ſi uniuerſarum penè gentium & nationum conſenſum,
omnia religionum iura: legum ſanctiones pro immortalitate ſtare uide-
bam, ubi tamen ad Philoſophos uentum eſt, qui rationum ponderibus
cuncta ſibi tentanda & exploranda cenſebant, uarias & inter ſe contra-
rias & repugnantes extitiſſe ſententias, magniſq́ue colluctationibus rem
agitatam fuiſſe, reperiebam, unoquoquo ſuam ſententiam approbare
uariis argumentis & ſuadere cæteris conante: ita, ut non ſolùm ſinguli,
ſed uniuerſæ inter ſe ſectæ hac in re diſſentirent. Pythagorei, Platonici-
q́ue, & omnium antiquorum Theologorum manus, alijq́ue innumerabi-
les immortalitati aſſentiebantur. Leucippus, Democritus, Epicurus,
& huius uiri ſectatores, humanos animos caducos eſſe & fluxos & fragiles
ſtatuerunt: & unà cum corporis ſenſibus tanquàm & ipſi corporeum eſ-
ſent aliquid, extingui arbitrabantur: Ariſtoteles ambiguè loquutus exi-
ſtimatur. Alexander uerò inter Peripateticos illuſtris mortem animarum
auſus eſt ponere, & de Ariſtotelis ſententia hoc dicere uult uideri. Quid
de Stoicis dicam? qui ueluti quidam arbitri conſtituti animam quidem
ultra corporis uitam protendi, aliquando tamen interire exiſtimant: quod
conuenit cum illis, qui Dæmones quidem longæuos, mortales tamen o-
pinantur. Magnis certè contentionibus & prælijs utrinque certatur: cui
rei occaſionem præbuit ipſa anima, quæ medium quoddam amplecti ui-
detur: nam dum mortali iungitur corpori, mortalis exiſtimatur: dum au-
tem aſſimilatur Deo, immortalitatis oſtendit imaginem: homo enim uti-
tur ſenſibus alimentaq́ue & incrementa ſuſcipit, uitamq́ue agit in pleriſ-
que

que pecudis ritu, ſed & aliud etiam facit, quod diuinam reſpicit maieſtatem, quia & intelligit, & intelligere ſe nouit, & ueritatem rerum diligenter perſcrutatur, & inuenit: & quum terrenum ſit animal, inſtrumenta uaria fabricauit, quibus cœleſtium corporum motus comprehendere potuit, & profundo ſe mari credere, & ad extrema mundi penetrare, remedijs etiam ſe ipſum multis contra morbos, feras, periculaque alia multa armauit, quæ omnia ad diuinam propè naturam accedere cenſentur. hinc quum communia habeat aliqua cum beluis, aliqua cum Deo, cæteriſque formis cœleſtibus, ambiguum illud naſcitur, cuius anima ipſa ſit magis partis, & unde uis illa intelligendi, cognoſcendique oriatur. Præterea quanta imminet illa diſceptatio, quam multis ſententiarum fluctibus exagitata, ut ſuperſtes anima ſit corpori ſuo, quid agat nudata corpore, quid'ue patiatur, & quò recedat. Hæc omnia tractare rectè atque examinare, ita ut diſcuſſis omnibus, quæ in utranque partem afferuntur, ad ueritatis ipſius demonſtrationem perueniatur, quis non magnæ operæ, ſummæ induſtriæ, præſtantis ingenii eſſe exiſtimabit? Quæ quum ita ſint, ego tamen poſt diutinam meditationem accinxi me operi, exiſtimans hunc meum laborem utilem multis fore, qui huic immortalitati animorum, aut non omnino, aut imbecillius aſſentiuntur. Nam ſi oſtendero hanc immortalitatem & auctoritatibus ſummorum uirorum, & euidentium rationum multitudine comprobari, quis erit tam præſentium rerum illecebris captus, qui dum cogitat ſe obita hac corporis morte remanere, & pro his, quæ geſſit in corpore, uel pœnas uel præmia relaturum, non ſtudeat rectius uiuere, & indies fieri melior, ac non pœniteat ſecus, quàm decuerit uixiſſe? quod porrò tam acuit in quibuſdam inſaniam uoluptatum, quàm dum illa ſubit cogitatio, breui temporis puncto ſibi fore uiuendum, poſt hac omnia extinctum iri, nihil ſui ſupereſſe. quid tam nutrit hominum audaciam ad facinora, quàm id, quod putant, ſi impune ea tulerint, fruentur bonis ſcelere adeptis. Sin autem deprehenſi pœnas capite luant, tamen breui illo ſuppliciorum ſpatio ſe omnibus moleſtijs liberatos, nec aliquid amplius paſſuros, ſed perinde deſinere, ac ſi nunquam uiuere cœpiſſent. Hæc immortalitatis meditatio poteſt hos à uitijs retrahere, & ad uirtutem impellere. Omnium enim Poëtarum ac ueterum Philoſophorum ore, uulgi denique opinione celebratum eſt, malos apud inferos pœnas pendere maleficiorum, qua de re immortalitas animæ celebratur: nã qui ſupplicio cruciatuque uexatur, is profectò uiuit. Sed quid tam excitare homines poteſt ad laborum dolorumque patientiam, quã expectatio poſt mortem ſummæ remunerationis pro rebus rectè & ordine geſtis, & fortiter toleratis. non enim adeò infœlix eſt humana conditio, ut mali duntaxat torqueantur, boni uerò non remunerentur, imò tantò magis hoc fiet, quàm illud, quantò uehementius conuenit uirtutes amare, quàm uitia odiſſe, & fauorabilius eſt liberalitate, quàm ſupplicio uti. Hæc licet immortalem ſe fore ſperantem expectare: Sin autem

omni

omni ex parte occidimus, uix eſt, ut quiſquam laboribus & periculis, aſperisque & formidoloſis rebus obijcere ſe debeat, & excipere uenientes. Fuit etiam calcar quoddam & fax mihi ad hanc ſcriptionem ſenectus, nam & ſi omnem ætatem deceat cogitare quid nam poſt mortem contingat, multò tamen magis hoc cógruit ſenectuti. enimuerò iuuenis plerunque ſperat ſe diu uicturum, ſtultè forſitan, ſed ſperat tamen: ſenex autem ne illud quidem habet, ut ſperet: iam iam enim mortem, quæ longius abeſſe non poteſt, in foribus eſſe ſuſpicatur, ad quemlibet leuis morbi ſtrepitum perhorreſcit. Itaque uidendum eſt ei, quis poſt mortem ſit, quo'ue euadat, & quum immortalem ſe cognouerit meliore ſui parte, optandum eſt & curandum, ut poſtquam hæc deliquerit, tribuat ei uniuerſitatis huius Dominus pro eius clementia & ſingulari bonitate refrigerij ſedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem. & quanquam religionis noſtræ dogmata hac in re abundè ſufficere poterant, nec ab his ſit latum (ut dicitur) unguem diſcedendum: ubi tamen eadem naturali conſentiunt rationi, nihil eſt, quod illuſtrius ualeat expectari, omnis muſſitandi mora aufertur. Non igitur inanem ſumit operam, qui immortalitatem fortiter oſtendit, quæ tantùm utilitatis affert credita, quantùm exitij ſi abijciatur. Mouit me etiam amicorum ſtudium, ut ſcriberem, cui ſi defuiſſem, ueritus ſum, ne ſuperbiæ crimen incurrerem, ſi eorum deſideria contempſiſſem, uel deſidiæ, ſi id laboris fuga nolle uiſus fuiſſem. Nam quod ad ingenij mei mediocritatem attinet, ſatis eſt unumquenque præſtare pro copia, quod poteſt, quod abundè declarat ſeruus ille Euangelicus, cui quum à Domino creditum fuiſſet unum talentum negociandi gratia, fraudi fuit, quod uel unum illud talentum occultaſſet, ac non penès nummularios uſuris ſubieciſſet, nec excuſari meruit, quòd cæteri conſerui, qui ſuperlucrati fuerant, plura talenta ad quæſtum accepiſſent, & ita profectò res ſe habet, ut inſpiciatur magis, quod quiſque ſtudij afferat, quàm quod habeat facultatis: inopia enim meretur ueniam, negligentia pœnam. Hinc deprecor, ne me quiſpiam exiſtimet nominis aut gloriæ cauſſa edere hoc opus uoluiſſe, quaſi uoluerim ob hunc odorem cunctorum oculos ad me trahere, quod talia ſciam: nihil enim nouum aut recens dicturus ſum, nihil quod quiſquam iure mirari debeat: alienis inſtiti ueſtigijs: nec hæc inuenta mea ſunt, ſed collecta tantummodò & qualicunque dicendi facultate exornata. Itaque hæc doctrina mea non eſt mea, ſed eruditiſſimorum uirorum, qui multis ante me ſæculis floruerunt, & talia ſibi inueſtiganda duxerunt. Illuſtrationes tamen quædam & illuminationes à me forſitan proficiſcẽtur, quas ſpero non ingratas eruditis oculis futuras; reliqua ueteribus debentur. De his autem rebus pluribus ante annis cum Athanaſio plenè & copioſè diſputaui, ideo ſatis fuerit illius collocutionis meminiſſe, quod quum faciam polliceor, me non ijſdem uerbis, ijſdem tamen ſententiis uſurum & eundem ordinem ſeruaturum: hoc enim magis ſeruiat claritati. Res igitur ſic acta eſt, ut nunc narrabitur.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
DE IMMORTALITATE ANIMI,
LIBER PRIMVS.

Dialogi perſonæ,

MARCVS, ATHANASIVS.

MARCVS.

QVVM die quodam domi in Bibliotheca reſiderem cogitabundus ſuper nonnullis Philoſophicis quæſtionibus, totusque in illis eſſem. Ecce aduenit Athanaſius adoleſcens multis amicitiæ & familiaritatis uinculis mihi coniunctiſſimus, ingenuarumque artium ſtudioſiſſimus, & utriusq; linguæ peritiſſimus, quem cum lõgo interuallo uidiſſem, complexusque eſſem, tum poſt primos congreſſus & mutuam ſalutationem aſſedimus. Tum ille. Mediolanum (inquit) negociorum explicandorum gratia (ut noſti) profectus ſum, eaque res longius opinione me detinuit: nam uix toto hoc anno me explicui. Vt autem huc primò adueni, intellexi Andrietam matrem tuam ſeptimo abhinc die diſceſſiſſe, & (ut par erat) commotus ſum: ea autem de cauſa nunc ad te, ut uiſerem, quem per annum non uidiſſem, ſimul & illud cogitans, quòd tali tempore amici præſentia, dolorem quodammodo ſubleuat, quem alterius diſceſſus intulit. Credo autem te obitum matris moderatè tuliſſe. MAR. Rectè exiſtimas mi Athanaſi. Quis enim ego, qui iraſcar Deo, quòd ſecum potius eam, quàm mecum eſſe uellet? aut quid omnino ſuccenſeam, ſi amantiſſima mei mater ætate iam & laboribus feſſa ad optatam requiem peruenit. Fateor me quibuſdam naturalibus doloris ſtimulis agitatum, quum mihi carendum eſſe eius conſuetudine uiderem, cum qua plures annorum decadas conſumpſiſſem. Ipſa, quum decennis ipſe patrem amiſiſſem, uicem patris mihi & fratribus exhibuit, tum in cura rei familiaris, tum in ex-

hortatione ad optimas diſciplinas capeſſendas, ad quas quotidie incendebat ſuppeditatis magiſtris: quo autem cultu & ueneratione fuerit erga diuina, non te latet: ſumma etenim uirtutum omnium pietas eſt in Deum: hanc qui habet, cæteras omnes habet uirtutes, quicunque caret, uirtutum potius nomina & ſimilitudinem poſſidet, quàm ipſas uirtutes. Itaque quum recolo matrem piè iuſteque uitam egiſſe, dolorem abijcio, & cogor illius fœlicitate gaudere, ut pium decet filium: credo enim illam iam Beatorum ſedibus receptam, uel breui receptum iri, ubi ſi aliquid exeunti terrenæ ſordis inhæſerit, purgatorijs flammis delerit. A T H A. Hoc ualde extenuat (ut dicis) luctum eorum, qui dolent, ob diſceſſum ſuorum, dum cogitant pro uita honeſtiſſimè acta hinc diſcedentes non ad eandem, ſed ad longè meliorem uitam tranſiſſe: non enim dolendum eſt de eorum commodis, ſed potius lætandum. Quòd ſi mortem illorum nobis incommodam putamus, illud iam erat præcogitandum, ne nos cura recens laceraret, homines natos fuiſſe, & hominibus ſemel hæc eſſe relinquenda, & incertum, quo die, uel hora potius: multos enim inexpectatò mors opprimit. Hoc præclarè uidit Ambroſius (nam dum Mediolani ago, curæ fuit huius uiri libros perlegere, qui ea in ciuitate Epiſcopatum magnificentiſſimè geſſiſſet) Is in altero libro de bono mortis, ſic inquit. Gentiles Philoſophi aduerſus mortem plerunque ſe conſolantur: uel de communitate erumnæ, uel de iure naturæ, uel de animæ immortalitate. Denique, quid abſurdius, quàm quod omnibus ſcias eſſe præſcriptum, quaſi ſpeciale deplorare? hoc eſt animum ſupra conditionem extollere? Legem communem non recipere, naturæ conſortium recuſare, mente carnis inflari, & carnis ipſius menſuram neſcire. Quid abſurdius, quàm neſcire, quid ſcis, & affectare, quod non ſcis? aut quid imprudentius, quod ſcias futurum eſſe, id ferre non poſſe? M A R. Sint iſta. A T H A. Illud uerò ſapientis dicunt non expectare, ut dolori medeatur dies, ſed quod allatura erat dies ratione repræſentare, quum doloribus calamitates mutari nequeant, & calamitoſum nihil incidat, quod non ſit è conditione humanæ naturæ. Quapropter illa præclarè ſe habent, quæ tali in re à Philemone & Menandro prolata ſunt, & à Plutarcho commemorata in conſolatione ad Apollonium, & ab eruditiſſimo uiro latinis auribus donata, ea non refero, quia notiſſima ſunt tibi. M A R. Noſco Græca: Latina tamen carmina referri à te uellem, ſi memoria tenes: delectat enim me ualde, ubi aliquid bene è Græcis conuerſum uideo. A T H A. Geram tibi morem. Nam memoriæ carmina ipſa mandaui. Illa tibi ſunt ex Philemone.

Si quid remedi lacrymæ afferrent malis:
Minorque ſemper fieret lugentis dolor,
Auro parandæ lacrymæ nobis forent.
Sed nil here iſtæc proſunt: res ipſæ nihil

Mo-

Mouentur iſtis: ſiue tu ſemper fleas,
Seu nunquam, eandem pergere inſiſtent uiam,
Quid his iuuamur ergo? nihil certè: at dolor
Vt ipſa fructus arbor, ſic lacrymas habet.

Audi nunc Menandrum.

Nam ſi te alumne genitrix quum peperit tua,
Hac ſorte es unus omnium in lucem æditus:
Tibi cuncta, ut euenirent, quæ uelles bona:
Idque annuit magnorum quiſpiam Deum:
Iure optimo indignaris: ualdè enim is tibi
Fallax repertus, quòd, ſi eiſdem legibus,
Quibus nos omnes (tragicis ut uerbis loquar)
Aequè patentem cunctis aërem trahis:
Ferenda ſunt hæc leuius, & omnis rectius
Ratio habenda, denique hæc ſumma eſt, puta
Hominem eſſe te, quo nullum animantium omnium
Extolli, itemq; deprimi citius ſolet,
Ipſumq; id haud iniuria: minimarum enim
Id uirium eſt: & maximis ſemper ſtudet,
Plurimaq; ſecum commoda conterit cadens.
Tu uerò & magna non amiſiſti bona.
Et mediocria ſunt ipſa ea, quæ pateris mala,
Ergo & modeſtè alumne, quod reliquum eſt, feras.

MAR. Hæc, quæ Græci hi Poëtæ monent facere, prudentiæ eſt ſummæ. Sed tamen minus ſolantur, propterea quòd plerique, uel hoc ipſum lugendum eſſe dicunt, nos ea natos conditione, ut mala perpeti ſit neceſſe: expediebat enim nulla potius eſſe mala, quam eſſe aliqua, & eò confugere, ut æquanimiter ferantur. Tormenta quis optat? nemo, optat tamen ſapiens (ſi patiendum eſt) pati fortiter, ſed mallet illis carere. Itaque minus efficax hæc ad tollendum luctum oratio. Illa uerò conſolatio optima meminiſſe eos, qui ex hac uita exceſſerunt, alia meliori uita detineri: non eſſe extinctos, ſed uitam ducere, & eam uitam, quæ uerè eſt uitalis, hoc omnem exhaurire luctum poteſt rectè cogitatum atque tractatum. ATHA. Et ſi optima eſſet conſolatio, quam dicis, non tamen effugienda uidetur ea, quæ ſumitur ex erumnis, & laboribus, & alijs incommodis, quæ in hac uita frequentiſſima ſunt. nam ſi miſera eſt hæc uita, harum miſeriarum finis in morte reperitur, quæ finis eſt uitæ. Itaque in laude mortis ponitur, quòd nos eruit à præſentibus calamitatibus, quod etiam proſequitur Ambroſius in eodem libro de bono mortis, ubi etiam tradit hoc diuinum eſſe inſtitutum: Mortem (inquit) Deus homini non pro pœna, ſed pro remedio dedit, licèt & ipſa pœnalis ſit. Adæ nanque peccanti dictum eſt pro pœna. Maledicta terra in opere tuo, & cætera. Pro remedio autem additum eſt, donec

reuertaris in terram, de qua ſumptus es. Mors ergo pro remedio, quaſi malorum finis præſcripta eſt. Sed quid eſt, quod ais Marce ad omnem luctum exhauriendum nihil tam prodeſſe, quàm ſi meminerimus eos, qui ex hac uita exceſſerunt, non eſſe extinctos, ſed alia meliori uita detineri? Sermo hic noſter indicat animos hominũ eſſe immortales, quod an ita ſit, in dubium reuocari ualet. M A R. Imò tu quid ais Athanaſi? quæ te intemperiæ tenent, ut hæc proferas? Immortalitas ne animorum, apud te in dubium reuocatur? ecquid te mouet Chriſtus Saluator noſter? Euangelium? Fidei ſymbolum? in quo profitemur expectare uitam æternam. An tibi uita uidetur æterna, ſi extinctis corporis ſenſibus nihil ex homine remanet, nihil ſupereſt incolume, ſed omnia ſimul & ſemel intereunt? Vtrum te id facere dicam ſtoliditate, an incredulitate? neutrum uellem, ſed ſi alterutrum eligendum ſit, mallem ſtoliditate, nunc uereor ne in cauſa ſit incredulitas neſcio unde ſuſcepta. A T H A. Accuſas me uehementer Marce, ſed noli quæſo indicta cauſa me condamnare; nam uel te ipſo iudice uincam: Chriſtianus ſum Marce: ſcio quid me credere oporteat, ut ſalutem aſſequar. Itaque firmiter animorum immortalitatem teneo, quæ è Chriſtiana eſt diſciplina, & ſacris undique literis prædicata. Hæc animorum immortalitas fidei noſtræ eſt fundamentum, quod, qui eruit, cætera tollit omnia: hanc ego immortalitatem certiſſimam habeo, neque me ab hac fide cuiuſquam docti, uel indocti ratio remouebit, ſed nunc non agitur de fide mea. M A R. Quid igitur nunc trepidas? A T H A. Non trepido, nam dubius in fide infidelis eſt, & ut planius tibi oſtendam ſententiam meam, non opinione teneo immortalitatem, ſed fide: nam hoc ipſo inter ſe differunt fides, & opinio: quòd fides aſſentitur rebus incognitis firmiter: opinio autem ita amplectitur unam partem, ut titubet tamen, ne altera pars aliquando ſit potior. M A R. At aiebas modò (ſi rectè percepi) in dubium reuocari animorum immortalitatem. A T H A. Aio equidem, ſed non penes Chriſtianos, ſed penes Philoſophos, & alios pleroſque ueteres; qui luce Euangelij nondum diffuſa inter gentes & nationes uerſabantur, & cœcis opinionum tenebris plerunque inuoluebantur. M A R. Haud mentiris: nam quondam hac de re inter eos, quos memoras, magnum & bene longum fuit certamen. Veruntamen quum inculcatum tibi ſit te eſſe immortalem, idemque de cæteris hominibus ſentias, quid uis amplius? A T H A. Dicam planè ſi potero quid uelim, quoniam hactenus nondum percepiſti. Ego fixa fide animorum immortalitatem (ut dixi) complector, ſed num naturali ratione oſtendi poſſit requiro propter magnas, & diutinas contentiones, quæ aliquando fuerunt, non quod fides mea ab his rationibus pendeat, ſed ex his creſcat, augeatur, corroboretur. Sin autem nullæ erunt, uel ſint aliquæ inualidæ, quæ tantum pondus nequeant ſuſtinere: fides nihilominus inconcuſſa manebit,

bit: innititur enim diuino teſtimonio, quod omni humano ingenio maius eſt. nec peccare me arbitror, ſi fidei meæ adiumenta undique conquiro. Vnum eſſe quendam, qui cuncta hæc condiderit, qui humanis præſideat rebus, prouidentiamque gerat omnium, increatum, immenſum, omnipotentem, quem Deum uocamus, immobili dogmate profitemur. Veruntamen quum hoc eſſet, uoluerunt ſapientiſſimi uiri, ijdemque ſanctiſſimi, qui ſupra nos fuerunt, rationibus è media Philoſophia petitis hoc idem oſtendere, & è dignitate ſua hoc eſſe arbitrabantur: non quo fidem eruerent credentium, ſed ut corroborarent. Quid tam mirum, quàm corporum reſurrectio? quæ uidetur nulla humana ratione comprobari poſſe? attamen audiui doctiſſimos homines, qui in eccleſia Chriſti nos præceſſerunt, multa argumenta, multasque ſimilitudines collegiſſe, quibus iſtud & diuinæ potentiæ pronum, & ſapientiæ congruū, & clemētiæ aptum demonſtrarent. Semper maiores noſtri fidei dogmatibus rationes ex humanæ ſapientiæ fonte deductas aptarunt, ut ea firmius crederentur, ſi à rebus cognitis, & uſitatis non abhorrerent. Nunc, ut ad propoſitam reuertar quæſtionem, quæro de te utrius es ſententiæ, an eius, quæ immortalitatem animorum poſſe humanis rationibus probari contendit, uel alterius, quæ negat: quid horum duorum magis placet? quo te confers? quod ſequeris? reſponde quæſo. MAR. Vis hoc tibi dici. Ego immortalitatem animorum probari poſſe rationibus arbitror, & tam ualidis rationibus, ut conuelli nequeant, habes ſententiam meam. ATHA. Si ita ſentis, peto à te pro amicitia noſtra, proque familiaritate, ut rationibus his, quibus uidebitur, eam mihi oſtendas. Fides iam præceſſit mea, hanc rationes ſubſequantur: fac ut gaudeam: gaudebo etenim, ubi eam tali uidero inſtructam comitatu. Noli mihi quæſo hanc fœlicitatem inuidere. MAR. Ita me urges Athanaſi, ut mihi iam tibi denegare ſit religio. Itaque negocium aggrediar pro uiribus, quod ſi forſitan re ipſa deficiam, ſtudium tamen in te meum perſpicies. Solent temeritatis culpam ſubire quicunque rem ſuſcipiunt imparem ſuis humeris, quamuis laude dignam. At uide Athanaſi, qui ſim, qui malo (ſi ita contigerit) temerarius exiſtimari ineptè dicendo, quàm quicquam de beneuolentia in te mea imminutum uideri tuæ nō obſequendo cupiditati. ATHA. Laudo ualde, quòd me non ſpernis, ſic non te ſpernat Chriſtus, qui à nemine ſpernendus ipſe, nec cæteros ſperni iubet. MAR. Aggredior equidem ſtudioſè quæſtionem efflagitatam. Vereor tamen aliquando, ne ſi quod cupis effecero, nimis longum ſit, nam qui pro animorum immortalitate contendunt, quorum magna eſt copia, tam multiplicia, tamque uaria efferunt argumenta, ut ſi cuncta explicare uoluero, uix hic dies ſuffecturus ſit. ATHA. Si lon gitudinem adducis Marce tui cauſa, potes, ſi quid fuerit prætermiſſum, in alium diem differre, idq; tunc explicare: ſed ſi moleſta non fuerit dicenti, cur mihi ſit audienti? nam quantum ad hodiernum attinet diē,

mul-

multum adhuc eius ſupereſt, quod ſi prius occiderit, quàm ſermo noſter, nihil erit negocij progredi luminaribus allatis. MAR. Rationes Athanaſi uarias habeo, & multiplices (ut dixi) ad oſtendendum, quod requiris, quarum quædam ita ſunt perſpicuæ, ut cogant quodammodo fateri rem ita ſe habere: aliæ autem ſuadent tam efficaciter, ut ſaluo pu dore reſiſti non poſſit. Te tamen admoneo, ut fidei priores partes penes te eſſe patiaris, ſicut modo pollicitus es; quamuis enim rationes ipſas magni momenti eſſe duco, tamen ita ſtatuo poſteriori loco eſſe ponendas. Fides & ſcientia, & ſi in eo conueniunt, quòd utraque firmat ſententiam ſuam, nec de ea ambigit, differunt tamen, quòd fides credit inconcuſsè uerum eſſe, id de quo audit, quamuis occultum ſit, & uelatum: ſcientia autem iudicat conſtanter uerum eſſe, quod perſpicit tanquam id perſpiciat nudatum, & omnibus integumentis euolutum: quæ ſi nutat in eo, quod perſpicit, & ulterius quærit, non ſcientia fuit, ſed (ut tu dicebas) opinio. Itaque quum humanæ rationes uendicent ſibi ſcientiam, quæ tamen in pleriſque uacillat, tutius eſt omnino committere ſe fidei, quæ diuinis innixa oraculis nunquam fallit, quàm humanæ ſcientiæ, quæ quamuis ſi ſcientia eſſet, non falleret, nec fallere poſſet, tamen in ambiguo ſæpius relinquitur, ſcientiæ ne, an opinionis nomen mereatur. Vt autem ad immortalitatem ueniam, de qua agitur. Multa ſunt hac de re diuinarum literarum teſtimonia, & tam aperta, ut non egeant interpretatione. Illud quoque, quod circa Iob geſtum eſt, hanc eandem immortalitatem animorum edocet, ſed paulò occultius, ut non ab omnibus animaduertatur. ATHA. Me quoque inter eos numera, qui non animaduertunt. Itaque explana, (niſi moleſtum eſt) quomodo id ſe habeat. MAR. Quum Deus, Iob uirum rectum & iuſtum Satanæ tradidiſſet, ut eo quemadmodum uellet uteretur, modò animam eius ſeruaret: & Satanas hac poteſtate accepta liberos eius interfeciſſet, ſubſtantiamque omnem perdidiſſet, poſtremò ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad uerticem percuſſiſſet, ita, ut ſedens in ſterquilinio teſta ſaniem raderet, hæcque omnia uir inuicti animi placidè tuliſſet cum illo præclaro elogio. Dominus dedit, Dominus abſtulit. Nolens Deus hanc eius patientiam irremuneratam relinquere, duplicia ei omnia reddidit. Habebat prius (ut ſcriptum eſt) ſeptem millia ouium, tria camelorum, quingenta boum iuga, quingentas aſinas, ac familiam multam nimis, reſtituta ſunt illi quatuordecim millia ouium, & ſex millia camelorum, & mille iuga boum & mille aſinæ. Vt autem ad liberos uentum eſt, non ſic. Reſtituti ſunt ſeptem filij & tres filiæ, quot antea habuerat, quaſi illos priores in morte corporis non amiſerit, ſed præmiſerit: non redditus fuiſſet duplicatus liberorum numerus, niſi hi, quos prius ſuſceperat, computentur, qui non, ut reliqua animalia uiro perierant, ſed adhuc manebant ſuperſtites. Tenes ne? ATHA. Teneo, & hoc ſatis argutè ex hiſtoria illa collectum iudi-

iudico. M A R. Fides igitur noſtra pro uiribus immortalitatem complectatur, quemadmodum religionis noſtræ iura poſtulant; ſumus enim fidelium, non ſapientum nomen conſequuti, qui non poſſumus etiam ſapientes gentibus extra poſitis uideri, ut qui ſtultitiam crucis (quod magnum eſt myſterium) prædicamus. A T H A. Faciam quod mones Marce, cum ſponte mea, tum auctoritate tua inductus, ſed ſcis ne quid me impulit, ut rationes quoque audire cuperem. M A R. Si dixeris. A T H A. Audi. Ego ſuperioribus menſibus, dum Mediolani agerem, incidi in libellum Philoſophi ſiue Mediolanenſis, ſiue Mantuani (non enim ſatis de patria hominis memini) In eo libello acerrimè hac de re diſputatur. Sed adeò obſcurus ille, & tam ſordidis uerbis contx tus, ut uix milleſimam eius partem intelligerem. In ſumma attenti us conſiderãs, collegi, uelle humanam animam in morte corporis non ſup ereſſe, ſed pariter extingui: ſententiæque ſuæ Ariſtotelem auctorem facit. Ex eo die exarſi cupiditate, ſcire quid hoc rei eſſet, & ad te tunc potiſſimum reſpiciebam, quem exiſtimabam huic muneri idoneum fore. Sciebam nanque te inueſtigare hæc & ſimilia ſolere. Opportunè autem accidit, ut ſermo, quem ab initio habuimus, huc nos deduceret,& anſam quodammodo huic quæſtioni præberet. Ideo occaſione hac elatus, non defui huic meæ cupiditati, ut uides. Cognoui iam te contrariam ſententiam his, quæ in libello illo dicuntur, inducere. Itaque expecto nunc rationes illas è fonte naturæ deductas, de quibus modò dicebas; magnum ſanè earum munus, magnus fructus, ſi animorum docuerint immortalitatem. M A R. Vellem, ut libellum illum, de cuius obſcuritate & ſordibus conquereris, intellexiſſes. Nam ſi te dicente cognoſcerem argumenta, quibus ſcriptor ille innititur, ut animas hominum putet eſſe mortales, ualidius inſurgerem, & ueluti collatis ſignis dimicarem, & toto (ut exiſtimo) campo fugarem, quanquam non me latet, quæ pro illa parte dicuntur: ſed noſti diſputantium nonnullorum morem, qui negant ſuis argumentis eſſe reſponſum, etiam quum reſpondeatur: quid futurum putas, ubi quorundam forſitan, quæ ille ſcripſit, argumentorum nulla fuerit habita mentio? Sed antequam progrediar, num faciendum id putas, quod in omni ſermone faciendum Ariſtoteles præcepit? A T H A. Quid nam hoc? M A R. Si unum nomen in multiplici ſit ſignificatione, prius inter diſputantes conuenire cenſet oportere: qua in ſignificatione id capiatur, ne diuerſitas intelligendi, errorem inducat; animam autem multipliciter capi ſcire te arbitror. A T H A. Scio animæ nuncupatione & aërem ſignificari, & uentum, & flatum, & ſpiritum. Animam etiam pro aqua poſuit Plautus paulò inuſitatius.

Ni ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxero.

At non de hac agitur, ſed de ea, quæ uitam tribuit corporibus. M A R. Sed ne de plantarum quidem, aut beluarum anima, ſed de humana eſt ſermo, ac ne de humana quidem, unde cum plantis & beluis commu-

nem

nem habemus; hæc enim parte extincto corpore interit, ut quæ corporea ſit, ſed unde rationis eſt compos, quærimus num intereat, uel perpetuò uiuat. ATHA. Sic habet. MAR. Græcia unum tantum nacta eſt nomen, quo anima rationis compos uocatur: etenim pſichen illi uocant. Nos duo habemus uocabula, animam ſcilicet & animum: quæro quid inter iſta intereſſe cenſeas, quæ tam exiguo diſtant literarum ſono? ATHA. Si Grammaticis credimus, anima eſt, qua uiuimus, animus quo ſapimus: uel anima eſt uitæ, animus conſilij. hinc dicunt poſſe uitam ſine animo exiſtere, ut in furioſis uidemus, ſed non ſine anima. Hæc illi ponunt in ſuis theſauris, & cenſent eos, qui caſtigatius loquuntur, id ſequi oportere. Veruntamen ubi ad magnos uenio ſcriptores, inuenio eos his uocabulis promiſcuè uti: nam id etiam, quod rationis eſt compos, animam uocant. Auguſtinus in libro de Spiritu & anima, ſeu quiſquis fuit, qui librum illum condidit, cenſet pro uarietate uirium & actionum diuerſa nactam eſſe uocabula. Dum ergo tribuit uitam corpori, anima eſt: dum uult, animus: dum ſcit, mens: dum recolit, memoria: dum iudicat, ratio: dum ſpirat uel contemplatur, ſpiritus: dum ſentit, ſenſus: nam inde ſenſus anima dicitur pro ijs, quæ ſentit, unde & ſententia nomen accepit. MAR. Quid ergo nunc faciendum cenſes? ATHA. Potes uti promiſcuè his uocabulis: nihil intererit hoc in ſermone animum ne, an animam dicas: re enim intellecta in uerborum uſu faciles eſſe debemus. MAR. Sed num intelligis, quæ animi uires? quanta potentia? niſi fortaſſe parua hæc exiſtimas, intelligere, meminiſſe, uelle: quæ tria animo tributa ſunt, & eius tam propria munera, ut quum aliquid illorum trium ſignificare uolumus, animi nomine utamur. Et ut ad primum ueniatur, quòd intelligentiam animus uocabulo ſuo comprehendat, hinc diſci poteſt, quòd quum auditores rogamus, ut dicendis intelligentiam accommodent, petimus, ut animaduertant, uel animum adhibeant. Accipi etiam animum pro memoria, quæ cuſtos & theſaurus rerum perceptarum eſſe, dicitur, uel illud Virgilianum indicat.

Omnia fert ætas, animum quoque,

id eſt memoriam Seruio interprete. Nam poſtmodum ſequitur.

Nunc oblita mihi tot carmina,

& meritò id quidem. Nam primum uulnus memoriæ ſenectus infligit. Sed animi quoque nomine memoriam ſignificari uulgaris quoque ſermo oſtendit. Nam, quum petimus ab amico, ut cuiuſpiam rei ſit memor, dicimus, fac, ut hoc in animo habeas. Reſtat uoluntas, quam etiam animum uocari dubitat nemo. Vnde illud,

Sin alios fines, aliamque capeſcere gentem
Eſt animus, poſsuntque ſolo decedere noſtro.

Nonne Poëta hîc animum pro uoluntate poſuit? Sic comœdiæ loquuntur. Noſti Terentiana illa. Mala mens, malus animus. Item. Animus ergo te idem, ac fuit. Et alibi. Timet omnia, patris iram, ac animum

amicæ,

amicæ, ut ſit ſuæ. De hoc igitur animo incumbit diſputatio, utrum corrupto corpore ipſe quoque corrumpatur, uel num abeat incolumis, cum ſuis tantis diuitijs & facultatibus. Nam hactenus nemo dixit euadere nudum tanquam naufragum, ſed aut penitus interire putant, aut incolumen his ſuis retentis manere. ATHA. Vera loqueris. MAR. De immortalitate igitur animi loquendum eſt nobis, unde propriè eſt animus, ideſt, unde uult, intelligit, reminiſcitur, non unde uitam tribuit corpori: nam hæc eius uis & poteſtas interit ex corporis defectu. ATHA. Hæc in confeſſo nobis ſunt. MAR. At hanc animi immortalitatem à multis agitatam olim fuiſſe perſpicuum, alijs eam aſtruentibus: alijs negantibus. Nec mirùm uideri debet rem ſummis contentionibus inter eruditos fuiſſe tractatam. Cognitio nanque finis unumquenque maximè ſolicitat, nam propter eum cætera mouentur. Quid hac in re putas, quæ propriè ad nos pertinet? Etenim ſi cum extinctione ſenſuum corporalium animus unà extinguitur, finis apparet naturæ noſtræ. Sin autem ſupereſt, finis huius tantùm uitæ oſtenditur. Ego uerò quum exiſtimem, poſtquam homini mors aduenerit, ſupereſſe aliquid, idque, quod in illo fuit maximum, quæſo, ut patiaris me paulò fuſius & uberius de hoc ipſo diſputantem, aut ne petiſſes, ut id explicarem: Ego enim me tibi non offerebam. Agitur enim (nimirum) res maxima, ſpes ſcilicet immortalitatis noſtræ, quam tenentes iucundius uiuemus; cogitatio nanque ea incumbet, nuſquam occidere, quod in nobis eſt optimum, ſed meliorem in ſtatum reponi, nos nunc corporibus immiſtos famulari non morti, ſed perpetuæ uitæ, quæ poſt uarios caſus, laboresque plurimos ſuperatos læta aderit alio in ſæculo, & beatos reddet. Accedat, quod, ut nuperrimè dictum eſt, nihil æquè ad mœrorem, quem ex propinquorum & amicorum morte ſuſcepimus, propulſandum pertinet, quàm ſi intellexerimus illos uiuere, quos ueluti mortuos deploramus. Sed & dolorum præterea mortisque contemptus paratur, quod fortitudinis maxime eſt proprium, dum hac amiſſa meliorem ſubſequi uitam creditur. hinc itur audacius in prœlia, & nullum diſcrimen pro patria, pro ciuibus, pro legibus, pro fide Chriſti metuitur, imò nec ſupplicium ullum recuſatur. Quòd (ut cæteros omittam) Martyres noſtri locupletiſſimè oſtenderunt. Nunquam enim illi eculeos, uncos, ſartagines, ardentes laminas, ferreos ungues, beſtias, cruces, & alios duriſſimos cruciatus ſubire uoluiſſent, ſi præſenti uita extincta, nullam aliam ſupereſſe credidiſſent. Rectiſſimè dictum eſt, principium eſſe ad iuſtè recteque uiuendum animi immortalitatem: contrà uerò occaſionem ſuggerere prauitati quicumque humanos animos unà cum corporibus ruere, prædicarent. Hoc uidentes Sapientes uiri, qui Reſpub. legibus inſtruxerunt, hanc animi immortalitatem ciuibus ſuis propoſuerunt, ad quam natura omnes ferè rapimur: non enim ueram ſolũmodo, ſed utilem etiam ciuitatibus hanc opinionem arbitrabantur. Aggrediar ergo id quærere. Ego

nanque ualde approbo, quòd retento ſemper religionis noſtræ decreto anima uelit noſcere (quantum fieri poteſt) ſe ipſam, quia id poſtulat ratio & utilitatis & ordinis. Ordinis quidem, quia, quod nos ſumus, primum eſt nobis. Turpiter quæruntur aliena, ubi propria ignorantur. Vtilitatis uerò, quia intelligentes immortalitatem noſtram, eamq́ue penè oculis captantes, rectè uiuere ſtudebimus. Huc autem reſpicere debet ſcientia noſtra: multæ ſciendi cauſæ (inquit diuus Bernardus) ſunt enim qui ſcire uolunt eo fine tantùm, ut ſciant, & turpis curioſitas eſt. Alij ſcire uolunt ut ſciantur ipſi, & turpis uanitas eſt. Alij, ut ſcientiam ſuam habeant uenalem ad pecuniam, uel honores reſpicientes: & turpis quæſtus eſt. Sed & ſunt quidam ab his diuerſi, qui ſcire expetunt, ut alios doceant, & charitas eſt, uel, ut habeant, quo dirigere uitam ſuam habeāt: & prudentia eſt. Hanc ultimam cauſſam teneamus, fixamq́ue cordi habeamus. Quicunque enim immortalem ſe intelliget, & poteſt illud Poëticum effari.

Non omnis moriar, multaque pars mei Effugiet Libitinam,

Nonne mouebitur, ut magis futura curet, quàm præſentia? rationem potius ducat eorum, quæ nunquam, quàm quæ aliquando intereunt? Propone tibi nunc alia ex parte eos, quos ſpes deſtituit futurorum: an non illud dicunt? Breuis hæc uita, puncti inſtar, uel ſi aliquid puncto poteſt eſſe breuius, umbræ eſt tranſitus, & ueluti flos heſternus marceſcit. Rapiamus ergo, dum licet, indulgeamus nobis, expleamus cupiditates noſtras quacunque poſſumus, donec hac luce fruimur: nam poſtea non aliud nec maius nec deterius ſequetur, nec præſentia manebunt. Hæc incredulorum eſt oratio, qua impellunt ſe ipſos ad omnia, etiam cum iniuria ſociorum: non enim tantùm uerbis, ſed (quod eſt grauius) factis etiam ipſis loquuntur. Et hæc quidem habeo de immortalitate dicere, quantum hæc boni afferet credita & humanis indita mentibus: rurſus quantum afferre ualeat mali, ſi non aſſeueratur. Veruntamen an id uerè ita ſe habeat inueſtigādum eſt diligenter: nam ueritas homini ſanæ mentis chariſſima eſt omniū, & aduerſus inimicos eius omni ſtudio, conatuq́; defendenda: amicitiæ etiam omni proponenda: præſertim, quum de ea re agitur, quæ uitam totam humanam dirigit. Sciri autem id poſse, quod quæritur rationibus inductis, uel tu ipſe exiſtimas, qui hanc diſputationem efflagitaſti: non enim hoc eſt ex illo rerum genere, quorum impoſſibilis ſit cognitio, & quæ penitus humanæ mentis aciem effugiant: nam ſi id ita ſe ſe haberet, fruſtra eſſet omnis inquiſitio, & ſtultè in eo opera poneretur: fatendum eſt tamen, quòd rationes, quibus animi immortalitas demonſtratur, ſapientum magis uirorum, quàm rudium, & indoctorum pectoribus elucent. Hi autem nihil altius ſpeculanter, & ob aſſuetudinem corporum uix quicquam corpore uacans queunt cogitare: illi autem longè acie mentis prouecti res à materia facilè diuellunt, & intelligentes aliquid eſſe incorporeum, haud difficulter qualis animus poſito cor-

to corpore eſſe poſſit, meditando conſequi ualent: hortandi autem eſſent hi, qui minus ingenio ualent, & non ſatis magnarum artium inſtituti ſunt diſciplinis, ut fidem adhiberent illis, qui & inueſtigando & experiendo multùm in talibus pollent, & oculo acutiore (ut ſic loquar) uident. Nolo hac in re multus uideri. Etenim immortalitatem cognoſci poſſe, uel illud apertè indicat, quòd cognoſcitur, ſicut poſterius oſtendetur. quòd autem omnes non æquè demonſtrationum ſunt capaces, hoc facit differentia, quæ intercedit magna inter peritos & imperitos: nam hi ne excogitant quidem, quæ apud ſapientes manifeſtiſſima ſunt & receptiſſima. multum poteſt in cognoſcendis rebus exercitatio, multum uehemens, aſſiduaque meditatio, nam ubi intenderis ingenium ualet. Et de his quidem ſatis. Sed ne longiori utar ſermone, ad rem ipſam propius accedam. contrarias uideo ſententias: etenim cum in homine plus aliquid ineſſe crederetur, quàm quod oculis capiatur, animus ſcilicet motus habens quoſdam, qui ad inueniendum celeres ſint, ad excogitandum acuti, ad explicandum uberes, ad memoriam firmi, ad uoluntatem liberi, quæſitum fuit ab antiquis ſæpius, num is tali præditus facultate, unà cum corporibus occideret, an uerò immortalium conditione in æternum uigeret. hi quidem aiunt, moritur, illi, non moritur. hinc acris inſurgit pugna & contentio. Et plurimi quidem ingeniorum uela, ut æternitatem probarent, tenderunt, rationibusque inductis, & ſibi & cæteris illud ſuadere nitebantur. Noſtri uerò, qui diuinis magis nituntur oraculis, quàm rationibus, tam firmiter credunt durare in æternum animas, quàm corpora quotidie uident interire. Quamobrem ita parati ad iſtam diſputationem accedere debemus, non ut ullæ rationes fidem nobis procreent, ſed ut fides noſtra rationes ipſas adiuuet atque confirmet. Tu uerò aſſeris, quod nuper quidam magnus Philoſophus libello edito multa contrariam in partem ſatagit aſtruere, uni præcipuè innixus Ariſtoteli, quem ſententiæ ſuæ auctorem facit ac magiſtrum. Facilè patior delirare aliquos, tergiuerſari, & tanquam de tranſuerſo incurrere, quo plus cæteri, qui contradicunt egregiæ probatæque ſcientiæ & uitæ uiri auctoritatis nanciſcantur. Ariſtoteles exiſtimatus eſt hac de re ſuam occultaſſe ſententiam, quod ex eo facilè deprehenditur, quòd alij affirmant, eum tenuiſſe immortalitatem animarum, alij negant. Hæc autem contentio ſatis indicat rem eſſe in ambiguo, quum utraque pars uerbis Ariſtotelis innitatur. Sed quicquid ille ſenſerit, nempè illud liquido conſtat nobiliſſimas Philoſophorum diſciplinas, quæ maxima in gloria uiguerunt, pro immortalitate ſtetiſſe. Intelligis iam (ut opinor) me de Pythagoricis & Platonicis dicere, ſed ante hos omnes antiquiſſimus Mercurius Aegyptius, qui ob admirabilem ſapientiæ magnitudinem ter maximi cognomen accepit, eiuſdem fuit ſententiæ. Deus (inquit) ex duabus naturis immortali ſcilicet & mortali unam compegerat, atque ita hominem in aliquo quidem immortalem, in aliquo mortalem fabricabat,

ut utriuſque particeps omnia uidens', omnium fieret indagator, ut utrique ſatisfaciens origini,poſſet mirari atque adorare cœleſtia, & incolere atque gubernare terrena. His uerbis uetuſtiſſimus ille ſapiens damnaſſe illos uidetur, qui hominem totum morte ipſa deleri crediderunt. Thales quoque Mileſius, ut Laërtius refert, idem ſenſit. Adde eodem præter Pythagoram, & Platonem è ueteribus Zoroaſtrem, Orpheum, Socratem, Xenocratem, Xenophanem, Crantorem, Chryſippum. Homerum quoque uetuſtiſſimum poëtam, qui non hoc carminibus ſuis tam continenter incluſiſſet, niſi id uulgò creditum,& receptum fuiſſet. Non prætereo Phocylidem uetuſtum & ipſum ſcriptorem, qui mortalium uitam inſtituit præceptis, idq́ue poëticè ſingulis ferè uerſibus, quod temporibus illis ſummæ ſapientiæ exiſtimabatur. Ille hanc ipſam animorum immortalitatem aſtruxit, dum inquit ad hanc ſententiam.

Corpora morte iacent, animos ſed uiuere credas.

E Platonicis, quanquam id eſſet totius ſectæ decretum, tamen nominatim appellare poſſumus hos, quorum maxima ingenia extiterunt, multaq́; ſcriptis tradiderunt, Iamblichum, Plotinum,Porphyrium,Proclum, Ammonium, Alcinoum, Plutarchum, ſed ex his etiam, qui Ariſtotelem ſequuntur, præſtò eſt Theophraſtus, Themiſtius, Philopponus, Simplicius (hi Græci omnes) & ex Arabum gente prodit Auicennas,Algazel,& ſuperans ferè cunctos ingenio & diligentia Auerroes.Et ut ad Latinos ueniam. Cicero immortalitatem animorum aſtruxit in Tuſculanis quæſtionibus latiſſimo illo ſuo ore, quo latinæ eloquentiæ fons exundantiſſimus habetur: Macrobius quoque non ſpernendus auctor, & Seneca pollens acumine ingenij in conſolatione ad Martiam, & in opuſculo,quod de diuina prouidentia fecit, nec non Lactantius Firmianus, Conſtantij Cæſaris præceptor, qui riuulus Ciceronianæ eloquentiæ putatur: eadem cōplexi ſunt, Boëtius quoque in Philoſophica conſolatione, & alibi ſæpius eiuſdem ſententiæ aſſertor fuit. Reliquam Philoſophorum,& Theologorum multitudinem enumerare quis poſſit? ſatis eſt hanc ſententiam, auctoritatibus ſummorum uirorum eſſe munitam. Iſti etiam, qui humaniores ſequuti ſunt literas, nonne idem tenuerunt? quos equidem prætereo ne ex omni grege aucupari auxilia uidear. Non poſſum tamen præterire clariſſimum hiſtoriarum ſcriptorem Criſpum Salluſtium, qui in prooemio belli Iugurthini animum incorruptum, æternum, rectorem humani generis uocat, cuncta habentem, neque à quoquam habitum, quum cætera corporis & fortunæ bona fluxa, & fragilia eſſe dicat: illa etiam prædicat magnificè. ATHA. Quæ? MAR. Quemadmodum (inquit) genus humanum compoſitum ex corpore & anima eſt, ita res cunctæ ſtudiaq́; omnia, alia corporis, alia animi naturam ſequuntur. Igitur præclara facies, magnæ diuitiæ, ad hæc uis corporis, & alia huiuſmodi omnia breui dilabuntur: At ingenii egregia facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt. Et quoniam Plato furorem diuinitus immiſſum omni humanæ

præfert,

præfert ſapientiæ, non omitto Pythiam Delphicam, Sibyllas, & alios innumeros uates Græcos, & Barbaros immortalitatem animæ prædicaſſe. Sibyllæ etiam ultimum Dei iudicium in omne humanum genus exercẽdum prædixerunt. ATHA. Magnas undique collegiſſe te uideo copias pro immortalitate. MAR. Facio id equidem ſtudiosè: nam plurimùm ad ſuadendum pollet illuſtrium auctorum multitudo, quia uerisimile ſit id eſſe uerius, in quo plurium oculi conſpirant. Itaque quod frequentiori eruditorum calculo receptum eſt, id ferè omnes ſequimur: hoc in iure ciuili obtinet, hoc in naturalium rerum inquiſitione, in re medica, aſtrologica, cæteris denique ingenuis artibus. Quid in doctrina Chriſtiana? nonne quod communi patrum decreto ſtatutum fuit, id tenendum eſt, priuata autem dogmata, qui ſequuntur, hos ut hæreticos horremus? neque cum his menſam, aut ſermonem communem habemus, aut alia in re communicamus, quod olim penes gentes aquæ & ignis interdicto fiebat. Plurium ergo iudicium firmius, quanto magis uniuerſorum? nam uniuerſos homines exceptis paucis immortalitatem tenuiſſe confirmo. Vnde autem emerſerit hic error quorundam putantium humanam animam in morte corporis non euadere incolumen contra omnium gentium opinionem, contra publicarum legum auctoritatem, contra maiorum cæremonias, omniumq; religionum iura, dicam breui ſi potero. Hoc malum in Græcia ortum eſt ab his, qui primi philoſophari cœperunt, & ſingula rationum momentis tentare uoluerunt: hi quum nihil altius ſaperent, pronum iter ſenſuum ſequuti ſunt, & nihil in mundo incorporeum eſſe dixerunt: hinc quum de animæ ſubſtantia diſputatio incumberet, corpus eſſe uel aliquam eius partem eſſe poſuerunt: alii aërem, alii feruidum ſpiritum, alij cor, alij cerebrum, alij ſanguinem putauerunt. Quid dicam de his, qui lucem, qui ignem, qui ſcintillam ſtellarum, qui ſpiritum tenuem per totum corpus diffuſum aſtruxerunt? nec defuerunt, qui temperationem eſſe quandam ex quatuor principiis conflatam affirmarent, nimirùm deinceps ſi hanc ſententiam ſequentes mori animam exiſtimauerunt, hac Anaxagoras ſtetit, hac Democritus, hac Leucippus, alij quidam, Anaximenes, Heraclitus, Empedocles, Critias, Parmenides, demum Epicurus, Dicæarchus, & qui horum diſcipli nam ſequuti fuerunt. Addi his poteſt è iunioribus Gregorius Nicenus. Arabes quoque (ne id tantummodo Græcorum uitium putes) Alpharabius Auampaces, Albubacher ſententia ſua perimunt animos, & ueluti capite mulctant. Eos etiam, qui dixerunt, optimum eſſe homini non naſci, proximum quàm citiſſimè aboleri, mortem animarum crediddiſſe ſermo ipſe indicat: nam ita dixerunt, quaſi poſt hanc uitam nihil ſit, ſed cum ea omnia extinguantur, & nihil eſſe, uel in nihilum redigi, quietem arbitrabantur, ſi tamen ulla poteſt eſſe quies nihil ſentientis. Demonax Cyprius arduus & ipſe Philoſophus, ſed minimè arrogans, cuius uitam Lucianus in literas miſit, interrogatus, quid de animo ſentiret, num eſ-

ſet

ſet immortalis? Reſpondit, immortalis, ſed ut omnia. Sic iſte quoque non abire, ſed obire animum ſenſit, nihil animis plus auſus eſt tribuere, quàm cæteris, quorum interitum uidebat. Stoici, quod genus erat Philoſophorum acutum & uehemens, & in Dialecticis ualde exercitum, animos poſt corporis mortem diù durare dicebant, aliquando tamen extingui, non oſtendentes tamen quot durent ſæcula: quod de quibuſdam animalibus traditum eſt, quæ diutiſſimè conſtat uiuere. Hi meritò improbandi uidentur, nam quum ſuſcipiant, quod difficillimum eſt in præſenti controuerſia, animos durare poſt corpora, illud, quod facilius concedi potuit & debuit, durare eos in æternum, negant, quum tamen extinctionis ſubitæ nullam afferant cauſam. At nec ſanæ mentis hominibus ſuaderi unquam potuit, animam, unde rationis eſt compos, in aliquo eſſe corporum genere, ut quæ ſit omni corpore præſtantior. Ipſa præterea quomodo corpus? quum non habeat ſpatio diffuſam molem, quod neceſſariò reliqua corpora recipiunt; non habeat etiam illas primarias qualitates, quæ cunctis inſunt corporibus: non enim, quod in nobis ſapit & intelligit, longum eſt aut latum, non calidum aut frigidum, & cætera huiuſmodi. Sed & illud oſtendit animam non eſſe corpus, quòd pleraque intelligit ſine corpore, & quod adueniens corpori ipſum non auget, nec recedens imminuit. ATHA. Vellem de Ariſtotele tibi aliquid liberet dicere, quid ſcilicet eum de animi immortalitate ſenſiſſe ipſe credas: hunc enim humanæ ſapientiæ regulam, hunc admirabilium rerum ſingularem inuentorem, hunc Philoſophiam ab alijs inſtitutam perfeciſſe exclamant. Itaque non poſſumus hunc tam magnum Philoſophum præterire, ut eius ſententia non exquiratur. MAR. Magnus ſine controuerſia fuit hic Philoſophus, ſed obſcurus ſermone, adeo, ut magna opus ſit cura, ut intelligatur: hac autem in re ita perplexè loquutus eſt, ut utraque pars Ariſtotelem ſententiæ ſuæ patronum faciat. Ego (ut ab initio dixi) ambiguum fuiſſe, & ſuam de induſtria occultaſſe ſententiam arbitror. Nam ſi apertus eſſe uoluiſſet, duobus aut tribus uerbis id facere potuiſſet: diceret ſimpliciter humanam animam eſſe mortalem, ſi ita uidebatur, uel immortalem, ſi contra exiſtimabat, nunc ſuſpenſo gradu incedit, & quædam uerba reliquit, ut utrunque ſenſiſſe uideatur. Faciam autem ſic. Nam exponam loca, quibus utraque pars pro ſua innititur ſententia, deinde liberum tibi relinquam, ut iudices quid ille ſenſerit, & in quam partem declinarit. An ſi id fecero, tibi ſatisfaciam? ATHA. Nihil te commodius facere poſſe arbitror, quàm ſi hoc feceris, & liberum unicuique relinquas, re in medium poſita, opinari de Ariſtotele quid ſibi uoluerit. MAR. Ergo adducemus loca non tamen omnia, ſed quæ magis urgent. In primis, quòd putauerit animam non diutius uiuere quàm corpus, illud indicat, quòd in ethicis auſus eſt dicere, ultimum terribilium eſſe mortem, nec poſt eã uideri bonum aliquod uel malum ſupereſſe mortalibus. hoc ille non poſuiſſet, ſi immortalitatem

tem eſſe placuiſſet: mors enim potius eſſet in uotis, ſi duraret poſt eam animus, & hac ianua ad potiorem tranſmitteretur uitam, quod Cleombrotus quidam feciſſe narratur, quem aiunt lecto de immortalitate Platonis libro ſe de muro præcipitem dediſſe. Rurſus in eiſdem Ethicis ait idem fortem uirum exponentem ſe morti ſe ipſum orbare maximis bonis, quibus eſt dignus. Hic ſi immortalem animam credidiſſet, nonne illa potius dixiſſet,forti uiro maxima propoſita eſſe poſt mortem præmia, ut qui pro æquitate pugnans occũbere uoluiſſet? hanc enim habent omnes fortitudinis acuendæ cauſſam, quòd uir fortis non tam amittere uitam, quàm commutare uideatur, deteriorem ſcilicet meliori: nam quam ille proponit gloriam, & ea ſperat hominum pectora incendi ad fortitudinem, frigidum eſt ſolatium: quid enim pertinet ad quemuis poſt mortem gloria, quam, ſi totus moritur, non ſentiet? Sed & alij huius Philoſophi ſermones oſtendunt ipſum immortalitatem abieciſſe, quale illud eſt, quod aſſerit uoluntatem eſſe impoſſibilium, & inter exempla immortalitatem recenſet. Idem in eiſdem libris moralibus autumat mortuum non eſſe fœlicem,quia fœlicitas(inquit)penes nos eſt operatio,qua caret mortuus. Cur præterea, quum de hac ipſa fœlicitate uerba facit, quòd eſt ueluti ſignum ad ſagittam, ubi omnes collimant: fœlicitatem tantùm proponit hominis uiuentis, nullo habito ſermone eius,quæ poſt mortem continget? An oblitum rei tantæ dicemus? uel ueriſimilius ſit nullam putaſſe? Sed in Oeconomicis ipſe quoq; ait, homines ſola propugnatione aſſequi ſempiternitatem. Et hic quoque oblitus uidetur (ſi ita dicendum eſt) immortalitatis.Et hæc quidem & ſimilia afferunt loca,qui exiſtimant Ariſtotelem contra immortalitatem ſtetiſſe. E`contrario autem Auerroes, Simplicius, Themiſtius,& bona pars Peripateticorum aſſerit Ariſtotelem acceſiſſe animarum immortalitati. Multiplices afferunt locos, in quibus id uoluiſſe putatur, quos nos conſultò omiſimus, ne nimis protrahatur ſermo.Sed fortiſſimè id ſentire creditur in ſecundo de generatione animalium, capite tertio, ubi propoſita quæſtione, quæ ſit forma hominis, quo generante, quo in tempore, quomodo inſit homini genito, reſpondet, intellectum extrinſecus accedere, ut qui per ſe ipſum ſubſiſtat, nec actionem habeat à corpore pendentem, dicitque eum nullo corporis inſtrumento fabricari, remque diuinam uocat. Præterea in libro primo de partibus animalium, capite primo, ait animam rationalem eſſe abſtractam à materia ſimpliciter, ideo à Phyſico non eſſe conſiderandam. Amplius tertio de anima de utroque loquens intellectu agente ac poſſibili, affirmat intellectum uerè eſſe ſeparatum, à corpore ſcilicet, eaque de cauſſa eſſe immortalem. Idem ſeptimo ethicorum,qua ſi in extremo libri, dum inquirit, cur nulla res eadem nos ſemper delectat, quia (inquit) non eſt ſimplex noſtra natura, ſed ineſt aliquid aliud, quo corruptibiles ſumus. His uerbis oſtendere uidetur ineſſe nobis alterum, quod penitus corruptionis ſit expers. Age,uideamus & illud eiuſdem

dem in ſecundo de anima, ubi aſſerit intellectum, qui in contemplatione uerſatur ſeparari à ſenſu, ſicut perpetuum à corruptibili. Adde etiam, quòd in primo ethicorum proſpera & aduerſa poſterorum & amicorum cenſet ad defunctos quadam ex parte pertinere, ut ex is uel fœlices ſint uel infœlices. Sed in policitis Heroibus aſſignat poſt mortem inſulas fortunatas, ubi Beati exigunt æuum, quin etiam cenſet eis ſacrificandum: Heroes autem uocari animas uirorum fortiũ nemo negat. Ariſtotelẽ etiam compoſuiſſe librum quendam, cui titulus eſt Eudemus, & Laërtius teſtatur in Ariſtotelis uita, & Themiſtius in libris de anima, & Plutarchus in conſolatione ad Apollonium: illo in opere apertiſſimè aſtruit animarum immortalitatem, ut tergiuerſationi non ſit locus. Expoſitis iam, quæ utrinque de Ariſtotele dicuntur, & perſpectis eius ſententijs, potes ne mihi dicere, cuius fuerit partis? quo ſe inclinarit? ATHA. Difficulter id quidem poſſem: magnoque opus foret ad cogitandum ſpacio. MAR. Ego quid mihi ſemper uiſum fuerit expoſui, cuius quidem ſententiæ habeo ſocios. Sunt enim & alij non ineruditi uiri, inter quos Ioannem Scotum Theologum primarium numero, qui proſpicientes Ariſtotelem hac in quæſtione uariè ſcripſiſſe, & modo huc, modo illuc acceſſiſſe, ambiguum fuiſſe exiſtiment, & leuiter utranque opinionem attigiſſe, nec in earum altera immoratum, ut ſolet, quum aſſertionem ſuam probare, & aliorum improbare conatur, cuius etiam rei ſuſpitionem commouet Plutarchus, qui in libro, in quo colligit Philoſophorum placita, dum ſententias ponit eorum, qui tenuerunt animæ mortem, & aliorum, qui tenuerunt perpetuam uitam, Ariſtotelem prætermittit, quum tamen multis alijs in rebus, quid de anima Ariſtoteles ſenſerit expoſuiſſet. Dubius igitur (ut mihi uidetur) hac in re fuit, nec dici poteſt, quòd dubitans rei ſcientiam haberet, illud tantùm ſciebat ſe dubitare, & unde ad dubitandum impelleretur. Dubium autem Ariſtotelem fuiſſe non tantùm ex uarietate ſcriptorum colligere licet, ſed ex eo quoque, quòd libro primo de anima intellectum aſſerit, nihil forſan perpeti poſſe: illud forſan non eſt fidentis hominis uerbum, ſed titubantis. Rurſus duodecimo methaphiſices quæſtionem mouet, nec diſſoluit, ſed poſterius dicit determinandam, quaſi antea in phyſicis non determinarit. Hæc faciunt, ut unà cum quibuſdam alijs Ariſtotelem ambiguum fuiſſe opiner. ATHA. Quid ſi tibi uim adhibere poſſim, & cogam, ut alterutrum pronunties, quid dices? MAR. Dicam te Tyrannum eſſe, ſi id feceris. ATHA. Non id te rogo, ſed ut dicas de Ariſtotele, in quam magis partem inclinarit: potes enim id dicere utriſque locis perſpectis. MAR. Non times Athanaſi. ATHA. Quid. MAR. Ne te parum æquum exiſtimem, quòd mutes multùm de conditionibus. Nam ea lege dicere cœperam de Ariſtotele, ut utriſque locis propoſitis liberum auditori iudicium relinquerem, quid ſibi uir ille uoluerit. ATHA. Sic eſt. Nihilominus potes dicere, quod te flagito. MAR. Ego (ſi dicendum eſt) Ariſtotelem magis

gis ad immortalitatem flexiſse exiſtimo. Nam loci, qui pro immortalitate faciunt, mihi ualidiores & firmiores uidentur: pluribus autem contrarijs locis hominis compoſiti ſtatum non ſimplicis, ſeu diſiuncti, qui in intellectu ſolo conſiſtit Ariſtoteles ſpectaſse uidetur. Exiſtimant quidam Ariſtotelem animarum mortem apertè non poſuiſse, ueritum ne accedente accuſatore Iudicum ſententijs ſubijceretur, & pœnas daret, quod mihi tamen ueriſimile non uidetur. Nam qui illum anteceſſerant Democritici, & qui poſtea ſequuti ſunt Epicurei, idem ſentientes, nihil unquam eo nomine à Iudicibus paſſi ſunt. Accuſatus poſtmodum impietatis fuit ab Eurymedonte Hierophanta communi illa Philoſophorum inuidia, quòd de Dijs non rectè ſentiret; quod ſanè iudicium, cogitans, quid ſimili de cauſa Socrati contigiſſet, ſubterfugit, & in finitimam Chalcidem clam euaſit, ubi poſt triennio extinctus eſt. Editos libros ſuos & non editos dicebat, ita, ut ne ipſi quidem ſua obſcuritas ignota eſſet, ſed eam potius de induſtria affectaſſe uidetur. ATHA. Omittamus iam quæſo hunc Philoſophum, de quo multa dicta ſunt, uoluit ille non apertus eſſe hac in controuerſia, ſed latêre, ideò latebras illi ſuas relinquamus, & ad reliqua progrediamur. MAR. Rectè mones: non enim unius opinioni, quanuis præcellentis tantum deferendum eſt, ut lex naturæ habeatur, uideamus quo nos ratio ducat, & id, quod ipſa ſuaſerit, quandoquidem philoſophari cœpimus, putetur eſſe firmiſſimum. ATHA. Sic agendo cenſeo.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
DE IMMORTALITATE ANIMI,
LIBER SECVNDVS.

MARCVS.

PRINCIPIO illud officere puto, ne credatur immortalitas animi, quia difficile eſt admodum homini ſenſibus prædito, qui ipſis ſenſibus ducibus aſſueuit rerum notitiam capere, & corpore aſſiduè corpora noſcere, & intra corpora quotidiana conſuetudine uerſari; cogitare deinceps & meditari qualis ſit animus, ubi de corpore exierit: quomodo (inquiunt) ſine his corporis partibus, quas ſemel inſedimus, explere poterimus officium intelligendi? hoc, (dicet aliquis) nequeo ſubijcere cogitationi, hoc explicare mihi durum. Quid de Angelis ipſis, qui nunquam corporibus ſociati, num molle dictu, quomodo exiſtant, quo munere fungantur? Ego uerò animos ipſos trucidato ac debilitato corpore uigere uideo, quin inſtrumenta corporis diſtringere mentium potius aciem, quàm acuere dicuntur. Itaque & Democritus & plerique alij oculorum ſe ſe orbarunt aſpectu, quo plus animo cernerent, & Appius in cæcitate corporis lumine utens, rationis Senatum Romanum ad accipiendas fœderis conditiones incitatum flexit, fœdamque Pyrrhi pacem & inutilem eximia orationis ſuæ grauitate diſcuſſit. Oſtendunt hæc animum ipſum, unde intelligimus, nihil accipere à corpore, nec ab ullo eius inſtrumento, ſi quidem remotis corporis ſenſibus longè melius ſpeculatur. Quin multa uera aſtruit cõtra ſenſuum opinionem, plura etiam percepit, ad quæ ſenſus non accedunt, ueluti res corpore uacantes. Item & generatim res intelligit ab omni perſonarum, temporum, locorum conditione auulſas: hæc omnia percepit, quæ ne uana quidem imagine ſibi poſſet effingere. Ego uerò etiam hæc, quæ leuiora poſſunt uideri, arbitror rectius peragi, ſi corporis ſenſus uel omnino abſint, uel quàm minimum adhibeantur. Nam nec Poëtam puto poſſe graues ſonanteſque uerſus uoluere: nec Oratorem uberem grandiloquamque eloquutionem fundere, niſi ei rei toto animo ſeruiat, ablegatis

gatis

gatis quodammodo corporis ſenſibus: licet in Homero id cernere. Nemo hoc Poëta fuit eloquentior, nemo in pangendo carmine fœlicior, quia, ut opinor, clauſis oculorum feneſtris totus intus habitabat, nec externarum rerum uiſus illum à carminis intentione poterat auocare. Quum igitur mens, ratio, ingenium, intelligentia, cognitio, & ut uno uerbo amplectar, humanus animus, non ſit ulli alligatus corporeo inſtrumento, ſed à ſe ipſo ſubſiſtat, & per ſe opus ſuum moliatur, quid ad eum pertinet extinctio ſenſuum? Videmus quòd quanto animus abſtrahit ſe magis à corpore, & ad corpore uacantia attollitur, tanto amplius perficitur, & dicemus eum corrumpi, quum à corpore penitus ſeparatur: & non hoc mouebit, quod nihil ex eo corrumpatur, in quo magis perficitur, non poſſe eandem rem ad perfectionem ſimul corruptionēq; tendere? Fatendum eſt autem, quòd corrupto corpore, corrumpetur quoque is intelligendi modus, quo nunc utimur, ſed ſuccedet alius melior & nobilior, quo directo & abſque ullo circuitu naturam rerum omnium attinget, nihil differens ab Angelis in hoc intelligendi munere. Similiter animus ſecluſus à corpore gaudebit, & amabit ſicuti corpore incluſus, hoc tamen intereſt, quòd nunc cum perturbatione, tunc imperturbatus mouebitur. Vnde enim perturbationes animorum, quos nunc in corde patiuntur? nempe ex humorum acceſſione, uel deceſſione, quæ tunc nulla erunt, erunt autem tantùm affectus in nuda uoluntate, nam uoluntatem quoque ſuam hinc auferet animus tanquam corpori non cohærentem ullo uinculo, ſed liberam & ſolutam. Vide autem quàm nihil à proſpectu corporum animus patiatur, nam non recipit in ſe, ut contraria, quæ in rebus ipſis ſibi inuicem aduerſantur. Contraria ſunt frigus & calor, humor & ſiccitas: nam mutuò ſe expellunt, ſed in intelligentis recepta animo non ſunt contraria: nam non ſe illuc expellunt, imò ſubſequuntur, quia altero cognito, alterius elucet cognitio. Ergo quum purus ſit animus ab omni corporis contagione, nihilq; corporeum ſecum ferat, cur nō manebit, & proprio fungetur munere, ubi à corpore fuerit diſſociatus? Non enim ut deſtructo oculo amittitur uis uidendi, quia diſtructum eſt id unde illa ſubſiſtebat, ſic uis intelligendi perijt deſtructo corpore: quoniam hæc de eo non pendebat, deſinit quidem animus deſtructo corpore eſſe illius forma, non tamen deſinit eſſe ipſe, quod per ſe prius erat. Et hoc eſt argumentum, quo potiſſimùm Auguſtinus innititur in libro, quem de hac re ſcripſit, nam quum animus (inquit) ſit per ſe ipſum uita, non capit uita interitum, ſicut nec lux obſcuritatem, fortitudo imbecillitatem, ueritas falſitatem: corpus autem in eo differt, quòd non à ſe ipſo, ſed ab alio ſumit uitam, ideſt ab animo: nimirùm igitur ſi illo recedente extinguitur tanquam à uita deſeratur, animus autem, qui uitam per ſe habet non poteſt extingui, quandoquidem nemo ſe ipſum deſerat. Hæc ab Auguſtino. Cogita quæſo Athanaſi, tecum ſæpius reuolue (nihil enim eſt, quod efficacius dici queat) nam ſi animus

in corpore manens ipſum conſeruat & continet ne effluat, ne tabeſcat, quanto magis ſe ipſum conſeruabit, quum uitam non à corpore pendentem conſequutus ſit. hoc idem uidit D. Bernardus ſcribens in cantica canticorum (quid enim illa altitudo ingenij non uideret?) Vita (inquit) anima eſt, uiuens quidem, ſed ſe ipſa, & per hoc non tam uiuens, quàm uita, ut propriè de ea loquamur. Inde eſt, quòd infuſa corpori uiuificat illud, ut ſit corpus de uitæ præſentia non uita, ſed uiuens. In hoc autem gerit anima ſimilitudinem quandam cum Deo, quod non ſolùm eſt uita, ſed etiam uiuificans, ſequitur etiam, ut ſit immortalis, quoniam, quum ſibi ipſa uita ſit, ſicut non eſt, quo cadat à ſe, ſic non eſt quo cadat à uita. Hinc ſummè etiam cogor Virgilium commendare, non ſolùm ob carminis maieſtatem, ut multi, ſed etiam ob eximiam ſcientiam: Nam eadem ſentiens uocat animas uitæ nomine, ut illud indicat.

Et ni docta comes tenues ſine corpore uitas
Admoneat uolitare cauæ ſub imagine formæ,
Irruat, & fruſtra ferro diuerberet umbras. Et rurſus
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

An quia ex ea parte, qua uergimus ad beluas, occidimus, iccirco interire credendum eſt, unde ſempiternis ſpiritalibus formis communicamus? & putandum, quod quum hominem plurimis eximijsque muneribus ornarit Deus, patiatur deinde collabi totum? aut uelit ſubito fato extingui flagrantes animorum faces, quas imaginis ſuæ nota inſculptas terrenæ molis corporibus ſuapte manu adegiſſet? Eſt nanque humanus animus ab omni materiæ ſorde purus, & quicquid tale eſt, id proximum Deum habet auctorem, nimirum igitur ſi id opus ſit perpetuum, quod quicunque diuinum dixerit, rectè nominauerit: id enim non materia alicubi deſumpta formauit, ſed Dei ſpiritus. Videmus corporeas res corrumpi ob hoc ipſum, quod è materia rudi, fragili, & commutabili eductæ fuerunt & conflatæ, & (ut ſic dixerim) dolatæ: ergo quum, quod in illis eſt cauſa corruptionis, ceſſet in humana mente, quæ ab omni materiæ contagione abeſt procul, hanc incorruptam inuiolatamque, & ab omni mortis aculeo liberam manere, dicendum eſt. Non me latet, quòd unumquodque animal ſimile ſui generat, nam & Leo Leonem, & equus equum, & canis canem procreat, non autem aliud diuerſi generis alteriusque formæ animal: ſic dicerem, quod homo, qui ſapiens eſt animal, generaret alium hominem ſapientem, ſi tanta uis intelligendi, cognoſcendi, inueniendi, reminiſcendi de ſeminis potentia gigni confingiq; poſſit, nam cor, cerebrum, iecur, ſanguinem, bilem, pituitam, oſſa, neruos, uenas, & reliquam membrorum formam atque texturam, unde habeamus, & quemadmodum fabricata ſint, uideor poſſe exponere. Illud nanque conſtat, ui ſeminis deducta & effecta eſſe ex his quatuor naturis, quæ principia ſunt ſubcœleſtium omnium, ſed non pari ratione poſſum dicere id, quod in homine ſapit, intelligit, meminit, uult, eſſe

concretum & confectum. Quomodo autem ualet id, quod eſt corpus è turgida cõſtans mole, efficere illud, quod ſuperius eſt multo & nobilius, omniq́ue uacat corpore? Fuit aliquis, qui humanæ uocis ſonos, qui infiniti uidebantur, paucis literarum notis terminauit. Magnum negocium, fœlix inuentum, nam de hoc inuento ſcribimus, & abſentes compellamus, & cuiuſcunque rei certiores facimus. ſed num id quæſo inueniſſe illum arbitraris ex eo, quod ali quod in ſe ipſo igneum, uel aqueum, uel flabile, uel terrenum poſſideret, at horum proprietates nihil tale efferunt? nam quod igneum eſt, calorem: quod aqueum, humorem: quod flabile, ſpiritum: quod terrenum, ſoliditatem ſuppeditare poteſt, non etiam occultæ rei inueſtigationem. Aduenit igitur extrinſecus fœtu iam in utero matris formato id, quod rationis eſt compos, & res eſt diuina, ut Ariſtoteles dicebat, generans autem tantùm diſponit materiam, in qua id fieri ſolet. Maiores noſtri multa uitæ adiumenta, ornamentaque inuenerunt: negare non poſſumus eorum inuentis uitam tutiorem cultioremq́ue non fuiſſe redditam: nam & fruges, & ueſtitum, & tecta, & multa contra feras præſidia oſtenderunt: uaria præterea artificia, uarias diſciplinas attulerunt: quomodo hæc ab illis inueſtigata, patefactaque dicemus? Mentis (inquies) agitatione, benè eſt, ſed mens à quo id ſumpſit? credo equidem à ſe ipſa, nam ſi dicis à corpore: quomodo potuit corporeum aliquod, quod intellectu caret, tantùm uim intelligendi cognoſcendiq́ue creare? ſi à ſe ipſa igitur hoc ſola poteſt, neque hanc cum corpore communem habet actionem: quid prohibet igitur igne corporis extincto diſcedere, diſcedentemq́ue manere? nam dum etiam in corpore aſtaret, penſum ſuum ſine ullo corporis inſtrumento egregiè euoluebat. Licèt autem ſcientiam anima in multis imperfectam habeat, & in quibuſdam hæſitet, nonnulla penitus ignoret, eſt tamen tantæ capacitatis, ut etiam infinita intelligere queat. nam uniuerſo genere cognito, omnes eius partes, omnia ſingularia ſub eo contenta intelligentiæ ipſius ſubijciuntur, etiam ſi innumerabilia ſint, ueluti quicunque intelligit omne corpus naturale eſſe mobile, intelligere poteſt hoc idem in infinitis ualere corporibus: & qui nouerit lineam ex punctis conſtare, omnes lineas etiam numero infinitas intelliget, cunctas noſcens eiuſdem eſſe rationis. Ipſum etiam infinitum, quod ſit, intelligit, diſtinguens ipſum à finito. Animam igitur, quæ quorundam infinitam recipit cognitionem, non maximæ eſſe uirtutis, & finiri ipſam tempore putabimus? Dixi de ſcientia, & inueniendi facultate. At memoriæ uis, nonne pariter miranda uidetur? Reſpice Poëtas, Oratores, Iuriſconſultos, Philoſophos, Theologos, Medicos, & non hos ſolùm, ſed leuiorum etiam artium opifices contemplare: quanta hi in ſuo quiſque artificio meminerunt? quàm parata habent pleraque? quàm in promptu? ſingulari etiam quidam memoria extiterunt, Mithridates, Themiſtocles. L. Scipio Aſiaticus, & qui à Pyrrho miſſus Romam legatus eſt Cyneas,

Sce-

Sceptius, Metrodorus Philoſophus, qui artem etiam memoriæ inuentam iam diù à Simonide Lyrico conſummauit, & ſemel audita iiſdem uerbis reddebat. Num ſatam aut concretam ex aliquibus credimus elementis tantam memoriam inſitam humanæ menti? uel num fundum aliquem putamus reſidere in animo capaciſſimum, ubi, quæ memoria digna eſſe ducimus, reponantur, & quum opus fuerit depromantur? uel num animum tanquam ceram imprimi credimus rebus his, quas recordari operæpretium eſt, & deinceps ad recordationem ſignatarum illic rerum ueſtigia inſpicimus? Stulta hæc & abſurda eſſe quis nō uidet? Vnde igitur ea uis? apparet, ſi corporale tale aliquid eſſe non poteſt, eſſe incorpoream: quòd ſi abſtracta eſt à corpore, nihil officit ipſi corporis mors, imò proficit, quòd ſoluta corporis uinculis magis perficitur. Illud quoque occurrit mortem nihil aliud eſſe, quàm compoſitorum diſſolutionem: ubi enim natura opus ſuum, quod coagmentauit, diſſoluit, & partium alia aliò recedit, conſequitur rerum interitus, nec aliud accidit, quam in ſyllaba, quæ diſiectis huc illuc & diſſipatis literis, ex quibus conficiebatur, interit: ſed non ita in animo rationis compote, nam nemo poſſit dicere, unde & quibus ex partibus ſeparabilibus compoſitus ſit hominis animus: non enim habet figuram, non colorem, non ſpatioſam magnitudinem, non denique aliquid, quod tractari & diuidi ualeat: ſimpliciſſimus eſt igitur, ex quo conficitur morti non eſſe obnoxium. Videmus quicquid eſt in corpore, quomodo unumquodque eorum deſinat, quo recedat, nihil manet in ſuo ſtatu, ſed abeunt, retroque cedunt ſingula: ſiue terrenum ſit illud, ſiue humidum, ſiue aëreum, ſiue igneum. Itaque quum quodlibet eorum, quæ in corpore ſunt, reuertatur ad ſuum & aliud interimat aliud, commutetque in aliud atque diſperdat: nihil mirùm eſt, ſi corporis ſenſus illis diſcedentibus, è quorum coniunctione oriebantur, ad interitum deducantur. Animam uerò rationalem, quam nullæ efficiunt compoſitæ partes, ſi quis dixerit diſſolui, is non ſatis attentus uidetur. Nam quum contrariorum contrariam oporteat eſſe rationem, ſi quod compoſitum eſt, diſſoluitur, ſequitur, ut quod ſimplex eſt, non diſſoluatur. Non enim quod ſimplex eſt, aliorum conuentu formatur, ſed per propriam agit formam, & ui ſua uiget, ideò non diſſoluitur, quia nihil ſe ipſum diſſoluit. Ex his ſequitur, quòd neque commutari, neque (ut dici ſoles) alterari poteſt: nam alteratio quum interimit, nihil plus agit, quàm quòd formam aufert relicta materia: hoc autem compoſitæ tantùm res patiuntur. Vides Athanaſi quot & quales affero rationes, ut tibi immortalitatem demonſtrem. An habes aliquid quod refellas? ATHA. Non habeo. MAR. Vrgent ergo. ATHA. Et ualde quidem, ſed hoc præcipuè, quòd quum humana anima ſit forma ſimplex, indiuidua, non alligata materiæ, habet hoc, ut neque diſſolui poſſit, neque diuidi, neque diſperdi. De his dubitauerit nemo, qui rerum naturam perſpicere, & rationum conſequentiam norit contexere.

MAR.

M A R. At nunc adducam aliud, quod non modò tibi, qui uarijs inſtructus es diſciplinis, ſed rudis etiã & imperitus quilibet intelligere queat, ita ſe rem habere, ut dicimus. Itaque permitte quæſo Athanaſi, ut fingam me tecum habere ſermonem, ut cum rudi quodam & illiterato homine, qui de hac re doceri uelit. A T H A. Finge, ut libet, nam facilius id fingere potes, quòd non longè abſum ab homine illo rudi, quem inſtruendum ſuſcipis. M A R. Imò uolo, ut ſemoueas doctrinam omnem reconditam, & ita reſpondeas interrogationibus meis, ſicut quilibet plebeius è medio foro arreptus, modò idem ſanæ ſit mentis & ſobrius. A T H A. Ita ero, ut eſſe me uis. Sed quid affers? M A R. Dic mihi. A T H A. Quid? M A R. Agitur de animo ſeu mauis de anima rationali, utrum morti ſuccumbat, uel mori neſciat. A T H A. Ita eſt. M A R. Vide ſi de hac re mecum conſentis, quòd nihil corrumpitur, niſi habeat infeſtum, & inimicum aduerſarium, denique aliquod, quod eo potentius ſit, & potentioris illius uim patiatur. A T H A. Manifeſtum id quidem. M A R. Sin autem aduerſarium nihil patiatur, incorruptum manebit. A T H A. Conſentaneum id quidem. Sed quid eſt, quod aduerſarium non patiatur. M A R. Cœlum & ſidera (ut exempli cauſſa aliquid dem) non enim inueniuntur contraria quædam, unde illis corporibus noceri poſſit, propterea incorrupta ſunt. A T H A. Sic eſt. M A R. Quid de hominis animo exiſtimas? aduerſarium num habet aliquando uel non habet? Neceſſe eſt alterutrum: nihil poteſt eſſe tertium. A T H A. Quis aliter dicere poteſt? M A R. Si dicis aduerſarium non habere, confecta res eſt: animus eſt immortalis: nihil enim ſe ipſum deſerit, nec deſerere poteſt: non reperietur aliquid, quod ſe ipſum deſtruat, niſi intus uel extra immineat contrarium quoddam, à quo hoſtilia patiatur. A T H A. Accedo. M A R. Videndum eſt tamen Athanaſi ne aliquo improuidè feramur. Nam forſitan habet humanus animus aduerſarium aliquem, qui eum morti tradat, & nos id ignoremus. Scrutemur igitur diligenter, ſi aliquod huiuſmodi ſit, quod nos turpiter lateat. A T H A. Scrutemur. M A R. Quis igitur is erit aduerſarius? quo nomine? qua ui? qua figura? Num erit calor, aut frigus, humor, aut ſiccitas? A T H A. Minimè: hæc enim uentri, non etiam menti nocere ſolent. M A R. At forſitan animus ferro, ligno, lapide, aut qualibet alia duriſſima materia percuti ualet, & percuſſus interit. A T H A. Ridicula narras. Quis enim unquam frangi, findi, collidi, forari humanam intelligentiam uidit? quid tu huc corpora affers? certè nullius corporis ictus non pertingit eam naturam, quæ nullo corpore ſe tenet. Quomodo id audiri æquis auribus ualet exitium & finem animo importare corporeum aliquod, quum corporum potentia ſit infirmior, & origo abiectior, & ordo humilior? M A R. Ergo tenes corpora nullum animo afferre detrimentum? A T H A. Teneo firmiter, & utraque (ut aiunt) manu. M A R. Nec ego diſſentio, attamen dictis tuis addendum uidetur. A T H A. Addas licèt. M A R.

Hoc

Hoc unum addo, fieri poſſe, ut corporis aliquod inſtrumentum, quo peruenimus ad ea, quæ Græci uocant phantaſmata (latinè uiſa Cicero appellat, nos uſitatiore uerbo imaginationes poſſumus nuncupare) ſine quibus intelligere non ualemus, uitietur, ac ne tum quidem mens noſtra aliquid ipſa patitur, quanuis iter ad intelligentiam ferens intercipiatur. ATHA. Perge porrò, nam his aſſentior. MAR. Si hunc aduerſarium non admittimus, quem nam alium habebit animus? Vereor interdum ne rudis ille homo, cuius geris imaginem, inopiam annonæ pertimeſcat, quæ nunc omnibus impendet populis, & fame tabeſcere animum arbitretur. ATHA. Quid ais? Ridiculoſiora adhuc profers. Nemo eſt tam rudis, qui non percipiat famem non contingere, niſi animali ſtomachum & inteſtina habenti: animal enim tunc interit egeſtate aridi & humidi, niſi cibo & potu ſubueniatur. Sed nunc non agitur de animali quopiam, ſed de hominis animo, ea in parte, qua intelligit & ſpeculatur. Interroga quemuis etiam indoctiſſimum uillicum, nuſquam dicet, quòd intellectus humanus panem comedat uel uinum potet, ſed homo ipſe unde eſt animal, hæc ſumat, ut inanitatem expleat ſtomachi & inteſtinorum, quod niſi faciat, perit. MAR. Ergo fateris animum non poſſe extingui fame. ATHA. Quid ni fatear? Quis adeò ſtultus eſt, qui contrà aſtruat? Poteſt fames animal extinguere, ſed non lumen ingenij, mentem, conſilium, prudentiam, & cætera, quæ nec cibum nec potum requirunt. Poſſet quidem fames occaſionem præbere ad animi interitum, ſi pariter cum corpore interiret, ſed non proxima eſſe cauſſa. MAR. Vera dicis. Sed quid nunc perſpicio? ATHA. Quid eſt? MAR. Videor nanque perſpicere aduerſarios quoſdam atroces, quos animus quorundam patitur. ATHA. Qui nam hi? MAR. Iniquitates, fraudes, ſcelera, quæ contrahit animus. An non ea uitia dicimus? ATHA. Quid ni? MAR. Mala ſunt ergo, ſi quidem uitia ſunt. ATHA. Sic eſt. MAR. Num igitur his uitijs animum interire putas? Sic autem cogita, uel potius dic, nũ uideas eos, qui adulteria, ſtupra, ſacrilegia, furta, rapinas, peculatus, cædes, proditiones, & alia ſcelera admiſerunt, interire ob hæc animi mala? ac non potius poſt quædam patrata alijs inſiſtere, & peiora etiam patrare? ATHA. Interire ne putem homines ſceleratos poſt ſcelus? Non ita eſt. Nequaquam ſcelera perimunt, aut lætifera ſunt. Nam ſcelerati homines iucundius etiam uiuunt, quàm antea, atque adeò diu poſt expletam libidinem, præſertim ubi plures aduerſarios necauerunt: certè magna undique ſcelerum redundat copia, quæ coarctaretur, ſi ſimulac animus perperam quippiam uel cogitatione uel opere aggrederetur, ſubitò ueluti peſtifero iniuſtitiæ contractu tabeſceret: nihil uerò minus accidit, quandoquidem plures impios & nocentes floridiorem agere uidemus ætatem. MAR. Quid ergo agunt ſcelera illa, quibus impletur animus, ſi interitum non afferunt? ATHA. Id quidem manifeſtum. Vitiant ſcelera bonam, (ut ſic dixerim) animi habitudinem, ac fœdant pulchritudinem,

dinem, perinde ac ſi quis in egregiam ſtatuam miro artificio fabricatam ex ebore uel candido marmore deductam, lutum uel ſordes inijciat. Eſt enim anima imago Dei pulcherrima, quæ ſceleribus deprimitur, fœdatur, non etiam deletur. MAR. Iam ad exitum peruentum huius argumenti, quo rudem etiam quemuis ſuaderi poſſe arbitror, nam ſi propria animi mala animum non diſſoluunt, unde porrò, quomodo, à quibus diſſolutio orietur? num à uirtutibus? ſi dixero, abſurdiora dicere tibi uidebor, quàm proximè fecerim. Etenim uirtutes, quæ ſumma ſunt in homine bona, & bonum faciunt habentem, nunquam nocerent: neceſſe eſt autem malum eſſe quodcunque rem delet: quo igitur malo animus tolletur, ſuo ne an alieno? alieno non conuenit, ſuo non poteſt, ergo nunquam tolletur. ATHA. Inuulnerabilis ergo eſt animus, ut audio. MAR. Inuulnerabilis certè, nam ſubſtantiam gerit inuictam, & impenetrabilem & magis inuulnerabilis ille, quàm Achilles, qui aliquo loco uulnerari potuit, magis quàm Cygnus uel Ceneus, qui & ſi à ferro erant tuti, alijs tamen modis potuerunt extingui. Omnia, quæ infra lunæ globum reſederunt, mortalia ſunt, non permanent diu, præter animos ſummo Dei munere hominum generi datos. Proſequar autem iam ſermonem cœptum, te amplius non interrogans, ſed perpetua utens oratione. ATHA. Gratum id fuerit, nam libentius audio, quàm dico. MAR. Si ſuperiora repetere uoluerimus, concludere iam poſſumus animum eſſe immortalem. Nam quicquid interit, altero duorum interit, aut ob aduerſarij potentiam, aut defectu rei neceſſariæ. Sed animus aduerſarium experitur nullum, à quo ſoluatur: non etiam interit defectu rei neceſſariæ, quaſi egeat corpore, quum ſine eo per ſe ſubſiſtat: facit hoc tamen, dum ineſt corpori, ut uitam ei præſtet, regatque ac moderetur, ueluti mundum Deus, quæ ceſſant omnia, ubi ab eo ſeparatur. Animaduertere quoque poſſumus, quòd robur animi immobile manet, & cum tempore ſemper procedens magis uireſcit, contrà uerò corpus ægrotat ſæpius, & flexu ætatis ſegnius in dies redditur & uetuſtate putreſcit. Et hoc eſt, quod Apoſtolus uoluit, dum inquit. Exterior noſter homo quotidie corrumpitur, interior de die in diem renouatur: quem autem interiorem uocet hominem, quem exteriorem perſpicuum, nam exterioris hominis nomine corpus ſignificat, interioris animum, & hunc meliorem fieri die, illum deteriorem. Argumentum ſanè probabile in uno extinctionis, in altero durationis. Nonne perſpicis etiam memoriã rerum geſtarum diutiſſimè manere? id nempe efficitur ingenio humano. Quomodo ergo credibile eſt, ut decidat illud ipſum, quod alienis rebus lucem memoriæ diuturnam, & uitam ſæculorum penè omnium miniſtrat. Quomodo ſi geſta animi manent, animus ipſe peribit? Incorruptum cœlum, incorrupta putantur eſſe & ſidera, quæ in illo uoluuntur, & nos humanos animos omni cœlo nobiliores corruptioni patere putabimus? Videmus etiam in hac humili anguſtaque terrarum ſede nonnul

la, quæ in perpetuitatem tendere uideantur. Cogita Riphæos montes, Pyrenœa iuga, Caucaſum, Olympum, Apenninum, & de fluminibus propone tibi Nilum, Iſtrum, Eufratem, Gangem, Tanaimq́ue niualem. Nec præterieris.

Eridanum, quo non alius per pinguia culta.
In mare purpureum uiolentior influit amnis.

Hæc ab initio mundi condita cum eodem progrediuntur, nec eorum formidatur interitus, niſi ubi ſuprema mundo aduentarit dies, & deſtruat, qui fabricauit: ergo ita ſe habent hæc, ut nunquam caſura: quod autem in terris maximum eſt omnium & præſtantiſſimum, & quod unum eſt nobis cum alijs immortalibus mentibus cognatum, id breuiſſimo tempore extinguetur? Et ſi ſuperior cunctis mundanis rebus eſt animus, alia manebunt, ipſe in nihilum dilabetur, quanto rectius dicetur, quòd nullo unquam æuo finietur? Illud etiam quæro, quale aut quantum maneat his locis uirtuti prœmium? num in honoribus, opibus, copijs, nomine, gloria, uoluptatibus, erit eius præmium? At hæc anguſta ſunt & caduca ſæculi bona, quibus contemnendis uim ſuam uirtus elucere putat, & ſæpius uideas probos affligi aduerſo fortunæ flatu, improbos, attolli ſecundo: ergo ubi decumbimus, captumq́ue leto caput ponimus, ſi tunc animus pariter interiturus, ueluti uapor quidam diflatur, uirtus inhonorata relinquetur, nullo optato fine uirtutis opus natura concluſerit, id quoniam abſurdum eſt, dicendum poſt mortem corporis animum permanere, ut uirtutis ſuæ præmium, quod hoc non tulit in ſæculo, cœleſtis Imperatoris munere alibi conſequatur. Quantam præterea ingenuit nobis natura cupiditatem quietis & beatitudinis perfruendæ? quæ non paratur in hoc ſæculo, nam quo plures opes, honores, imperia, diuitias, copias ingeſſeris, tanto uaſtius hiat humanus animus, ut neque expleri, nec ſatiari poſſit. Dici itidem uix poteſt quanta innata ſit homini libido intelligendi & cognoſcendi, at nunc tanquam in aliena republica peregrinantes paruam quandam particulam è multis (& quod deterius eſt) niſi obſcurè & inuolutè, niſi per reflexiones quaſdam & ænigmata, nec omnibus modis, quibus cognoſci poteſt, cognoſcimus, & rectè dictum eſt ultimas rerum differentias eſſe nobis incognitas: ſi mortalis animus, ergo hic affectus à natura, quæ artificioſè ſolerterq́; procedere ſolet, fruſtra homini impoſiti atque inuſti, quod quoniam dici minimè conuenit, immortalis habendus eſt animus: & ut affectus ueteres expleat, neceſſe eſt paratum locum, unde corporis uinculis leuatus plena luce ſpectet, & omnia in omnibus intelligat, & ſumma quiete perfruatur. Quid? quòd homo ex cunctis animantibus ſolus ueri Dei notitiam habet? quam non haberet, niſi in illo ineſſet diuinum quiddam, & quod diuinum eſt, quis morti dixerit obnoxium? ſolus æternitatem intelligit, intellectæ amore flagrat, quia ſcilicet hoc naturæ eius præcipuum debetur: ſolus ad cœlum arrectus ſublimi corporis ſtatu, quaſi nihil illi rationis eſſe debeat cũ

terra,

terra, ſed ſuperna ſint expectanda. Videmus, quòd unum quodque animal cognoſcit id, quod ad uſum ſuum pertinet, cætera non agnoſcit, hinc bruta animalia margaritas & aurum non cognoſcunt, quia nihil iſta ipſis uſui ſunt, hæc pretioſa cognitioni hominis ſubduntur, ad cuius uſum & ornatum parata fuerunt. Similiter, quòd homo tentat aſſiduè cognoſcere Deum, & id maximè expetit, hoc oſtendit, quòd aliquando Deo fruetur, quaſi ad id factus ſit, hæc autem fruitio in hac uita non contingit, contingere autem alibi neceſſe eſt, ne fruſtra huius fruitionis ſit appetitus: ergo ponendum in morte corporis animum non obire, ſed abire. Quod uerò non ſolùm Deum nouit, ſed diligit etiam atque colit, nonne id fit ueluti impellente natura & oſtendente, unde ortus ſit meliore ſui parte, quo'ue ſit redeundum, hoc habet lex naturæ, ut unumquodque ad cognatum ſibi & ſimile rapiatur. Sicut enim paruus ignis ad maiorem ignem, & gutta aquæ ad maiorem aquam accedere ſolet, & ei ſe adiungere, ſic intelligentiæ noſtræ paruæ Deo coniungere ſe affectant, quem ſupremum & infinitum eſſe intellectum perſpiciunt. Sumus (ut ſic dixerim) cointellectuales Deo, licèt longè impari conditione: hæc omnia, niſi dicamus animam perpetuò uiuere, fruſtra illic ineſſent. Illud quoque non leue creditur argumentum immortalis animi, quòd ſit particeps diuinationis: non enim ſolùm perſpicit præſentia, ſed etiam quæ futura ſunt præuidet, uel in ſomno, quum ſopitis corporis ſenſibus magis uiget, uel in uigilia ſacro quodam furore correptus, qualem Sibyllæ habuerunt, & filia Priami Caſſandra, & ex uiris penes Græcos Melampus, penes Romanos Martij quidam fratres. Multos etiam habuerunt Iudæi diuino afflatos ſpiritu, qui futura prædicerent, noſtra etiam religio utroque in ſexu infinitos. Quum igitur capax diuinationis ſit humanus animus, diuinus habendus eſt: non enim diuinaret, quid euenturum ſit in incertis caſibus, niſi diuinum in ſe quid poſſideret, unde diuinationis nomen eſt ductum: & quod diuinum eſt, mortem effugere conſentaneum. Bruta animantia naturæ acta impulſu applicant ſe tantùm præſentibus, nihil proſpicientes admodum in poſterum: ſignificant tamen actibus ſuis futura quædam, non ea præſagiunt, neque præuident, nec exemplo terreor formicæ. nam illa etiam, quæ nondum experta eſt hyemem, colligit frumenta, & reponit, quod oſtendit parſimoniam ibi eſſe naturalem. Vellem etiam ſcire ab his, qui animos morte ueluti capite mulctant, an unquam uiderint ſubſtantias incorporeas intellectu uigentes interire: Negabunt ſe uidiſſe, ego contra uideo ſubſtantias huiuſmodi non interire tales enim facimus Angelos, & Dæmones, cum his habemus intellectum incorporeum communem: hoc æquè agimus utrique. Quomodo igitur illi immortales, nos mortales? Nam quorum opera ſunt communia, communem quoque conuenit eſſe naturam. Vis ne aliud adijci argumentum? Nam ueritas illuminari etiam atque etiam gaudet. Huc

mihi pariter ſpecta, quæ ſit conditio eorum, quæ in mundo interire dicuntur, nam ita intereunt, ut ex eorum interitu aliud nouum producatur. Hinc illud in ſcholis Philoſophorum uulgatiſſimum, ex corruptione unius ſequi alterius generationem. Sed ſi animus corrumpitur, quid nam ex eius corruptione fiat requiro? Nihil uideo aliud conſequi, quod generetur. Ergo non communi corruptionis lege includitur id, quod non habet, quod corruptionem ſequi ſolet. Vlterius (ut dictum eſt, & latius eſt dicendum) ſi animos efficit Deus à ſemetipſo nullis intermedijs cauſſis, quæ uia ad eorum corruptionem patet? Nam quicquid corrũpitur, id ex inferioribus iſtis gignitur cauſſis, quarũ defectu ipſum quoque, quod gignitur deficit, at Deum immediatum animorum auctorem deficere nemo dixerit. Solùm igitur relinquitur, ut corrumpantur animi ſola Dei uoluntate, qua & creantur, at id unde docetur? dicendum potius nolle corrumpi animos, quos propinquiſſimos ſibi eſſe uoluit ſimilitudine ſua, & imagine eis inducta. Nam animos referre quandam Dei ſimilitudinem prædicatur ab omnibus, quum animorum ſubſtantia ſit intellectus: & Deum non alia notione capimus, quàm, ut ſit intellectus purus ab omni concretione ſolutus. Diuini igitur intellectus imago ſunt animi, impar illa quidem imago, ſed imago tamen. Nullus autem artifex imaginẽ ſuam ſponte deleat, niſi forſitan in faciendo aberrauit. Durare igitur animos, ut imaginem Dei à Deo ipſo conditam dicendum eſt, præſertim, quum de contraria artificis uoluntate non doceatur. Magnum immortalitatis argumentum putat Plato, hanc quam anima habet cum Deo ſimilitudinem in libro, quem de morte Socratis conſcripſit: quærit enim cuius anima ſit magis ſimilis, corporis ne, an Dei? quum apparuiſſet ſimiliorem eſſe Deo, hinc colligit Plato eſſe immortalem, quod ſanè argumentum Porphyrius latius explicauit in primo ad Boëthum, cuius uerba hæc ſunt. Firmam certamque rationem eam Plato putauit, quæ à ſimilitudine aliquorum uim accepit. Nam Deo immortali ſimilis anima eſt: quomodo etiam ipſa ſicut exemplar ſuum immortalis non erit? Quum enim duo quædam apertè opponantur: quærit, cui oppoſitorum adhæreat anima, qui optimus demonſtrationis modus in his rebus inuenitur. Et quanuis à prima ætate uſque ad ſenectutem multa contra rationem faciamus peccantes, tamen, quia uerè rationali Deo in multis ſimilis anima eſt, rationalis eſſe ab omnibus creditur. Quum igitur duo apertè opponi concedantur, immortalis uidelicet atque diuina natura, & terreſtris atque corruptibilis: dubitatur autem à nonnullis, cuius partis anima ſit: à ſimilitudine putauit Plato ueritatem eſſe quærendam. Et quoniam non ſenſibili & mortali corpori, ſed uiuo & immortali Deo ſecundum operationes ſimilis eſt: hinc ſimilitudinem etiam in ſubſtantia quandam habere, ac inde immortalem eſſe ratiocinatur. Nam, ut quæ irrationabilia ſunt, ſtatim à diuina ſubſtantia, quum ſint caduca & inſtabilia, longè abeſſe uidentur, ſic certè con-

ſequens

equens eſt, quæ operatione intelligendi conueniunt, ea immortalitate quoque ſubſtantiæ conuenire. Quoniam enim ſubſtantia conueniunt: iccirco etiam operatione conueniunt. Fluunt enim à ſubſtantia operationes: ac quædam eius ſunt emanationes. Nam ſi ſimillima Deo anima eſt, quid opus eſt pluribus uerbis ad demonſtrandam immortalitatem eius? Non enim diuinis operationibus uteretur, niſi etiam ipſa diuina eſſet. Nam & ſi quum in caduco mortalique corpore deſoſſa ſit, continet tamen & uiuificat illud, diuinam ſuam oſtendens ſubſtantiam, nec pondus corporis eam omnino deijcere poteſt. Quomodo ſi è corpore liberabitur, aurea ſua ſpecies non perfulget? Aut quomodo ipſa immortalis non erit, cuius præſentia corpus non moritur? Habes rationem immortalitatis, quam à ſimilitudine Dei affert Plato, plenius etiam expoſitam per Porphyriũ. Quid? quòd manes ſæpius uiſi, auditæ uoces defunctorũ?

Ipſa ſed inſomnis inhumati uenit imago
Coniugis, Et
In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi.

Sed & Creuſæ, & Polydori, & Achillis umbras legimus apparuiſſe aliquid indicantes uel petentes. Non fingerent hæc Poëtæ, niſi uulgo receptum eſſet animos eorum, qui uita exceſſerunt, apparuiſſe multis, & præmonuiſſe, & futura prædixiſſe: animos autem ſuperſtites agere quædam & ſuperſtites negare, furioſi uidetur. Nec aliter grauiſſimi uiri, quibus nefas eſſet mentiri prodiderunt. Superſedeo uti exemplis, quæ infinita ſunt in Chriſtianorum literis ueritus longitudinem orationis. Quis enim poſſit dicere quoties Maria Domini mater, Petrus & Paulus Apoſtoli, & reliquæ ſanctæ animæ de cœleſtibus uenientes ſeſe dederint in conſpectum mortalibus, eosq; magnis de rebus docuerint: non magis id ſermone quiſpiam perſequi poſſit, quàm numerare fluctus maris, & arborum frondes. Sed apud gentes & nationes eadem fieri contingebat. Et ut mittam cætera, refert Plinius nepos in epiſtolis idolum ſenile catenis onuſtum Athenis uiſum eſſe à multis, & demùm Athenodoro Philoſopho, quod trepidantibus cæteris imperterritus ipſe aſpexit, & quid ſibi uellet intellexit. Idolum autem uocat umbram animi iam ſoluti. Notum eſt illud de patre, qui morte iam obita oſtendens ſe filio, docuit ſolutionis Chirographum, contra cuius fidem creditor ueniebat, petens iterum, quod fuerat ſolutum. Plotinus inter Platonicos illuſtis in libro, quẽ de hac re ſcripſit, cenſet exempla de hiſtoria ſumenda, ſi quem auditorum oporteat, non ſolùm rationibus, ſed etiam ſenſibus erudiri: ſic enim fieri fidem ex utroque: hiſtoriam autem aſſerit talibus rebus abundare, ueluti quum Deorum oracula iubent animas quorundam iniuria lœſas placari, uel alios meritos honores reddi defunctis tanquam talia ſentientibus: multos præterea, qui dum hic agerent, benefici fuerant erga genus humanum, eoſdem iſtis derelictis aſſerit in eodem benefaciendi genere

nere perſeueraſſe. At plerique hæc irrident, nec fidem adhibent. Placet ne igitur fortiſſimam omnium probationum, quæ experimentis conſtat, & ab effectu nos ad certam deducit cauſſam tollere? Vnde ergo Phyſici hauſerunt ſubſtantias abſtractas orbium motrices, ipſum primum motorem, niſi ab operatione? quæ præterea prudentia eleuare iſtorum fidem, quæ contingere à grauibus & eruditis uiris teſtatum eſt? eadem opera poſſunt omnem hiſtoriæ fidem euacuare: quod ſi fieret, humana uita ingenti ſcientiæ parte nudaretur. Sunt quidam, qui ueritate ipſa coacti: hæc uiſa negare non audent, ſed ea dicunt fieri arte Dæmonum: hi ſi fatentur Dæmones hæc facere poſſe, cur non facilius credant eadem poſſe animos ſeparatos, cupientes opem ferre conſiliorum ſuorum propinquis & amicis, quos uiuentes dilexerant. Ridiculi magis illi, qui atræ id aſcribunt bili, quæ, ut ad quædam acria & uehementia hominum diſponat corpora, non tamen uſque eo attollit mentes, ut præſcias faciat futurorum, & per quàm abſurdum ſimul dicere hæc uiſa malencholicis duntaxat contingere. Quòd ſi dicis hos, qui uitam hanc exuerunt, non ſæpe apparere, ſuiſq; conſulere, rem non improbabis. nam ſi uel unum mortuorum dederis ſemel apparuiſſe aſſumpto umbratili corpore, compelleris dicere reliquos omnes, qui eiuſdem naturæ ſunt eiuſdemq; formæ, eandem habere facultatem, ideò fore ſuperſtites: ſatis eſt his iſtam cauſſam tuentibus, tale quid aliquando extitiſſe. Quòd autem raro apparent, hæc affertur cauſſa, quia tantùm animi illi interiores motus perpetuò manentes exercent, nec cura eſt prima illis extranearum & tranſeuntium actionum, quia non expedit, non datum eſt, non lex diuina id requirit: hominibus conuenit homines auxiliari,& ubicunque per ſubſtantias ſeparatas agendum eſt, non deſunt Angelorum,Dœmonumque miniſteria. Vident Beati illi animi aſſiduè ſupremum illud & unicum ens, eoque ſpectaculo ſaturantur & perficiuntur, & ut demus id non prodeſſe cæteris, prodeſt tamen id illis, pertinetque eorum ſtatus ad huius uniuerſitatis integritatem, & decorem, dominantiſque Dei gloriam: ſi quandoque tamen ipſi ad humana deſcendunt, uel ob hoc ipſum, ut oſtendatur humanos animos poſt mortem remanere, id fit extra ordinem ſingulari diuinæ prouidentiæ iuſſu. Mouere etiam quemlibet poteſt ad immortalitatem animi tenendam, omnium gentium conſenſio, quæ tot ſeculis permanſit: non enim conuenerunt inter ſe homines & collocuti ſunt, & ut id ſtatueretur decreuerunt. Quod igitur opinantur homines, qui ubique ſunt ſponte ſua,id uerum cenſendum eſt, quoniam non orietur tanta conſenſio, tamque diu permaneret, niſi natura, & ipſa profectò euidentia & perſpicuitas eo deduceret: hoc etiam ex eo uidere licèt, quòd optimus quiſque animorum immortalitatem amplectitur. Leues autem quidam & uitijs inquinati, corporibuſque ipſis immerſi huic ſententiæ uidentur diffidere:Thales inter Ppiloſophos Epicurus fuit. Sectatoreſque eius, qui de magiſtri præcepto uoluptatis cauſſa omnia moliebantur.

liebantur. Quorum igitur iudicium accipiendum? quis non dixerit eos, qui optima ſunt natura optimoq; ingenio, magis uerum cernere & ſpeculari? Videas etiam in ſepulchris inſcribi uerſus, quibus pronuncietur corpora ibi ſitorum humo tegi: animas uerò in loca piorum profectas, hæc non modo noſtri, ſed gentes etiam faciebant: talia multa apud Græcos ſunt epitaphia, quædam etiam latina: qua in re illud urbanum Demonactis Philoſophi, quod iaculatus eſt in Admetum quendam malum Poëtam. Is enim cõpoſuerat carmen unicum, quod latinè ſic ſonat.

Terra habet inuolucrum hæc Admeti: aſtra ipſe petiuit,

Hoc quum recitaſſet Demonacti gloriabundus, addidiſſetq; teſtamento cauiſſe, ut poſt mortem eius ſepulchro inſcriberetur. Tum ridens ille, tam pulchrum eſt (inquit) Admete hoc epigramma: ut iam inſcriptum eſſe uelim. Gallos auctor eſt Valerius in libro de inſtitutis antiquis pecunias dare mutuas conſueſſe, quæ illis apud inferos redderentur. Stultum uidetur, ſed tamen ex eo colligi poteſt illis gentibus adeò perſuaſum fuiſſe animos hominum poſt hanc uitam ſupereſſe, ut in illa etiam ſtulta exirent. Sed & illud indicat eos putaſſe animorum immortalitatem, quòd poſt ſolemnia tumuli quæque peracta uale dicebant, ut Seruius memorat Grammaticus: ſtultum eſt enim ſi dicamus exanimo corpori nihil ſentienti dixiſſe, præſertim quòd iam in cineres & fauillam conuerſum uidiſſent. Tria genera, dum de probabili loquuntut, faciunt Sapientes, unum dicunt, quod eſt probabile & uerum, & hoc maximè excellit, aliud quod uerum eſt & non probabile: tertium quod eſt probabile & non uerum. In pirmo igitur genere probabilis & ueri ponenda eſt hæc, de qua nunc agitur immortalitas animi, quam populorum accipit conſenſus, leges publicæ approbant, maximorum Philoſophorum ſancit auctoritas, religionum iura confirmant. Hæc, quam ſpẽ immortalitatis non tendunt? quis adeò ſempiternæ mortis formidine oppreſſus, ut tot tantisque iudicijs non moueatur, & ad huius rei plenam credulitatem ſententiamque non deducatur? Animus etiam ipſe humanus de ſe (ut inquit Cicero) præſentit in poſterum, & uenientia ſæcula ad ſe cenſet pertinere. hinc teſtamentorum diligentia, hinc inſtituendi cura hæredem, qui abeuntibus nobis perſonam ſuſtineat uicariam, hinc liberorum propagationes, qui memoriam noſtri nominis diutius conſeruent, hinc rectè etiam factis ſtudemus, id agentes, ut de nobis poſteritas bene ſentiat ac loquatur: multaque alia gloriæ cauſſa molimur, quaſi in ſempiternum animus tempus ſpectet, nec ſit breui geſtorum fama contentus. Impellimur ad hæc natura duce, quæ oſtendit quodammodo non omnia noſtra unà cum uita effluere, & breui æui ſpatio diffiniri. Hæc ſunt & alia multa, quibus olim præſtantiſſimi & eruditiſſimi uiri, immortalitatem animi prædicabant, quæ me ualde commouent, non ſolùm quòd à talibus profecta ſunt uiris, quos nemo noſtrum induſtria, uigilantia, ingenio, doctrina ſequitur, ut proximus eſſe poſſit, ſed quòd ita rem ex-

plicant

plicant & demonſtrant, ut in hoc argumentandi genere nihil dilucidius & euidentius proferri queat. Et ego quidem ſic affectus ſum, ut dixi. Tibi uerò quomodo ſatisfactum ſit ignoro. Nam forſitan in artifice eſt uitium, quanuis materia ſit proba. Me iuris ciuilis ſcientia ſecernit à populo, & efficit, ut aliquid in turba eſſe uidear: huic enim à primordio ætatis enixè operam dedi, at Philoſophica hæc ſero, & non niſi tranſeundo aſpexi. Itaque nihil mirabor, ſi tibi nunc minus placuero, & perfectius aliud requiras. Nam forſitan minus commodè perſequutus ſum, quæ uera eſſe profiteor.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
DE IMMORTALITATE ANIMI,
LIBER TERTIVS.

MARCVS.

NOLI expectare Marce à me ingenium, eloquentiam, copiam, acumen, uimque dicendi, doctrinam denique tuam commendari: nam ſi te coram laudauero, non effugiam adulationis ſpeciem, quam turpiſſimam iudico. Illud breuiter dicam te ita dixiſſe, ut ſi ueteres illi, de quorum fontibus hæc manaſſe dicis reuiuiſcerent, potuerint delectari æmulatione ſtudiorum ſuorum; necnon in ſententia, quam de immortalitate animi habuerunt, eloquutione tua confirmari. Me uerò adeò mouerunt, ut immortalitatem hanc, quæ apud me nunquam dubia fuit, certiſſimam habeam. Veruntamen, quum conſidero alios contrariam tenuiſſe ſententiam, exiſtimo huc non ſine ratione prouectos. Poſſent enim illi (ſi adeſſent) aduerſus te illud Virgilianum proferre.

Et nos tela pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de uulnere ſanguis.

Itaque gratiſſimum feceris, ſi expoſueris, quæ argumenta pro ſe illi adduxerint, quibus inducti cogitationibus illud ſenſerint, & quomodo refellantur oſtendas. Intereſt enim tua id facere, quo plenam referas uictoriam, ordo etiam hoc poſtulat, ut quum noſtræ copiæ fuerint firmatæ aduerſariorum euertantur. MAR. Si rectè animaduertiſti ad ea, quæ antea dicta fuerunt, uiſus ſum mihi inter differendum quædam eorum argumenta deieciſſe. ATHA. Ita eſt, ſed poſſunt eſſe alia, quibus nondum occurriſti. MAR. Faciam iam, quòd te uelle uideo, præſertim quum non multùm mihi laborandum ſit: ex ſuperioribus enim pendent omnia. Oppugnatur autem hæc animorum immortalitas eo argumento, quòd ſi immortales ſunt animi, conſequi infinitam eorundem multitudinem neceſſe eſt: ſi quidem æternus ponitur mundus, & ani-

marum tranſmigratio de corporibus in corpora, ſicut de domo in domũ negatur, aſſumunt autem, ut conceſſum, infinitatem rerum eſſe uitandam. Sed hoc argumentum metuant hi, quibus æternitas mundi placet. Nos autem, qui ut mundi generationem cœpiſſe, ita defuturam dicimus, uim argumenti huius nullam eſſe concludimus: quanquam ſi de hoc contendendum eſſet, uiderem omnino, quàm uitioſum eſſet infinitatem ponere rerum materiæ cohærentium: at infinitatem eorum ponere, quæ à materia longiſſimè effugerunt, haud forſitan intolerandum uideretur. Sic enim laudamus Deum, qui ſine controuerſia incorporeus eſt, quòd infinitus ſit ille, & nullis limitibus circunſcriptus. Poſſum etiam dicere, quòd finem habebit animarum procreatio aduentante magno mundi anno, quem reuolutis multis ſæculorum millibus aduenturum traditum eſt, tum quum cuncta ſidera eodem unde ſemel profecta ſunt, redierint, eandemque cœli deſcriptionem retulerint: neceſſe enim tunc fuerit ſub ijſdem ſtellarum motibus, quæ prius fuerant, iterari, & denuo referri noua generatione ceſſante, & ut cum Poëta dicam.

Alter erit tum Tiphys, & altera, quæ uehat Argo
Delectos heroas, erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Sed hoc non ſine cauſſa propugnaculum deſero, nam hanc ſæculorum in idem redeuntium inſtaurationem, atque huius magni anni conuerſionem, uideo uulgo reijci: quamuis magnorum Philoſophorum auctoritate nitatur. Mouet alios quoque, ut contradicant, quòd omnis anima eſt in corpore, & cum corpore. Non enim exterior præſidet corpori, ueluti figulus rotæ:eques equo,ſed intus reſidens tanquam in naui gubernator, ergo nulla ſine corpore. Fallax argumentum: eſt quidem anima rationalis (de hac loquimur, quæ proprio magis nomine animus nuncupatur) apta corpori, ſed tamen ſine illo eſſe poteſt, imò (quemadmodum Plato aſſerit) melius eſt illi animo, qui extra corpus, quàm ei, qui degit in corpore, quatenus tunc non noxia corpora tardant.

Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra.

Poteſt animus dicere corpori, quæ dicta ab Oenone ſũt ad Pariden.

Nec me faginea, quòd tecum fronde iacebam.
Deſpice, purpureo ſum magis apta toro.

Non eſt habendus animus deſpicatui: propterea quòd inſideat corpori, nam aptior adhuc eſt, ſi exierit, & diuerterit: appetit ille quidem ſociati rurſus corpori (hæc enim naturalis illi ſedes) ſed incorrupto corpori, & agili & lucido, & obſequenti, & tali qualem reſurrectionis die religio noſtra prædicat habiturum. Nec uerò animus abſcedens à corpore poteſt dici imperfectus, tanquam pars, quæ fuerit deſtituta à reliquis ſibi coniunctis partibus, & careat toto: nam & ſi corporis ſenſus conſtituant unà cum anima rationali, animal (ut ita dixerim) humanum, non tamen concurrunt ad hominis conſtitutionem, ſed ſola id anima rationalis peragit

agit, quæ à beluis ipſum diſiungit. Etenim propter unam rationem homo eſt homo, non propter motum & ſenſum, quæ ſibi communia ſunt cum cæteris animantibus. Quapropter ubi deſerit corpus, non imminuitur hominis dignitas, ſed etiam augetur, quandoquidem grauem & importunum relinquit ſocium multis perturbationibus, procellisq; obiectum,& ſibi ſæpius rebellantem. Ipſa autem ab eo ſecluſa ualidius & perfectius ſuo intelligendi fungitur munere: ex quo etiam uehementiſſimè lætatur. Vt enim homo ex animo & corpore conſtet,tamen potentiſſima eius pars, etiam dum hìc agit, in animo exiſtit. Quamobrem quum ſuperſit, quod in eo potiſſimùm fuit, & eum à beluis diſiungit, ipſe dicitur uiuere: imò dixere quidam, quòd uerus & perfectus homo eſt ille,quem corpore nudatus animus repræſentat. Iſte eſt, quem Apoſtolus (ut dictum eſt) hominem interiorem uocat. Nec mirùm uideri debet: nam inſpicitur in unoquoque, quod in eo ualidiſſimum eſt & potentiſſimum,& ei tribuere nomen & uim totius ſolemus, ueluti quum maior pars populi aliquid geſſit,uel Principes ciuitatis fecerunt, ciuitatem dicimus feciſſe. Sed de hoc hactenus, reliqua uideamus. Anima (aiunt) cum corpore naſcitur, & cum corpore intereat, neceſſe eſt. O`ridiculum ſermonẽ, quaſi uerò inter hæc duo nihil interſit ad id, quod quæritur: corpus enim concretum, & diuiduum, & ex contrariis etiam naturis conflatum, quorum nihil patitur anima, ideò unum ſubiacet ruinæ, alterum minimè. Ac ne illud quidem conceſſerim,animam humanam naſci ſimul cum corpore: id enim quod fingitur in utero, prius eſt animal quàm homo: corpori iam formato accedit intellectus, mens, ratio, natura ex imperfecto paulatim ad perfectum (ſicuti ſolet) progrediente. Supereſt, ut aliud refellatur, quo aduerſarij utuntur. Anima (inquiunt) rationalis non intelligit, niſi per imaginariam cogitationem ſeu (ut Græci uocant) per phantaſma. Cicero huiuſmodi imagines animis ſignatas atque impreſſas uiſa appellat, quo deinceps uocabulo nos utemur, ut latino. Neceſſe eſt (inquiunt) intelligentem uiſa ſpeculari. Quid tum? hoc oſtendit animã eſſe mortalem: nam uiſum non poteſt contingere ſine imagine: imago non eſt ſine ſenſu, nec ſenſus ſine corpore: ex quo fit, ut anima extra corpus non intelligat, & non intelligens non fungeretur propria actione, & qui tollit actionem propriam rei, rem etiam aufert, quia nihil ocioſum rerum natura eſſe patitur: ergo non eſt dare animam extra corpus ſubſiſtentem, & uidetur hoc rectæ argumentationi (ut aiunt) eſſe conſentaneum, ut quum idolorum ſpectaculum,ſine quo intellectus non agit, nequeat à corpore ſeparari, ne animam quidem eſſe ſeparabilem. Hæc illi afferunt, quæ facillimè diluuntur. Fateor nanque non intelligere rationalem animã ſine imaginibus, ſed ea, quæ ſubiiciuntur ſenſibus,& quorum ſenſus ſunt capaces: deficiente enim ſenſu, qui ſpecies à rebus acceptas defert imaginariæ cogitationi, perit omnis ſcientia: quam ſenſus ille ſeu anima illius miniſterio percipere poterat: unde, qui natus eſt in

cœcitate, nunquam colorum diſcet lumina: deficit enim id, per quod ſcientia contingebat: ſed alia, quæ nullo ſenſu capiuntur, & incorporea & abſtracta uocamus, poteſt anima rationalis intelligere per ſe ſine ullo ſenſuum uſu & imaginariis actibus, his non eget ad illa percipienda: atque ita ponimus, quòd duplem habet anima intelligendi rationem, unam per corpus, aliam per ſe ipſam: ſicuti etiam duo quædam eius intelligentiæ ſuppoſita ſunt, corpora ſcilicet, & ea, quæ uacant corpore: corpora, ut intelligat, corporis utitur inſtrumento: alia corpore uacantia ſi percipere curat, non eſt ubi aliò confugiat, quàm ad ſeipſam: & hac in re non ſolùm ſumit ſibi ad intelligendum ea, quæ prorſus ſeparata ſunt à corporibus ſponte ſua, ſed etiam quædam ſeparat ipſa. Quamobrem rectè Sineſius in libro de Somniis, inquit, quòd homo ſæpe, ſed non ſemper intelligit per uiſa: nec inconuenit, quòd homo habeat duplicem intelligendi uiam, una, qua utitur ad corporea, altera ad incorporea: quoniam, ut ipſe ex his duobus conflatus eſt, ita diuerſus ad hæc, & illa fertur: & ſæpè accidit, ut res egeat pluribus actibus, ut aſſequatur id, ad quod nata eſt, quod uno tantùm conceſſo aſſequi non poſſet. Et anima quidem ſic agit iuncta corpori. Sed quid ubi diſiuncta eſt? intelligit etiã corporalia nullis ſenſibus, nullis uiſis commota, quo more? eo ſcilicet quo Angeli & Dæmones utuntur, nec tunc anima ipſa miratur ſe ita intelligere, nec à ſe alienum putat: recolit enim, quòd dum obtenebrata eſſet in corpore, multa & magna per ſe ipſam percipiebat nullo corporis ſubleuata miniſterio: diſpar erit quidem intelligendi modus ab eo, quo nunc utimur, par tamen in eo, quòd proprii corporis non egebit auxilio, ut intelligat. Ac mea quidem ſententia magis congruit animæ rationis compoti, ut ſuaptè ui & facultate intelligat: nam ille alius intelligendi modus per uiſa imaginaria, non adeò naturalis uidetur: illi enim accidit, quia iungitur corpori, quòd intelligentiã in pleriſq; potius implicat, quàm explicat, nam ſenſus ſæpè fallaces, nec minus cogitationes hominum uanæ: ut non ab re à magnis Philoſophis dictum ſit, melius fore animæ, ſi corpori non iungeretur: omnes autem perfectiorem animæ ſtatum extra corpus fatentur, de his loquor, qui immortalitatem ſuſcipiũt, nam alteri unum tantùm animæ ſtatum agnoſcunt. Magna hæc deliratio. Sed uis ne audire aliud, in quo iſtius hæreſis defenſores magis etiam delirant? Noſti inter Philoſophos naturalium cauſſarum ſcrutatores fuiſſe, qui dicerent ſedem humani animi eſſe cor, alij cerebrum putauerũt. Frequentior pars ſanguinem poſuit, hinc Poëta dixit de quodam inter prœlia occiſo, Purpuream uomit ille animam. Vtrum horum uerius non diſcutio, ſed cor uarijs caſibus infici, & corrumpi poſſe conceditur, cerebrum etiam diſpergi & fœdari, ſanguinem effluere & rigeſcere, & ad extremum omnia hæc interire: quod quum contigerit, dicunt nonnulli animam pariter extingui. Hæc rectè dicerentur, ſi ſubſtantiam animæ in corde, cerebro, ſanguine, uel eorum uno ponerent: ſed ſi uolunt membra

bra illa ſedem eſſe animæ, melius diceretur animam ſede ſublata illinc aſſurgere, non autem interire. Inter eos, qui animorum mortem tenuerunt, Ariſtoxenus fuit muſicus ſanè egregius, idemque Philoſophus. Ille artem, cantusque ſuos ad hæc etiam tranſtulit, ſimilitudinemque talem induxit, ut oſtenderet, unde animus oriretur, & quomodo deſineret: Vt enim (inquit) in lyra nerui, ad numeros ſuos aptè intenti concentum efficiunt ſonorum, quem muſici Harmoniam uocant: ſic ſingularum corporis partium firma coniunctio membrorumque omnium conſpirans in unum uigor, motum illum ſenſibilem elicit, efficitque hæc temperaratio, & ueluti modulatio quædam, ut animus ipſe exiſtat, & ſicut in fidibus ubi interceptum aliquid eſt aut relaxatum, canendi ratio turbatur, & omnis illa harmonia ſuperior tollitur, ita in corpore, quum membrum aliquod ab alijs uitium duxerit, diſſident uniuerſa, corruptisque omnibus atque turbatis ſenſus occidit, animusque deletur. Hoc concinnè ſanè & muſicè, ſed impoſſibile eſt rem ita ſe habere. Non enim fides ſua ſponte canentes Harmoniam illam concitare poſſunt, niſi ipſæ antea externa aliqua ui fuerint concitatæ, at nullo membrorum opus eſt pulſu, ut animus moueatur, qui per ſe ſe ipſum quieſcentibus corporis partibus mouetur, & tanta quidem celeritate, ut uno temporis puncto cœlum ambulet, maria peruolet, terras colluſtret, longè lateque ſummota ſibi admoueat, ac præſentia reddat. Ergo uana ratio Ariſtoxeni fuit, qui niſi ſuo artificio tantopere delectatus fuiſſet, facilè peruidere poterat, nulla concordia uel compage elementorum effici potuiſſe, ut intelligeret, ſaperet, meminiſſet, niſi fortaſſe ne mentem quidem ſenſit ſe ſe habere, qua ſimilitudinem excogitauerat. Tantùm profectò abeſt, ut corpori conſonare omnino, aut uelit aut debeat, ut ſæpius eidem diſſonet & repugnet, uel dum uoluptates, quas ſenſus affectant, contemnit, uel dolores, quos refugiunt, amplexatur. Nonne etiam tanto melius excogitaſſe aliquid, & tanto uerius inueniſſe uidemur, quanto magis mentis aciem auocauerimus à corpore? ſegregataque carnis ſocietate animum ipſum ſecum eſſe coëgerimus? ex quo ſatis apertè colligitur officio membrorum conſpirante, uim illam intelligendi & cognoſcendi non creari, quum ea uis retundatur potius terrenis obſepta corporibus, quàm ab illis ulla ex parte iuuetur. Eſt quidem animus harmonia, ſed ſuarum uirium & uirtutum, non partium corporis: ſicuti etiam non eſt numerus, licèt numero, ideſt, ordine & proportione conſtet. Iſte eſt Ariſtoxenus, quem in hoc ſuo argumento irridet Cicero. Nam quum muſicam profiteretur, eique rei præcipuè operam daret, hæc (inquit) magiſtro concedat Ariſtoteli, canere ipſe doceat: bene enim illo Græcorum prouerbio præcipitur. Quam quiſque artem norit, in hac ſe exerceat. Video te in riſum commotum: ſed meritò irriſus eſt ille. Etenim ſi uerè & fortiter philoſopharetur, uel illud uidiſſet, quòd anima eſt ſubſtantia quædam mouendo & regendo corpori accommodata. Harmonia autem per ſe nihil

hil

hil eſt, ſed ineſt alteri, & eſt ueluti aduentitium quoddam : differunt ergo, & unum & idem eſſe non poſſunt. Quæ præterea unquam harmonia aliquod mouit corpus, quod animam facere uidemus? Si diceret, quòd anima per harmoniam corporis illi coniungitur, aſſentirer: ſed non ideò efficitur, ut anima ipſa ſit illa, de qua loquitur, harmonia corporis, ſeu temperatio, ſeu complexio, ut quidam etiam alij præter Ariſtoxenum uoluerunt: nunquam enim corporalium multorum concurſus efficiet aliquod incorporale, nunquam creabit intelligentiam, quam ipſa nulla ex parte habent. Et de cæteris quidem nihil miror, ſubit autem mirari de Galeno, qui doctiſſimus extitit, & princeps in re medica habetur. Is enim in libello, quòd animi mores temperationem corporis ſequantur, de hac animæ immortalitate ambigit, & dicit ſe non uidere cur larga ſanguinis effuſio, & epota cicuta, uel nimium frigus, aut immodicus calor in cerebro, aut corde receptus, habeant uim ſeparandi portionem animæ rationalem à reliquis duabus partibus mortalibus. Ego uero dixerim non habere illa uim hanc ſeparandi, ſed habere uim tamen extinguendi ſenſum & motum, quibus anima per corpus utebatur : his autem extinctis ſola portio rationalis relinquitur, quum commori non poſſit: ubi enim tria ad nexum copulata ſunt, duobus abeuntibus uel extinctis mutatur numerus, & unum fieri incipit, non deſtituens priora, ſed ab illis deſtitutum. Illud autem, quod Galenus proſequitur toto illo libro, animi mores ſequi ex corporis temperie, ut concedatur id perpetuò eſſe uerum, tamen hoc animæ immortalitati non repugnat: itaque hæc diſceptatio relinquenda uidetur, fatendum eſt nihilominus quibuſdam morbis & corpore malè affecto impediri animam, quominus uiribus ſuis, quibus prædicta eſt, utatur. hinc furor & dementia, & diſſipientia, & deliratio, & immenſa rerum obliuio, & ſimilia quædam fluũt, quæ rationis uſum interpellant, excutiunt, obturbant: quemadmodum èconuerſo prudentia in pleriſque maior eſt & ſapientia ex corporeo quodam bono, ſiue ſit illud tenuitas ſanguinis & puritas, ſiue ſpiritus caliditas, ſiue aliud quodlibet. Quapropter non improbo Ariſtotelem, qui in problematis aſſeruit carne molles meliori eſſe ingenio, quàm duros : poteſt enim hæc diuerſitas corporum efficere, & corporum quidem multam perſpicimus uarietatem, qua inter ſe differunt. Animarum uerò, quæ incorpoream obtinent naturam, qualis aut quanta ſit differentia & diſſimilitudo inter unam & aliam in ſui creatione, haud facilè dixerim. A` primo quidem anima eſſe perhibetur, ueluti tabula raſa, in qua nihil eſt inſcriptum, poſtmodum ſociata corpori intelligit ſenſibus ducibus uarias ſibi formans imagines, ex quibus ad ratiocinationem ſeu cognitionem ſit gradus, dum uiſa diuidit & componit, & ex aſſumptis elicit concluſiones. Is autem cognoſcendi & intelligendi modus, ubi ſeparatur à corpore, interit, ut iam dictum fuit, alius autem inſurgit nobilior, quo tunc utitur: qualis autem ſit, poſterius (ſi tempus appetet) forſitan aperie-

aperietur. Veruntamen, dum anima iuncta adeſt corpori, multa ex corporis affectionibus agit & patitur, & illa conſequuntur, ut pro corporis habitu melius, uel deterius uires ſuas exerceat. Rurſus urgent quidam quærentes utrum animus, quem facimus immortalē egeat conſeruatore Deo an non? Si negauerimus, abſurdum putant: Si etiam quærunt rurſus, quomodo natura ſua immortalis exiſtat animus, qui alio eget conſeruante. Reſpondetur, animum conſequi immortalitatem non à ſe, non enim ſe ipſum genuit: ſed ab eo, qui illum condidit, nec repugnat aliquid è conditione naturæ ſuæ eſſe immortale, & conſeruatore indigere, quia illo modo conditum ſit: ſicut cœlum, quod natura incorruptibile eſt: adhuc tamen eget Deo, qui quod dedit, conſeruet. Omnia namq; creata, ſicut prius non fuerant, ita eſſe deſinerent, & in nihilum, unde ſumpta ſunt, reuoluerentur, niſi præſentia facientis aſiſteret, & eadem ui, qua ſunt condita, tenerentur. Vrgent adhuc nec remittunt, & ſimulant mirari, quòd immortalis animus iungatur mortali corpori. Debuit enim & ipſum immortale creari, quod futurum erat habitaculum immortalis animi. nam ſimili argumento oſtenditur, cœlum eſſe æternum, quod æternarum ſit habitaculum ſubſtantiarum, ſic locus ipſe reſpondet æternitati eius, quod recipitur, nunc uidetur natura animo non longæuo, ſed (quod auctius eſt) immortali, ſubieciſſe corpus breui periturum: ut eo diuerteret, non ut commoraretur, quod quoniam exiſtimatur abſurdum, conijcitur animum cum corpore unà interiturum, ut par ei locus aſſignatus uideatur. Hæc illi latiſſimis explicant uerbis, adeò locus iſte magnum occupat in dicendo locum: nos autem paucioribus egimus, nihil tamen, quod ad rem attineat, prætermittentes. Sed tamen hæc non rectè obijciuntur. Etenim, ut concedam animum eſſe in corpore, non tamen corpus illius eſſe propriè locum concedo, quandoquidem non ſuſtinetur animus à corpore: ſed ipſe illud ſuſtinet, & ei regendo præſidet & moderatur, & is eſt animus, qui corpus informet. Cur autem quod immortale eſt, iunctum fuerit mortali, cuilibet occurrere poteſt id eſſe factum, ut plena ratione mundus conderetur. Creauerat ſummus rerum opifex immortales Deos (ut ueteres loquebantur, nos Angelos uocamus) ſola mente & intelligentia conſtantes. Creauerat quoque bruta animantia mortalia, ſenſibus corporis congruis prædita. Reſtabat ad plenæ generationis cumulum, ut tertium quoddam formaretur, quod neutrum foret, utriuſque tamen eſſet particeps, ideſt, quod partim immortale eſſet, partim mortale. Itaque formatus eſt homo, medius inter Deos & bruta animantia, utraque complexus extrema: nam datum eſt illum habere cum dijs communem immortalem mentem, & cum animantibus brutis commune corpus mortale, ut nodus quidam è diuerſis duobus colligatus. Ex hoc perſpicitur uis etiam diuinæ potentiæ, quæ res inter ſe maximè diſtantes copulauit. Quid enim tam diſtans eſſe poteſt, quàm corporeum ab incorporeo, quàm uiſibile ab inuiſibili, quàm terrenum

renum à cœleſti, quàm tenebroſum à luminoſo, quàm denique, quòd materiæ pollet denſitate ab eo, quod omni caret tumore? At hæc duo inter ſe diſiunctiſſima tam ſuaui uinculo, tanta pace, concordiaque Deus agglutinauit, ut nunquam cupiant (ſi fieri poſſet) diſſociari. Etenim (ut ait Apoſtolus) Ipſi nos primitias Spiritus habentes ingemiſcimus, & nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri. Succedit nunc argumentum aliud, ſed leue uel nullum potius, quo Lucretius utitur.

Quòd ſi immortalis noſtra foret mens.
Non tam ſe moriens diſſolui conquereretur.
Sed magis ire foras ueſtemque relinquere, ut anguis Gauderet.

Equidem commemorare poſſum multos pios & ſanctos religionis noſtræ uiros, qui fauſtum ſibi & iucundum illum diem auſpicabantur, quo ueluti aues è cauea liberum in cœlum emitterentur: non enim decet, nec fas eſt, niſi iuſſu ſupremæ poteſtatis exire, nec gaudent ueſtem relinquere (ut ait Lucretius) ſed cupiunt ſe ſuperueſtiri (ut ait Apoſtolus) quod ſperant ſibi aliquando contingere maxima cum gloria, tum ſcilicet quũ ultimo iudicij die reſurgent. Quot præterea ueterum infidelium mortem forti animo contempſerunt in bello, & in morbis, & in carcere, & ubicunque hæc ſe eis obtuliſſet? Vulgus autem hominum fortaſſe diſſolutionem hanc perhorreſcit, non quòd animus de ſe non præſagiat in poſterum, ſed quia eos mouet hæc uita magis, quàm altera: hæc enim uidetur, illa creditur: hæc in uſu eſt, illa in cogitatione tantùm, huic aſſueuimus, illam nunquam experti ſumus: hæc mouent humanos ſenſus, quos exuere & penitus deponere libenti animo, ubi uſus tulerit, rationem, ut optimam ducem ſequentes ſummæ eſt prudentiæ, quæ pleriſq; non contingit. Illud etiam ſcrupulum inijcit religionis noſtræ hominibus ſumptum ex Apoſtolo, qui ad Timotheum ſcribens, & de Deo uerba faciens, ſolus (inquit) habet immortalitatem. Si ſolus: ergo nulli alij immortales ſunt: ergo ne animi quidem erunt immortales: repugnant enim hæc nullos eſſe immortales, & quoſdam eſſe immortales. Hoc turbat aliquos, qui non intelligunt, quòd Deus dicitur ſolus habere immortalitalitem, quia à ſe ipſo habet immortalitatem, cætera, quæ immortalia exiſtunt, non habent niſi eo largiente. Sicut enim ſi uiderem in urbe hac (liceat ſic fingere) quendam ſummum uirum, qui opes aſſiduè fluentes & inexhauſtas poſſideret, & eas quotidie ciuibus ſuis & aduenis diuideret, ſolum hunc diuitem uocarem, cæteros dicerem mendicos, non quo ipſi non eſſent diuites, ſed quia diuitias haberent alio largiente, eſſent autem quantum in eis eſſet pauperes, & quia non ſufficientes haberent diuitias, quas omnibus poſſent impartiri. Sic dicendum eſt de Deo, quòd ſolus habet immortalitatem, quia non aliunde ſuſcepit, ſed à ſe ipſo habet: unde non tam immortalis ipſe eſſe, quàm æterna eſſe immortalitas dicendus, à qua cæteræ immortalitates fluunt: noſtri animi participes ſunt huius immortalitatis illo dante, & non ſunt ſi-

ne immortalitate, ſed non ſunt ipſa immortalitas: hinc propriam quidem habent immortalitatem, ſed alijs elargiri non poſſunt. Clamant quotidie Sacerdotes in templis ad Deum, dum rem faciunt diuinam. Tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus. Si ſolus ille ſanctus: ergo inter homines nulli ſancti? fuerunt & ſunt plures huiuſmodi, & latè patet ſanctorum numerus, ſed non ſunt ipſa ſanctitas, ſicut ille, ſed huius tantùm ſanctitatis alieno munere participes. Sunt autem, qui ſoli Deo tributam immortalitatem putant ab Apoſtolo, quia ſolus eſt immutabilis ille, qui ait penes Malachiam Prophetam. Ego Dominus & non mutor: nihil enim illi naturæ accedere, uel decedere poteſt, ut proficiat in melius, uel deficiat in deterius, uel ut incipiat habere, quod prius non habebat, & deſinat non habere, quod prius habebat. Vnus eſt ille ſolus, nullas in ſe recipiens partes, non habet in ſe, quæ ad numerum diuidat, nec quæ ſimul componat: uerè unus, non unitus: & quod eſt uerè unum, neceſſe eſt, ut immutabile ſit. Sed quantum ſint mutabiles animi noſtri, dum manent in corpore, quid attinet dicere, quod in ſe unuſquiſque quotidie experitur? incurſant enim animos cupiditates, ſpes, gaudia, terrores, dolores, multiplices uirtutes, & uaria uitia, memoria & obliuio, ex aliis ad alia fit aſſiduè tranſitus: ubi autem quid mutatur, perit id, quod prius erat, & ingreditur aliud, quod non erat. Itaque ſi tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas? Vera nanque immortalitas ſicut mutationem non habet, ita nec finem. Agnoſcant itaque animi hîc manentes, non modicam ſibi deeſſe immortalitatis partem: ſoli Deo cedant integram perfectamq; immortalitatem, apud quem, ut utar Apoſtoli uerbis, non eſt tranſmutatio, nec uiciſſitudinis obumbratio. Quum autem exeuntes è corporibus in beatam illam cœleſtem peruenerint patriam, ſi immutabiles ſunt, id magno Dei contingit munere. Similiter ſi qua ſunt alia, quæ non mutentur, non id illis propria tribuit natura, ſed aliena indulget gratia, ſolus igitur immortalis Deus, quia ſolus undique immutabilis eſt à ſe ipſo, nullo largiente, ſolus ille ſummam & abſolutam habet immortalitatem, cætera quandam habent ſuis finibus circumſcriptam. De hac ſumma & abſoluta immortalitate loquutum Apoſtolum exiſtimamus. Expoſui ferè omnia, quæ ab aduerſariis obiiciuntur, & quibus illi pro ſua cauſſa potiſſimùm innituntur: his reſponſum fuit, ut uides: nonnulla etiam alia adducunt, quæ prætermiſi, quoniam leuiora exiſtimaui. En tibi immortalitatem, de qua quærebatur, & quam oſtendi poſſe, diſputando diximus. Omnia autem, quæ dicta ſunt, referantur ad unam notitiam conditionis noſtræ. Quid igitur ſumus? Corpore ſumus fragili, animo ſtabili, hoc quod uidetur, paruo finitur tempore, aliud, quod non uidetur, nullo: demum in uaſis fictilibus theſaurum incorruptibilem geſtamus. Atha. Tu uerò pro immortalitate acriter pugnaſti ueluti collatis ſignis, ita, ut toto aduerſarios campo fugaſſe uidearis. Cogor autem mirari, unde id ſit, quod quum tam firmæ

G efficа-

efficacesq; rationes animi immortalitatem oſtendant, & quæ contra obii ciantur, tam ualidè refellantur, quòd plures reperti fuerint etiam ex Phi loſophantibus, qui contrarias partes ſequerentur. MAR. Ego quidem initio dixi id malum à primis Philoſophis inductum, qui magno nomine in Græcia extiterunt: hi enim, quum omnia corpora eſſe putarent, animam quoque humanam in eorum numero poſuerunt: hinc quod erat cõ ſequens, tenuerunt, eam finiri, quum homo è uita excederet. Sed alias quoque cauſſas afferre poſſum, quæ magis propriè ad quoſdam pertinent, ut minus mirum ſit multos deinceps eſſe ſequutos. Nam ut omittam diuinæ prouidentiæ inſtituto errorem latè uagari, quo ueritas aduerſarios habens magis illuſtraretur & eniteſceret, & captiuam ueluti ducẽs falſitatem triumpharet: ut hoc inquam omittam, quod aliàs latius attigimus, ruditas ingeniorum & infirmitas plerunque in cauſſa huius erroris fuit: nam plerique, & ſi principio uera uident, tamen ubi ad diſceptationem uentum eſt, & contraria audiunt, neſcientes ea diſſoluere, quòd ingenio ſuo ſint ſuperiora, à ueritate deſciſcunt, quod non rectè fit: ſtultum eſt enim ſi nequeas obiecta refellere, ſapientum opinionem relinquere: & quolibet linguæ uentilabro circunferri. Talis fortaſſe Plinius extitit naturalis conditor hiſtoriæ, ubi contra hunc perpetuum animorum ſtatum plura garrit. Affectus etiam in alteram pendens partem non ſinit hominem liberè iudicare. Putas ne Sardanapalum opulentiſſimum Aſsyriorum Regem de immortalitate aliquid cogitaſſe? qui aſsiduè Veneri & Baccho indulgebat, qui laſciuia, qui delitijs fœminas omnes ſuperabat, qui iuſſit in eius ſepulchro inſcribi, Ede, bibe, lude: & quum te mortalem noris, exple præſentibus delitiis animum, poſt mortem nulla uoluptas: huic, qui ſimiles ſunt, rident ubi audiunt.

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna.

Hi ſunt, qui (ut uerbis utar Catonis penes Salluſtium) falſa credũt, quæ de inferis, memorantur diuerſo itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda, atque formidoloſa habere: dicunt enim mortem omnia diſſoluere, ultra neque curæ, neque gaudio locum eſſe. Itaque præſentibus fruuntur quantum poſſunt: nec mirum eſt ita illos ſentire: pecorum uitam degunt, & humanam animam nihil ab ea, quæ in pecudibus eſt, differre exiſtimantes, utranque pariter in ipſa morte euaneſcere, arbitrantur. Quoſdam diſciplinæ, cui ſe addixerant, uis rapuit. Itaque quicunque ex Epicuri grege fuerunt, aut ijs interitus animæ tenendus, aut ſuſceptæ Philoſophiæ nomen amittendum. Non mirum, Lucretium mortem animæ tenuiſſe, non etiam Lucianum, ambo ex eodem poculo biberant, ambo magiſtrum Epicurum ſequebantur. Nam ſi tenuiſſent diſceſſum animæ à corpore eſſe in alia loca migrationem, non extinctionem, maximo & grauiſſimo præceptoris oraculo repugnaſſent, quo mortem cenſuit nec ad uiuos, nec ad mortuos pertinere, quoniam alteros non attingeret, alteri non eſſent. Illud tamen in praua ſententia Luciani egregiũ,

quod

quod ne uolens quidem obliuiſci poſſum: Nam dum Dialogos fingit mortuorum, illa, quæ uulgo credebantur, de Minoe, de Charonte, de Cocyto, de Stigia palude, portenta ſanè poëtica, irridet uel potius gentium ea in re erroribus inſultat. Quid? ſiquis Ariſtotelicæ ſe ipſum dediderit diſciplinæ, admirans huius Philoſophi ingenium, acumen, facundiam, eruditionem, & audierit Ariſtotelem extinctionem animi poſuiſſe, non auctoritate tanti uiri, atque adeò tanti nominis gloria adductus eodem trahatur? quod Alexandri Aphrodiſei contigit temporibus, qui floruit Antonino Imperante. Is enim quum placita Ariſtotelis iã diu occultata & incognita, tum primùm protraxiſſet in medium, & prædicaret animam humanam apud Ariſtotelem morti eſſe obnoxiam, multorum mouit aſſenſum, ut eadem crederent. Accipiebant enim ab Alexandro, qui unicus tunc Ariſtotelis interpres habebatur, eam eſſe Ariſtotelis ſententiam, & Ariſtotelem, ut ueritatis Iudicem amplectebantur. Obeſt igitur plerunque auctoritas, nam ubi incidit in errorem, alios etiam incautos errare cogit. Et hæc quidem nunc occurrunt, quibus exiſtimem, cur olim multi crediderint humanam animam unà cum corpore pereuntem. Placet etiam mihi, quòd Iulius amicus & familiaris noſter in hac peripatetica philoſophia, quæ propè ſola hodie celebratur, multùm diuque uerſatus, idemque medicus nobiliſſimus exiſtimabat. Is nãque aſſerebat priſcos Philoſophos atræ bilis uitio captos in maximis & notiſſimis rebus erraſſe & deliraſſe: ueluti eos, qui non plura, ſed unum tantùm in mundo ponebant. Item eos, qui nihil eſſe in mundo, ſed uideri tantùm prædicabant, & alios, qui nullum eſſe Deum aſtruebant, & illos quoque, qui continuum infinitam pati ſectionem negabant: atram enim bilem, tam & ſi ingenioſos faceret, tamen dum pluſquam ſatis eſt premeret, concitare in opinionum inſaniam: nec ſinere eundem à ſuſcepta ſemel ſententia diuelli. In horum numero (ſi bene recolo) etiam eos reponebat, qui ut pecudis, ita hominis animam euaneſcere aſſeuerabant. ATHA. Feſtiuum eſt ſanè, quòd amicus ille noſter cenſet, incidere homines in opinionum inſaniam atræ bilis uitio. Sed num tu id ſequeris? MAR. Sequor equidem, nolim tamen huius ſententiæ ueritatem periculo nominis mei præſtare, ſed ad ipſum te dimitto auctorem: ego enim tibi ſuadeo, ut quamprimùm conuenias uirum, ut te planius doceat, quod & quantum ſit hoc atræ bilis uitium, quod conijcit in inſanam doctrinam etiam eos, qui ætate ſua opinione ſapientiæ clari fuerunt. Eſt ille non ſolùm Philoſophiæ, ſed etiam medicinæ literis inſtructiſſimus. Quamobrem poterit tibi cunctas atræ bilis actiones copioſè & dilucidè effari. ATHA. Optimè mones, itaque id exequar captato temporis articulo. Noſti enim, quàm ſit ualdè in ægrotorum curatione occupatus. MAR. Noui quod dicis: nam ad eum confugiunt omnes tanquam ad medicinæ quendam Deum, & ego fœlicem eius operam in me meiſque aliquando expertus ſum. Itaque obſeruato hominem, ut

uacuum aggrediaris. Interim uenit in mentem Carneadis Academici, qui aduerſus Zenonis Stoici libros ſcripturus helleboro ſe ipſum purgaſſe dicitur, helleboro autem conſtat atram bilem expelli: hanc ille exiſtimaſſe pariter uidetur poſſe hominem in falſas & ridiculas opiniones inijcere, ſi corrupta & uitioſa eſſet, Porphyrius quoque de ſe tradit, quum aliquando in meditatione ſemetipſum interficiendi eſſet, id animaduerſum à Plotino præceptore fuiſſe, ac dixiſſe illud mentis ſanæ non eſſe ſtudium, ſed animi atra bile concitati furorem, iuſſumque ab urbe diſcedere, quod quum feciſſet, loci mutationem ſibi profuiſse. Traditum eſt quoque de Eurylocho Elienſe ingenij accerrimi Philoſopho, qui Pyrrhonem audiuerat, miris modis atra bile uexatum fuiſſe, aliquando autem ſic percitum eo morbo, ut quum in Elide uarijs & diuerſis multorum quæſtionibus agitaretur, ac reſpondendo eſſet fatigatus, pallium abiecerit, & Alpheum fluuium tranauerit. Ferunt quoque ſic indignatum interdum aduerſus coquum, ut arrepto ueru cum carnibus uſque in forum fuerit illum perſequutus. Exiſtimant quidam Phauorinum Academicum ſequuti hanc affectionem aſſe Heroicam, proferunt in exēplum, Herculem, Aiacem, Alchemœonem, Athamantem, Bellorophontem, qui omnes furentes inducuntur. Mihi furor ita placet, ſi is contingat, qui in Phædro à Platone laudatur. Sed de his ſatis ſuperque dictum ſit.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE IMMORTALITATE ANIMI,

LIBER QVARTVS.

MARCVS.

NVNC ergo Marce poſtquam animorum immortalitatẽ præclara oratione, & docuiſti, & defendiſti, & cauſſam erroris eorum, qui contrariam ſententiam complexi ſunt, aperuiſti, uellem, ut reliqua perſequaris. MAR. Quæ tandem reliqua? ATHA. Quia hic quæri poſſe uideo, qui ſit animorum ſtatus recedentium, quæ uita, quæ conditio manendi, quæ in loca profectio, nam mors contingit homini diuiſione duarum primarum partium, quæ coniunctæ illum conſtituebant, hac corpus, illac animus. Et corpori quidem, quid contingat exanimo, nihil attinet dicere: palàm enim ſunt omnia, iacet illud immobile, & mox reuertetur in terram, & reliqua elementa unde ſumptum fuerat. Sed illud ſcire uellem, nunquid aliquid referat ſepulchrum habeat nec ne. Dixit enim Poëta quidam non ignobilis ſepulchrum corporis eſſe portum. Exiſtimabant antiqui eos, qui inhumati iacebant, ubi inferos petiuiſſent, errare per multum tempus circa Stygiam paludem, nec prius quieſcere, quàm propinquorum & amicorum ope nacti eſſent legitimam uel imaginariam ſepulturam: erat autem imaginaria, quæ abſente corpore fiebat eiſdem cœremonijs ſeruatis: tunc enim tranſmiſſa palude ad quietis loca proficiſcebantur. MAR. Fabuloſa hæc ſunt Athanaſi, quæ memoras à prudentibus nunquam credita, quanuis Poëtarum ore ſuauiſſimè canerentur. Ego nihil intereſſe puto, ſepultus quis, an inſepultus iaceat. Quòd ſi aliquid intereſſet, malè actum fuiſſet cum Martyribus noſtris illis temporibus, quibus hæc religio omni tormentorum genere oppugnabatur, nec poterat expugnari. Tum enim Martyrum corpora laniata, & lacerata uel feris obijciebantur, uel in mare proijciebantur, uel flammis aduſta & in cineres conuerſa uentorum flatibus permittebantur; ipſos autem morte iam obita nihil incommodi

tuliſſe,

tuiſſe, perſpicuum, quin nec ethnici ipſi ſoliciti uidentur fuiſſe de ſepulchro. Hinc illud Poëticum memoratur.

Facilis iactura ſepulchri. Et illud

Tegitur cœlo, qui non habet urnam.

Demonax Philoſophus, cuius aliquoties in ſuperioribus memini, quum in extremis ageret, & diſcipuli quærerent de ſepultura. Nolite (inquit) de hoc eſſe curioſi: odor me ſepeliet. Sic oſtendit uir prudens ſe de hoc genere non laborare. Vehementius & longè fortius Theodorus Cyrenaicus Philoſophus, cui liberius loquuto, quum Lyſimachus Rex crucem minitaretur. Horribilia iſta (inquit) minitare purpuratis tuis, Theodori quidem nihil intereſt, humi an ſublimè putreſcat: pertinet hoc ad propinquos & amicos ſuperſtites, præcipua autem cura hæredum eſſe debet, ut reddatur terræ corpus, & quaſi operimento matris obducatur. Tantam autem dignitatem putatur habere humanum corpus, quòd ſibi coniunctum habuit animum, rem ſanè ſacram, cœleſtem atque diuinã, ut illud mandare ſepulchro, ne à uolucribus & feris diripiatur, inter pietatis opera numeretur. Hinc fabula illa notiſſima de eo, qui quum humanum cadauer proiectum uidiſſet, humareque uellet, dum effodit ſepulchrum, inuenit, theſaurum, quaſi Dijs pro mortuo gratiam referentibus. Et humanitas quidem tumulari mortuorum corpora poſtulat, quamobrem fuſis prœlio hoſtibus reddebant uictores occiſorum cadauera ſuis repetentibus ad ſepulturam, idque adeò peræquè ab omnibus obſeruabatur, ut ſi ſecus fieret, uiolari ius gentium exiſtimaretur. Ipſa admonet natura parcendum eſſe ijs, qui iam fato ſuo functi ſunt, & amplius nocere non poſſunt, & ut Poëta inquit.

Nullum cum uictis certamen, & æthere caſſis.

Illud tamen tenendum, ſi intumulatus quis iacuerit, nec nocere id corpori, quod caret omni ſenſu, nec animo, qui illud relinquens aufugit, nec mouere debet corruptio, quæ etiam rite conditum, multisque obuolutum integumentis ſequitur. Atha. Audiuiſſe tamen & legiſse potes quoſdam inimicorum ſæuiſse in cadauera, eaque laniaſse, nec paſsos ſepulchro mandari. Mar. O` magnam ſtultitiam: quid enim proficit cadaueris laniatio? quid in cloacas proiectio? Etenim quicunque ulciſci illatam contumeliam cupit, id potiſſimum agit, ut quàm acerrimum inimico inurat dolorem, ſed in laniatione cadaueris ubi dolor? ubi gemitus ſentientis? non enim ſi dolet animus ſine corpore, ita è conuerſo dolet corpus ſine animo: quid igitur iuuat ſæuire in mortuorum cadauer? quod L. Sylla fecit, C. Marij cadauere exhumato, num ut miſerum faciat? ſed ubi nullus ſenſus eſt, ibi miſeria contingere non poteſt.

Ter circum iliacos raptauerat Hectora muros,

quem Hectora? uerius, quod Hectoris fuit raptaſti. Nam ipſe Hector iam deſeruit locum, longè hinc auolauit. Imprudens ergo Achilles, ſi tunc ſe lædere Hæctorem putabat, qui tamen inſimulatus à Græcis, quòd

Hectorem

Hectorem Priamo reddidiſset, ſapienter reſpondit penes Pacuuium: Corpus Priamo reddidi, Hectora abſtuli. Ciceroni immiſſi ab Antonio milites poſt auulſum humeris caput, manus etiam abſciderunt, eas in Antonium ſcripſiſse improperantes. adeò ſtolida crudelitas, ut ſæuiat, etiam ſi nihil proficiat. Quid enim? num diffingi abſciſſione manuum aliquid potuit eorum, quæ ſcripta fuerunt? Imprecatur Virgiliana Dido iam moritura Aeneæ plurima. Extremum illud eſt. Sed cadat ante diem: hoc cadere ante diem poteſt aliquid habere pœnæ: nam eripitur uita, & cum ea cætera omnia, quæ delectabant, at illud, quod ſequitur uanum. Mediaque inhumatus arena. quid ſi humatus eſset, num melius haberet? idem Poëta

Scilicet ut Turno contingat regia coniux,
Nos animæ uiles, inhumata infletaque turba.
Sternamur campis.

Vt enim ſterni campis miſerum ſit, num inhumatũ proijci erit miſerum? aut etiam infletum relinqui? quaſi uiuentium lachrymis poſſit mortuus excitari. Præclarè Lucanus in Pompeianæ necis deſcriptione. Nam quum occiſus Pompeius fuiſset ab Aegyptijs, ad quos bello uictus à Cæſare, auxilij gratia confugerat: & æthera poſt mortem, (ut ille uoluit) conſcendiſset.

Vidit quanta ſub nocte iaceret Noſtra dies.

Erat enim ingenti Stellarum lumine circunfuſus: at iacet inſepultus in littore abſciſso etiam capite, non ille quidem, ſed eius truncus: at moleſtè fert minimè, ideo ſubditur.

Riſitque ſui ludibria trunci.

Ridenda hæc potius ſapientibus uidentur, quàm flenda: quid enim attinet inferre uim cadaueri? Primùm ſenſu omni caret: deinde ſi cupis corruptum uidere, expecta paululum, iam ipſum natura diſſoluet cum odore etiam tetro, nec ſecus tuo accidet corpori, quàm illius. Natura affectum eſt corpus friuolum & tabidum, ut hominibus potior eſſet animi cura quàm corporis. Simul & illud perſpice, ſi humana corpora eſſent incorrupta, quomodo omnia plena eſſent cadaueribus, nulla ſepulchra eorum multitudinem capere ualerent: aut ſi inſepulta manerent, omnem terræ ſuperficiem occuparent. Ineptè autem quiſquis dixit, ſepulchrum corporis eſſe portum. Nam, ut in eadem perſtem ſimilitudine, quæro num portus ad nauem pertineat potius, an ad nauigantes? Ego exiſtimo potius ad nauigantes pertinere. Similiter dixerim, portum, ideſt locum quietis & ſecuritatis ad animum potius pertinere, dum in corpore reſidet, & eius præſidet regimini, & in eo quodammodo nauigat: ſed ubi abijt de corpore, non magis corpus inanimum curat ſepulchrum, quàm nauis portum, cuius eadem eſt cauſſa, ſiue in portu maneat, ſiue iactetur fluctibus, & mergatur: ſenſu enim omni uacua eſt. Improbatur igitur rectiſſimè, quod in corpus mortuum quiſque ad eius iniuriam molitur:

tur: quanto autem magis conuenit omni in cadauera fungi benignitate?

Et tumulum facere, & tumulo ſuperaddere carmen?

Exequijs præterea, ludis, canticis, certaminibus, & omni reliqua funebri pompa, quam mos patruus requirit, memoriam defunctorum decorare? quod etiam pertinet (quod multo eſt faciendum magis) ad acuendam uiuentium uirtutem. Magnum eſt enim gloria incitamentum laborum. Olim extruebantur ſepulchra in uijs publicis, nunc Chriſtiano ritu teguntur defunctorum corpora in cœmiterijs eccleſiarum uel tẽplis: quæ loca ſanè ſunt conſecrata. Cur id fiat, à Theologis noſtris requires, ne uidear, quæ illorum ſunt uſurpare. Credo autem id factum fuiſſe, quia locus ipſe ſacer admonet, ut pro defunctis fundamus preces ad Deum, quo citius illi à purgatorijs pœnis exoluantur. Imaginaria autem ſepultura, quam Græci Cænotaphium uocant, ideſt inane, uel uacuum ſepulchrum, quo ueteres frequentiſſimè utebantur, in uſu penes nos eſſe deſiit: ſed quid ago? Neſcio enim quomodo ab immortalitate animorum, de qua propoſita fuit quæſtio, defluxit ſermo ad corporum ſepulturam. Atha. Ego in cauſſa: nam dum expecto ſcire quid contingat corpori poſt mortem, & an aliquid incommodi ſuſcipiat, ſi intumulatum iaceat, huc delapſi ſumus, ut de corporum ſepultura loqueremur. Sed ſit hæc, ſi ita uidetur, digreſſio uel aberratio ab inſtituto. Ex hoc tamen colligitur mortem pio bonoque uiro non eſſe metuendam, quæ malum non afferet, ſed mali finem: nam ubi præſtituta die hæc aduenerit, non patietur corpus aliquid omni ſenſu emortuum: animi etiã uires acriùs uigent. Verùm, ut redeamus unde defluximus, poſtquam damnata eſt eorum opinio, qui mortalem faciunt animum, & nihil homini putant poſt ſupremum plus eſſe, quàm fuerit ante primum diem, immortalitatemque complectitur pro uiribus: ſupereſt nunc, ut dicas, quod immortalitati eſt proximum, uel connexum potius & coniunctum, ubi exceſſerit animus à corpore; qualem agitet uitam, qui ſit eius ſtatus & potiſſimùm explicandum tibi diligenter, ad quæ loca proficiſcatur. Mar. Rectè mones: nam plerique ab hac ſententia immortalitatis fugiunt, quòd nullum eſſe locum in hoc orbe putant, quo animi, ſi poſt mortem corporis manent incolumes, recipiantur. Abſurdum eſt enim, ſi animorum ſeiunctorum nullus eſt locus, dicere, quòd ſuperſint, quandoquidem nihil ſit, quòd alicubi non exiſtat: quomodo autem id colligant, exponam, niſi tibi moleſtum ſit. Atha. Imò hoc maximè cupio audire. Mar. Neceſſe eſt (inquiunt) animum ubi à corpore deceſſerit, aliquo eſſe loco, nam nullo dici non poteſt, nam, ſi tunc exiſtat de corpore fugiens, agit aliquid, nam aliter eſſet ocioſus, quod non admittitur: agit autem, ergo alicubi exiſtit, agens nanque agit ubi exiſtit. Non etiam poſſumus tribuere ſubſtantiæ finitæ, quod propriè conuenit infinitæ: Deus nanque, quia ſubſtantiæ eſt infinitæ, eſt omni in loco & extra omnem locum, hoc, quod tanti eſt, animo non competit: quo igitur

tur erit in loco? Hic ego ſi tergiuerſari uellem, poſſem dicere me neſcire, quod interrogatur: Multa enim rerum ignorantia, multa caligo nos premit, ut non omnia, quæ cupimus, ea ueluti ſcientes abſoluamus: Dicis neceſſe eſſe animum diſiunctum alicubi uel nullibi exiſtere: concedam neceſſarium id eſſe, non tamen poſſe de loco decernere, ſatis mihi ad immortalitatis demonſtrationem, quòd exiſtant exeuntes: ſtellas has, quas fatemur eſſe, neceſſe eſt pares eſſe aut impares. Roga utrum horum ſit, dicam me non numeraſſe, nec numerari à quopiam mortalium poſſe, ideo neſcire pari ne ſint, an impari numero, nec ſequi continuò me neſcire ſtellas, imò ſcio: non enim ſi non omnia, quæ in re ſunt, & uellem ſcire, teneo, ideo adimendum mihi eſt, quod ut certum ſcio. Ego tamen hac in re reſpondere uolo, quòd maiorum tradit auctoritas, & ratio omnis ſuadet: alicubi igitur animorum eſſe ſtationem dicendum eſt: ita tamen, ut non ſedeant tanquam in loco, ſed diffiniantur tamen loco: nam ita eſt eorum aliquis ibi, ut non ſit alibi: non enim infinitam tribuimus eis ſubſtantiam & uirtutem. In qua ergo uniuerſi parte locamus? Sunt qui dicant extra cœlum hoc, quod perſpicimus, non extare, quia forſitan nullum locum cœlo ſuperiorem arbitrantur, & hanc extremam oram, determinationemque mundi habent. In cœlo autem, ubi uoluuntur ſidera, ne hîc quidem animos hos collocant: ad quam enim rem ibi collocentur? habent enim orbes illi motores proprios & ſibi congruẽtes: at propter ſtellam, ne hoc quidem dici poteſt, quum habeat ſtella quæque duces ſuos, nec animis ſibi coniunctis quicquam decoris, aut perfectionis acquirat: ergo illic fruſtra erunt, nihil agent, nihil molientur, quis hoc dixerit? non enim ſi nobilis ſit locus, ideo ocioſos recipere debet, imò tanto minus debet, quanto nobilior: nam quodcunque opus non habet proprium, fine caret, qui mouet agentem, ideo ocioſum manet, ſed in rerum natura nihil eſſe ocioſum omnis Philoſophia exclamat, ergo illic ſuperuacaneè animi non erunt: at in regione ſublunari. Si damus his igitur igneum uel aëreum locum, non rectè faciemus. ille enim Dæmonum locus, ut Philoſophorum etiam placita ſequamur. Differentia nanque & diſtincta ſubſtantiarum abſtractarum conuenit eſſe habitacula: non etiam illic manerent propter aliquod uniuerſi bonum, quod oſtendi poſſit, nam ad omnia inferiora Dæmonum poſſunt ſupplerè miniſteria. Hoc argumento commoti quidam, quum non reperirent locum congruum, in quo animos collocarent, huc adducuntur iterum, ut immortalitatem negent, nam ſi ſunt, aliquo morari loco putant ſibi concedendum, ſed nullum habent locum, nullum habitaculum, quod haberent, ſi eſſent immortales, igitur ne ſunt quidem. Hæc illi obiectantes num tibi nihil, uel aliquid dicere uidentur? ATHA. Mihi uerò aliquid, itaque expecto quid ad iſta. MAR. Mihi uerò ita loqui uidentur, quaſi ſit quiſquam, qui immortalitatem animis tribuat, & non eiſdem locum aſſignet, intra quem uerſentur. Variæ autem hac in re extitere ſen-

H tentiæ,

tentiæ, non ſolùm Doctorum, ſed etiam indoctorum, nec paucorum tantùm, ſed nationum quoque & populorum, nec in Chriſti eccleſia modò, quæ animorum immortalitatem præcipuè complexa eſt, ſed uetuſtiſſimis quoque temporibus res agitata eſt, & penes alios diuerſarum religionum ritibus imbutos. Illud modò uidendum & diligenter inquirendum, quæ uerè, quæ falsò proferantur, ut unis dimiſſis, altera teneantur. Et uulgò quidem olim credebatur, animos poſt corpoream hanc functionem ſubterranea habere habitacula, ibiq; malos pœnis cruciari ingentibus pro ſceleribus, quibus uiuentes ſe ſe contaminaſſent, ſi qui tamen expiabiles & delebiles contraxiſſent labes, hos purgari, neceſſe erat.

Ergo exercentur pœnis, ueterumq; malorum
Supplicia expendunt: aliæ penduntur inanes
Suſpenſæ ad uentos, aliis ſub gurgite uaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Vt Virgilius noſter memorat. Vbi autem purgati eſſent, tranſmittebantur tunc ad Elyſium, ideſt, locos lætos & amœna uireta.

Fortunatorum nemorum, ſedesq; beatas,
Largior hîc campos æther & lumine ueſtit
Purpureo, ſolemq; ſuum, ſua ſidera norunt.

Hæc etiam loca incolebant hi, qui honeſtè & laudabiliter æuum tranſegerant, & ut idem Poëta inquit.

Hic manus ob patriam pugnando uulnera paſſi,
Quique ſacerdotes caſti, dum uita manebat,
Inuentas aut qui uitam excoluere per artes,
Quique ſui memores alios fecere merendo.

Nec tacuit Poëta actiones eorum: nam prioribus indicat teneri ſtudiis: dum inquit,

Quæ gratia currum
Armorumque fuit uiuis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.

Eadem canit Ouidius quarto tranſmutationum libro.

Errant exangues ſine corpore & oſſibus umbræ,
Parsq; forum celebrant, pars imi tecta tyranni,
Pars aliquas artes antiquæ imitamina uitæ
Exercent, aliam partem ſua pœna coërcet.

Eodem deſcendere omnes è cunctis Orbis partibus teſtatur, nam deſcribens loca illa inferna, quo recipiuntur animæ, ita loquitur.

Mille capax aditus, & apertas undique portas
Vrbs habet, utq; fretum de tota flumina terra,
Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli
Exiguus populo eſt, turbam'ue accedere ſentit.

ATHA. Quoniam de Elyſio incidit ſermo, uis ne quid de illo legerim penes Homerum exponam. MAR. Me utaris licet ex uoluntate.

ATHA. Elyſium hunc campum beatarum animarum ſedem, promittit Proteus Menelao, ubi uitæ huius ſtadium decurrerit penes uetuſtiſſimũ Poëtam Homerum, cuius uerſus ita latinè ſonant.

Elyſium in campum mittent extremaq́; terræ
Te ſuperi magni, ſedem fortis Radamanti.
Illo uita loco facilè traducitur æuo,
Non ibi tempeſtas, non nix, non frigus imber.
Sed Zephyri blandè ſpirant, auraſq́; ſalubres Oceanus mittit.

Arbitratur Strabo Homerum poſuiſſe Elyſium in extremis Hiſpaniæ partibus, unde Zephyrus ſpirat. Plures tamen apud inferos poſuerunt. MAR. De Homero tu dixiſti. Sed quomodo altiſonam Pindari non lyram, ſed buccinam omittimus? qui & ipſe uetuſtus piorum animis apud inferos exiſtentibus, non longè diſſimilia, imò ferè eadem tribuit, ut à Plutarcho relatum eſt in cõſolatione ad Apollonium. Dicam autem ſoluta oratione, Poëticis tamen utens illius uerbis. Illis (inquit) fulget deorſum Solis, quando hic eſt nox, iubar, & roſea prata illorum ſunt ſuburbium, turiferis arboribus umbroſum, & aureis onuſtum fructibus, & hi quidem equeſtribus ludis, illi pedeſtribus ſe exercent, alij tibiis oblectantur, illic omnis florum pullulat opulentia: odorq́; optatiſſimarum rerum per totum effunditur campum perpetuò. Ipſi uaria etiam odoramenta miſcentes & ualde ſplendido igne incendẽtes Deorum altaribus imponunt. Vides quæ Poëtæ afferunt non longè à ſenſibus diſcedentes, quamuis ſcirent diſiunctos à corpore animos corporeis carere ſenſibus: transferunt humanas delitias ad latebras inferioris terræ. Nec deerat inferis niger Rex, hunc Plutonem uocabant, uxoremq́; eius Proſerpinam Cereris è Ioue filiam, & Canem illi aſsignabant tricipitem Cerberum, iudices Aeacum, Minoen, Radamanthum Iouis filios: nauitam ſtigiæ paludis Charontem: flumiua Phlegetonthem, Cocythum, Lethen, Acharontem, Furias tres ſpeculatrices & uindices ſcelerum, Alecto, Thiſiphonem, Megœram, quas etiam Eumenides nuncupabant. Sic gentes olim inferorum regna ſe habere arbitrabantur: quorum tamen pleraque ſunt Poëtica: nec à grauibus uiris credita. Illa uulgaris erat opinio, cui aſſentiebantur ferè omnes, animas humanas finita uitæ huius militia tetram illam petere inferorum lacunam, non autem aſcendere aliò arbitrabantur, quod maxime ex his, quæ ſepulchris inſcribebantur, coniicere datur. Lege epigrammatum Græcorum, quæ in mortuos condita ſunt, libellum. Illic plurima de inferis mentio, quaſi locus ille eſſet animis exeuntibus deſtinatus, de cœlo aut altera regione uix ſermo. Lege Poëtas, & alios ſcriptores latinos, non alia ferè loca inuenies defunctorum manibus, quàm inferiora terræ tributa. Si quos tamen antiquitas ob eximiam uirtutem, uel præſtantia erga genus humanum merita, uel ob ambitionem in Deos retulit, hos ſupra ſidera collocabant, hiſq́; templa, & ſtatuas & ſacrificia ſtatuebant, hinc Hercules, & Bacchus, & plerique a-

lii in cœlum uenerunt, & diuinos honores meruerunt, quod etiam fecit in Daphnide ſuo Virgilius, notum eſt etiam, quemadmodum longo poſt interuallo Imperatores ſuos uita functos Romani conſecrabant, & diuorum nomine nuncupabant, eadem omnia illis tribuentes, quæ dijs cœleſtibus ſolebant: & (ut ſummatim dicam) neminem in cœlum recipiebant nationes & populi, niſi qui, aut in æternorum Deorum eſſent ordine, aut è mortalibus procreati, diuinitatem poſtmodum adepti fuiſſent, qui ſanè exiguus erat numerus, reliquos inferorũ regna colere arbitrabãtur. Hic Clazomenius quidã rogatus ab amicis, Athenis ne mallet ubi diuerſabatur, an in patria ſepeliri. Nihil (inquit) mea refert, nã ad inferos tãtũdẽ eſt uiæ. Nota etiã illa uox Leonidæ Regis Thermopylis. Prãdete Spartani apud inferos cœnaturi; atque hæc ad eos dicuntur, qui pro uniuerſæ Græciæ libertate pugnabant, ut intelligatur apud gẽtes nullã cœleſtis domicilii cogitationẽ fuiſſe. Atha. Quid de Iudæis dicis? quid ſentiebant? Mar. Hoc quod interrogas facit, ut minus mirum ſit de alijs gentibus, quandoquidem. Iudæi ueteres, quibus uera erat cognita religio, eadem aſſeuerarent. Non loquor de impijs tantùm, ſed de his etiam, qui iuſtitiæ opinione clari erant. Vnde enim illa Iacob uox? Deſcendam ad inferos filium meum lugens? Ezechias quoque Rex denuntiata ſibi à Propheta morte, nonne illud protulit? Ego dixi in dimidio dierum meorum, uadam ad portas inferi: nondum enim Agnus cœleſtis profuſione ſui ſanguinis aulam illam ſupernam gaudiorum pleniſſimam patefecerat. Credo naturæ factum inſtinctu, ut homines omiſſis fabuloſis conſentirent animos poſt mortem ſubterranea petere loca, quia ita ueritas, quam nos ſequimur, ferebat. Philoſophi autem, qui ſapientiæ opinione elati incedebant, in falſas iere ſententias. Horum acutiſſimi Stoici ſummum bonum in una uirtute ſtatuentes, imperitorum animos corporis reliquijs oblitos, & ea de cauſſa imbecilliores redditos humi uolitare. Sapientum uerò animos, quales Philoſophorum ſunt, in ſublimem euadere locum, & ad igneam uſque regionem penetrare: illicque non ſemper, ſed diutiſſimè, tamen permanere aſſeuerabant. Quicunque autem Pythagoræ & Platonis diſciplinam ſequuti ſunt, malos in terræ infimo ingentia perſoluere ſupplicia, ſicut cæteri, dixerunt, & eos pariter, qui ſordibus fœdati ſunt mediocribus, purgatorijs ſubijciunt pœnis, donec concreta labes eximatur, tunc purgatos aiunt ad æthereani peruolare regionem, & uſque eo aſcendere, donec leuitatem & calorem naturæ ſuæ congruum inuenerint, tum conſiſtere ueluti paribus examinatos ponderibus, magnarumque capere ſpectacula rerum, ingentibus gaudijs perfuſos: eodem peruenire rentur illos, qui minimum contagionis cum corporibus habentes, & à ſocietate carnis, quantum fieri potuit, diſcedentes puri mundique hinc exierunt. Hac à ſententia non ualdè aberrat ille, qui in Senecæ libris conſolationem ſcripſit ad Martiam, quæ unicum filium adoleſcentem amiſerat, ſiue is Seneca, ſiue alius auctor fuit. Nam in extrema

trema pagina his ferè uerbis mulierem alloquitur. Non eſt Martia, quòd ad ſepulchrum filij tui curras. Peſſima enim & illi moleſtiſſima iſtic iacent oſſa, cineresque non magis illius partes, quàm ueſtes, tegumentaque alia corporum. Integer ille nihilque terris relinquens fugit, & totus exceſſit, paululumque ſupra nos commoratus, dum expurgat uitia, ſitumque omnem mortalis æui excutit, deinde ad excelſa ſublatus inter fœlices currit animas, excipitque illum cœtus ſacer noua luce gaudentem. Miratur uicinorum ſiderum meatus, nec ex coniecturis, ſed ex uero peritus in arcana naturæ progreditur, iuuatque ſæpius profunda terrarum & iam relicta ex alto deſpicere. A T H A. Verè iſte ſequutus eſt (quiſquis fuit) in hac conſolatione ſententiam Pythagoreorum & Platonicorum, ſed neſcio quomodo uideatur corpus mortuum ualde negligere, & oſſa, quæ uocat peſſima & moleſtiſſima. M A R. Magno in errore uerſati ſunt Philoſophi, quamuis ſtudio flagrantiſsimo eſſent & ingenio politiſſimo, ſed nihil miror. Intumuerant illi opinione ſapientiæ ſuæ, & quæ maxima ſunt myſteria, à ſapientibus abſcondit Deus, & reuelauit paruulis. Hanc Philoſophorum ſententiam ſequutus eſt etiam Cicero Latinorum omnium eloquentiſſimus. Ille in Scipionis ſomno animos cenſet à Deo datos hominibus ex ſempiternis ſtellarum ignibus, aitque eos, qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, ubi è corporis uinculis euolauerint, in cœlum reuerti, & peruenire in circulum ſplendidiſſimo ſplendore inter flammas præditum, quem Graij Lacteum orbem nuncuparent, tanquam in naturalem ſedem, & ſuam domum, idque ocius facturos eos, qui dum eſſent corporibus incluſi eminebant foras, & ea, quæ extra erant, contemplantes à corpore ſe abſtraxiſſent: alteros uerò, qui uoluptatibus ſe dediſſent, earumque ſe quaſi miniſtros præbuiſſent, & impulſu libidinum iura Deorum & hominum uiolauiſſent, corporibus elapſos circum terram uolutari, nec in cœlum, niſi multis ſæculis exagitatos reuerti. Hæc ibi ille, & eadem ferè dicit in Tuſculanis quæſtionibus Platonem ſuum imitatus. Luculentiſſimè etiam eadem reuoluit in conſolatione de obitu filiæ. Non omnibus (inquit) ijdem illi ſapientes arbitrati ſunt eundem curſum in cœlum patêre. Nam uitijs & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno iacere docuerunt: caſtos animos, puros, integros, incorruptos bonis etiam ſtudijs atque artibus expolitos leui & facili lapſu ad Deos ideſt ad naturã ſimilem ſui peruolare. A T H A. Hæc Philoſophica Lucanus poëta diſſentiens à Virgilio proſequutus eſt etiam uerſibus. M A R. Quid hic Poëta? A T H A. Miror te eſſe oblitum, nam partem huius carminis paulò ante memoraſti, dum de Pompeij trunco loquereris. Carmen ipſum integrũ teneo, ſi uis audire. M A R. Dic ſi libet dicere. Nolo hunc omitti, quem ſecundum Poëtam quidam faciunt, & clariſſimũ ſententijs Quintilianus uocat. Interfectus (ut non debuit) à Nerone fuit adhuc iuuenis, hinc opus ſuum inemendatum imperfectumque reliquit. Sed quid tandem ait

iſte

iſte ſecundarum partium in cantico poëtico auctor? Atha. Ille haud diſſimilia ſuperioribus enuntiat, Stoicorum tamen ſententiæ propinquius. Ecce do tibi carmina. Nam deſcribens locum, quem Pompeius poſt necem petijt, ſic inquit.

Sequitur conuexa tonantis.
Qua niger aſtrigeris coniungitur axibus aër,
Quodque patet, terras inter, lunæque meatus
Simidei manes habitant, quos ignea uirtus
Innocuos uita patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in ignes.
Non illic auro poſiti: nec thure ſepulti
Perueniunt. Illic poſtquam ſe lumine uero
Impleuit, ſtellasque uagas miratur, & aſtra
Fixa polis, uidit quanta ſub noctu iaceret
Noſtra dies, riſitque ſui ludibria trunci.

Mar. Video hunc Poëtam eadem ſenſiſſe, quæ Philoſophorum antea quique præcipui. Atha. Dici aliter non poteſt. Mar. O' mi Athanaſi, quàm ualde uereor, quæ illi huic ſententiæ ſubijciuntur, eloqui. Atha. Quid uereris? Mar. Vereor inquam ne ſi quod addunt dixero, non uideatur ueriſimile hæc illos dixiſſe: abſurdiora enim protulerunt. Atha. Quæ? Num quæ ab eiſdem ponebantur de tranſmigratione animarum, nam peractis aliquot annorum millibus humanas animas tranſire in beluarum corpora, & beluinas in humana tradebant, atque ita demum è uiuis mortuos, & è mortuis prodire uiuos. Hæc ſunt illa abſurdiora, quæ ab his proferri putas. Mar. Iſta ipſa. Nam quid abſurdius fingi potuit? Quid minus ueriſimile dici, quàm qui nunc ſunt homines beluas fore: & quæ nunc ſunt beluæ, homines futuros? quis credere poſſit uiros ſapientiæ ſtudioſos, tam excellentibus ingenijs armatos in hunc errorem incidiſſe, niſi legiſſet? Atha. At hæc ſententia, ſi neminem alium legiſſem, mihi incognita eſſe non potuit ex Ouidio, qui illam luculenter expreſſit uerſibus. Mar. Dic quæſo uerſus, poſtquam inter Poëtas uerſamur, & ueluti in Senatu exquirimus eorum ſententias qualeſcunque ſint: delectant enim illi in abſurda etiam ſententia, tantùm ualet compoſitis pedibus fluere. Atha. Inducit ille ultimo tranſmutationum libro Pythagoram ſua prædicantem dogmata cum exhortatione ad mortis contemptum: inquit enim ſic.

O' genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid ſtyga, quid tenebras, quid nomina uana timetis,
Materiam uatum, falſique pericula mundi?
Corpora ſiue rogus flamma, ſeu tabe uetuſtas
Abſtulerit, mala poſſe pati non ulla putatis,
Morte carent animæ, ſemperque priore relicta
Sede nouis domibus uiuunt, habitantque receptæ,

Omnia

Omnia mutantur, nihil interit, errat, & illinc
Huc uenit, hinc illuc, & quoſlibet occupat artus
Spiritus, æquè feris humana in corpora tranſit.
Inque feras noſter, nec tempore deperit ullo.
Vtque nouis facilis ſignatur cera figuris.
Nec manet, ut fuerat, nec formam ſeruat eandem.
Sed tamen ipſa eadem eſt, animam ſic ſemper eandem
Eſſe, ſed in uarias doceo migrare figuras.

MAR. Vides in quàm intolerabilem errorem inciderint præclara ingenia. Sed num uno falſo poſito, plura abſurda ſequuntur? ATHA. Sic dicitur. MAR. Ergo ex hac tranſmigratione animarum humanarum in beluarum corpora, ſequitur illa abſtinentia animalium, nam prohibebant ueſci alijs animalibus, ne fortè quis aut parentes ſuos, aut amicum, aut familiarem, aut colonum manducaret, ſeu animas eorum ex illis corporibus deturbaret. ATHA. Hoc non tacuit idem Poëta Ouidius. Nam in commemoratione illius Pythagorici dogmatis, hæc ſubijcit

Ergo ne pietas ſit uicta cupidine uentris,
Parcite (uaticinor) cognatas cœde nefanda
Exturbare animas, ne ſanguine ſanguis alatur,
Quumque boum dabitis cæſorum membra palato,
Mandere uos ueſtros ſcite & ſentire colonos.

MAR. Argutè id quidem, quòd uoluerint animas colonorum tranſire in boum corpora, quæ curabant uiuentes, atque præ agricolandi ſtudio magnifaciebant. ATHA. Irrides iſta, ſed hoc non irridendum uidetur, quod prohiberent homines à carnium eſu, quia per hunc pingueſcere animas & tardiores fieri arbitrabantur: pinguis énim uenter (ut eſt in Græcorum prouerbio) non gignit ſenſum tenuem. MAR. Non reprehendo, quòd iuſſerint abſtinentiam à carnibus, ſed quòd huius rei cauſam attulerint, ne inciderent fortè homines carnibus pecudum ueſcentes in propinquorum hominum comeſtionem. Quid autem irridere tibi hæc uideor: non ego primus id facio. Nam, ut alios omittam, nonne Laberius mimographus illud in ſcena protulit? audire mala multa ex bonis, deinde in Philoſophos.

Vt nunc de mulo hominem, & de muliere colubrum
Faciant, & ex diuerſis diuerſa alia.

Sed ut omittam de hac ridicula transmigratione animorum dicere, & ut tranſeam ad reliqua, ego, quæ de animorum immortalitate, de eorum pœnis & præmijs Pythagoræ & Platonis ſectatores dixerunt, ea paulò ante uideor expoſuiſſe. De Pythagoræ autem ipſius libris nihil poſſum ſumere. Ipſe etenim nihil ſcripſit, & ſuis præcepit ne quid ſcriberent, ſed memoriæ mandarent, occulta nanque eſſe cupiebat, quæ de diuinis inter ſapientes agitabantur, quin etiam ea, quibus uita hominum ad rectius uiuendum inſtruebatur, figuratis loquutionibus uelabat, qualia

ſunt.

ſunt. Hirundinem ſub eodem tecto non habeto. Stateram ne tranſilito. Ne per uiam publicam ambulato, & ſimilia. Et iſte quidem ſic habebat. Ipſe autem Plato exiſtimatur Pythagoram in diuinis ſequutus. Nam Architam Tarentinum Pythagoreum iam antea audierat. Multa autem ſcripſit, & ut ueniam ad id, de quo agitur, ſparſim plurimis locis ſcriptorum ſuorum humanas animas ab omni interitus iniuria liberat, maximè autem hoc agit in decimo de Repub. & in Gorgia, & in libris legum ſancit legem contra eos, qui hoc audent inficiari, quin etiam proprium de hac re confecit librum, qui Phædro inſcribitur. Socrates enim ibi inducitur, qui in carcere eo die, quo ſibi moriendum uidebat, hanc in partem acerrimè diſputat aſtante diſcipulorum cœtu. Quàm multa autem de grauiſſimis iniuſtorũ pœnis, & de maximis iuſtorũ præmijs diſſerit? nuſquam autem omittit purgari eos, qui leuiter deliquerĩt, donec patientes, ea quæ tales pati oportet, meruerint purgati melioris loci mutationem, eos uerò, qui extrema iniuſtitia detinentur, ut qui animum ſuum periuriis, fraudibus, ſtupris, cœdibus, rapinis undique & profũdius cõquinauerint, quod maximè reges & tyranni, & in imperiis poſiti facere cõſueuerunt propter peccandi licentiam, nunquam triſtiſſimis illis & horrendiſſimis pœnis liberari, ut potè, qui ſanari non poſſunt. Nonne hæc apud Platonem legiſti? ATHA. Non memini me legere, ſed poſthac diligenter huius uiri ſcripta lecturũ ſpero. Extat Dialogus incerti auctoris, qui falsò Platoni ¶ inſcribitur. Illic idem Socrates inducitur aſſiſtere cuidã morituro, & id ipſum ægrè ferenti, quòd moriatur, quem ut animaret ad mortem Socrates, uitæ primùm narrat incõmoda, deinde, quæ cõtingũt animis, ubi corpus exuerint apud inferos, de campis elyſijs, de Plutonis regno, de Siſyphi ſaxo, Danaidum urnis, & alijs ſceleratorum pœnis, eadem ferè omnia, quæ Poëtæ: ea Socratis dicit ſe à quodam Gobria mago didiciſſe, qui uiderat ipſa inſculpta Deli in tabulis æneis, quum præpoſitus fuiſſet ad cuſtodiam Inſulæ per id tempus, quo Xerxes magna manu Græciam inuaſit: ad extremum ea dicit Socrates ſe non affirmare: illud unum certò ſcire, quòd omnis anima ſit immortalis: & quicunque piè uixerit, ubi ab his locis diſceſſerit, ſiue infra, ſiue ſupra feratur, fœlicem fore. Hæc eadem Plutarchus Chœronenſis, qui eiusdem ſcholæ ſectator fuit, non dubitat aſſeuerare, quanuis aliis imaginibus id effinxerit, in libro, quo de Deorum in ſceleratos ultione diſputat, eamque nunquam feram fuiſſe, nec eſſe, mirabiliter edocuit. Inter cætera uerò ait pœnas, quæ hîc impiis hominibus emendationis gratia imponuntur, ſimiles eſſe Barbarorum pœnis. Nam apud Perſas eorum quos emendari dignos cenſent, ueſtes & tiaras uellicant & flagellant. Illi autem lachrymantes finem fieri ſuppliciorum orant. Sic hæ, quæ infliguntur pœnæ in pecunia, uel corporibus, tactum non habent acutum, nec ipſum apprehendunt uitium, ſed ſunt earum plurimæ, ut ipſi opinantur & ſentiunt. At ubi ad inferos intemperans impuruſque proficiſcitur, nudatam afferens animam omnibus

bus inuolucris atque in tegumentis: nec habens unde ſe ſubtrahere, & ſcelera tegere ac uelare ualeat, ſed omnino ab omnibus & per omnia cognitus, hunc diuina ultio apprehenſum oſtendit primùm parentibus & progenitoribus bonis, ſi qui tales ſunt, tanquam uilem & degenerem. Sin autem praui fuerint, tunc conſpiciens illos in tormentis & conſpectus traditur doloribus & ſuppliciis, quæ magnitudine & uehementia tantùm hæc exuperant, quæ in carne perferuntur, quantùm res ueræ à ſomniis differunt perſpicuitate. Hæc Græcus ille penè ad uerbum dicit. Nec aliter religionis noſtræ alumni ſentiunt. Pone (inquit Chryſoſtomus) (ſi placet) ignem, & ferrum, & beſtias, & ſi quid eſt his crudelius, attamen hæc neque umbra ſunt, imò ludus & iocus ad illa tormenta: hæc quæ hîc patimur, quando uehementiſſimè intentantur, tunc maximè leuia fiunt, celeriterque liberant corpore non ſufficiente ad tantam uehementiam ac prolixitatem pœnæ. Illic autem non ſic, ſed ſumma erunt ſupplicia: nec imminuetur animæ ſubſtantia ob ſuppliciorum grauitatem. Immortalis ipſa in immortales cruciatus proijcitur. Quæ ſi uera ſunt (ut ipſe exiſtimo) optandum eſt, ut quemadmodum inter Perſas ſuis induti ueſtimentis percutiebantur homines, ideo uerbera leuius affligebant: ſic dum ſumus in corpore, pœnæ in nos influant pro flagitijs, quæ admiſimus: potiusquam cum anima nuda eas luamus: hoc enim pertinet ad magnitudinem ſuppliciorum ſubleuandam. nam quin culpam par pœna ſequatur (niſi Dei miſericordia aduenerit) uitare non poſſumus. ATHA. Tu quidem forti es animo, qui pœnas nunc tibi pro ſceleribus tuis infligi à Deo exoptas. MAR. Ea quidem de cauſſa, quam dixi, nã ſcitum eſt illlud,

Ferre minora uolo, ne grauiora feram.

Hoc optans non tam fortis, quàm ſapiens exiſtimari debeo. Senſus repugnant, & præſentaneum recuſant ſupplicium, quia minus, quæ longè abſunt, ſpeculantur, at ratio huc deducit: nam ita nunc indignatur Deus aduerſus delicta, ut miſericordiæ etiam ſuæ recordetur, imò ipſa indignatio miſericordiæ eſt: nam caſtigat omnem filium, quem recipit, punit, ne durius puniat, iraſcitur, ne uehementius iraſcatur. Ego igitur ſic opto. Si qui autem differri uolunt, timendum eſt, ne illa pœnæ dilatio ueluti fœnerato capiatur. Sed de his forſitan poſterius. Sed quid prætereo ue tuſtiſſimum horum omnium magnaque olim auctoritate magiſtrum? ATHA. Quem dicis? MAR. Mercurium Aegyptium. ATHA. Eum ne, qui ter maximi nomen adeptus eſt? MAR. Illum ipſum. Anteceſſit iſte multis ætatibus cunctos Græciæ Philoſophos. Miror in tanta illa uetuſtate ſæculis adhuc rudibus & nõdum expolitis, tria in illo maximè, ut hoc reſpondeat illi cognomento ter maximi. ATHA. Quæ tria? MAR. Miror ingenium, eloquentiam, & in pleriſque arduis ueritatis inuentionem: nam omnia uera uidiſſe nunquam dixerim. ATHA. Quid igitur ille hac in re? Iuuat enim uerba eius (ſi tenes) audire. MAR. Audiſti ab initio, quemadmodum immortalitatem animi poſuerit. Repetit idem in

I libro,

libro, qui Aeſculapius inſcribitur, addens quo fine hæc immortalitas claudatur. At quæ uerba torquet in incredulos? quas ſententias effundit? Ita enim ibi ipſe loquitur. Multos (inquit) ſpes, timorque mortis ueræ rationis ignaros excruciat. Mors enim efficitur diſſolutione corporis labore defeſſi & numeri completi, quo corporis membra in unam machinam ad uſus uitales aptantur: moritur enim corpus, quando hominis uitalia ferre poſſe deſtiterit, hæc ergo eſt mors, corporis diſſolutio, & corporalis ſenſus interitus. De qua homines ſolicitudinem ſumunt ſuper fluam: aliam autem neceſſariam prætermittunt ex ignorantia, uel incredulitate. Hic quum Aeſculapius colloquutor interrogaſſet Mercurium, quid ignorant homines, aut eſſe diffidunt. Tum ille. Audi igitur ò Aeſculapi. Quum fuerit animæ à corpore facta diſceſſio, tunc arbitrium examenq; meriti eius tranſiliet in ſummi Dæmonis poteſtatem, isq; eam, cũ piam, iuſtamq; præuiderit, in ſuis competentibus locis manere permittet. Sin autem delictorum illitam maculis, uitiisq; oblitam uiderit, deſu per ad ima deturbans, procellis, turbinibusq; aëris ignis & aquæ ſæpius diſcordantibus tradet, atque inter cœlum & terram mundanis fluctibus in diuerſa ſemper æternis pœnis agitata, raptabitur: ut in hoc obſit animæ æternitas, quòd ſit immortali ſententia æterno iudicio ſubiugata. Ergo ne his implicemur, uerendum, timendum, cauendumq; eſſe cognoſce. Increduli enim poſt delicta cogentur credere, non uerbis, ſed exemplis, nec minis, ſed ipſa paſſione pœnarum. Habes, quæ de malorum ſup pliciis contra incredulos ſcribit Mercurius; ſubdit poſtea de iuſtorum præmijs in hunc modum. Iuſto (inquit) homini in Dei religione, & in ſumma pietate præſidium eſt. Deus enim tales ab omnibus tutatur malis. Pater enim omnium & Dominus, qui ſolus eſt omnia omnibus, ſe libenter oſtendit, non ubi ſit, nec qualis ſit, nec quantus, ſed hominem ſola intelligentia mentis illuminans. Qui diſcuſſis ab animo errorum tenebris, & ueritatis claritate percepta, toto ſe ſenſu intelligentiæ diuinæ commiſcet, cuius amore, à parte naturæ, qua mortalis eſt, liberatus, immortalitatis futuræ concipit fiduciam. Hoc ergo inter bonos, malosque diſtabit: unuſquisque enim pietate, religione, prudentia, cultu, & uene ratione Dei clareſcit, quaſi oculus uera ratione perſpecta, & fiducia credulitatis ſuæ in tantum inter homines præſtat, quantùm ſol cæteris aſtris lumine ſuo antiſtat. Hæc ab illo ſunt, quæ (ut opinor) non longè abſunt à Chriſtiana diſciplina. Infinita omnia ſunt in Deo, ideò non poſſumus nos, qui finitam habemus ſubſtantiam, infinitatem eius percipere. Videbimus tamen eum ſicuti eſt, & non iam in ænigmate, ſed facie ad faciem, ſicut ſacris literis continetur, de quo latius ſcripſi in libris, quos de Deo confeci, & aliquid etiam poſtmodum dicetur, ut hic ſermo iuſto fine claudatur. Hæc eadem affert idem Mercurius alio in loco, quemadmodum penes Petrum Crinitum relatum eſt, iuuat autem huius uetuſtiſſimi auctoritate uti, ut qui tanta in re noſtris non credunt, credant ſatis alienis.

Noſtri

Noſtri enim, quibus iuſtius erat credendum, diuinitus afflati illa protulerunt, quæ illi lumine tantùm mentis perſpexerunt. A T H A. Recta eſt hæc ratio, ita faciendi. Sed quid is ait? M A R. Animantium (inquit) corpus ex quatuor elementis conſtitutum eſt à Deo. Habet enim aliquid in ſe ignis, aliquid aëris, aliquid aquæ, aliquid terræ: neque tamen ignis eſt, neque aër, neque aqua, neque terra, quæ facilè probari poſſunt: nam terræ ratio in carne eſt, humoris in ſanguine, aëris in ſpiritu, ignis in calore uitali, ſed neque ſanguis à corpore ſecerni poteſt, ſicut humor à terra: neque calor uitalis à ſpiritu, ſicut ignis ab aëre: adeò rerum omnium duo ſola reperiuntur elementa, quorum omnis ratio in noſtri corporis fictione incluſa eſt. Itaque ex rebus diuerſis ac repugnantibus homo factus eſt, ſicuti & mundus ipſe ex luce ac tenebris, ex uita & morte. Quæ duo inter ſe & in homine pugnant: ut ſi anima ſuperior euaſerit, quæ ex Deo trahit originem, ſit immortalis, & in clara perpetuaque luce uerſetur: ſin corpus euicerit animam, ſuoq; imperio ſubiecerit, in tenebris ſempiternis, atque in obitu deliteſcat. A T H A. Quum hunc audio Aegyptium rectè iudico feciſſe Empedoclem, Democritum, Pythagoram & poſtea Platonem, quòd ad Aegyptios profecti ſunt, ut eorum ſapientiam audirent. Nam quæcunque apud illos didicerunt, uidentur poſtea in Græciã retuliſſe, ſicuti hæc, quæ præ manibus ſunt, oſtendunt. M A R. Non ſolùm rem philoſophicam, ſed cæteras quoque diſciplinas Græci à Barbaris ſuſceperunt, comptiores tamen ingenio ſuo reddiderunt: pleraque autem corruperunt, ſicut Ariſtoteles fecit, qui mundi inuenit æternitatem contra ueterum ſententiam. De immortalitate animi, quid dixerit, ſuperius expreſſimus. De reliquis uerò, quæ immortalitatem ſequuntur, non uidetur aliquid dixiſſe. Inueni Ariſtotelicum quendam, qui diſſerens de ſtatu animi à corpore ſeiuncti mira quædam ex Ariſtotele referebat, ſed pudet me illorum, quum in Ariſtotelis libris, qui proculdubio ab eo elaborati ſunt diligentiſſimè, nihil illorum reperiatur. A T H A. Ignoſci poteſt, ſi imprudens illa dixit. M A R. Mihi magis impudens uidebatur, ſed non unus mihi ille talis occurrit: quoties me incidiſſe putas in iſtos Ariſtotelicos, qui ex Ariſtotele proferebant, quæ nunquam Ariſtotelis fuerunt. Iam Athanaſi uarias & diuerſas uides fuiſſe quondam de animorum ſeparatorum ſtatu ſententias, quas qui perſpexerit, non'ne incertus reddetur? & conuerſus ad humanæ ſapientiæ ſtudium, ſeu (ut Græci uocant) philoſophiam, illud dicat?

Belua multorum es capitum, nam quid ſequar? aut quem?

O` Chriſti diſciplina, quantopere ueneranda es? te non hominum opiniones induxerunt, ſed ueritas ipſa fundauit. Deus Deus inquam hæc arcana nobis patefecit & reſerauit, ad huius diſciplinæ regulam tanquam ad lapidem Lydium examinabimus quæcunque Philoſophorum dogmata, ut quæ huic conſonant ueluti uera teneamus, quæ diſſonant tan-

quam falſa abijciamus. Dicemus autem de impiorum pœnis prius, poſtea de piorum præmijs, ut in meliora deſinat oratio. An non ita faciendum cenſes? ATHA. Nihil melius fieri poteſt. Itaque id uehementer expecto, nec expectaueris, ut medium me inſeram ſermonibus tuis, & interrumpam curſum orationis tuæ. Video enim te ad ueritatem totius diſciplinæ tendere: quam nullis decet interloquutionibus turbare. Itaque, ut continenter dicas non amplius interrogans me & ſpectans flagito. MAR. Ita ne uerò mihi imperas? nunquam defugiam auctoritatem tuam. ATHA. Facis more tuo: tuus enim mos de amicis bene pro mereri.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
DE IMMORTALITATE ANIMI,
LIBER QVINTVS.

MARCVS.

POSTQVAM falſa coarguenda, & uera docenda ſunt ad examem Chriſtianæ doctrinæ, opto eam mihi eloquentiam dari, quæ tantæ rei par eſſe poſſit. Dicturi iam ſumus de iniuſtorum pœnis, & iuſtorum præmijs, qui uidetur eſſe immortalitatis finis. In ſuperioribus recordari potes me inter immortalitatis argumenta hoc poſuiſſe: quòd hîc & boni patiuntur aduerſa, & mali fruuntur iucundis, ideò immortales animos effectos, ut poſt corporis mortem utriſque ex uitæ ante actæ merito, quod debetur perſoluatur: debetur enim uirtuti præmium, iniquitati ſupplicium. Eſt enim homo actionum ſuarum dominus, flectere ſe poteſt, quam in partem uelit. Libertas conceſſa eligendi bonum aut malum unà cum mente, quæ inter hoc & illud diſcernere ualeat. Cætera animalia carent utroque, & libertate eligendi & iudicio diſcernendi, ſenſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neſciunt quid uirtus, quid uitium ſit. Non datum eſt iudicium, quo ſibi ipſis legem ſtatuere & moderari queant. Quapropter non præmio nec ſupplicio beluas dignatur Deus, ideo animæ eorum unà cum corpore extinguntur: non enim conueniebat uocari illa ad iudicium, quæ iudiciũ non habuerunt, nec ab his rationem exigere, qui non acceperunt. In homine ſecus accidit, qui arbiter ſui ipſius conſtitutus in poteſtate habuit bene an malè ageret: ideò cum immortali animo natus eſt, ut quum is hanc lucem deſeruerit, exhibeat ſe ante iudicis iuſtiſſimi tribunal, & quid meruerit in corpore hîc agens excipiat, quodcunque illud ſit, ſiue ad præmium ſpectans, ſiue ad ſupplicium. Certum quærimus quem ſtatum teneant animi defunctorum. Certos reddit Saluator (cuius teſtimonio quid poteſt eſſe maius?) peccatores finito uitæ huius ſpacio ad inferna detrudi. Nam epulonem illum diuitem facit apud inferos cruciari ardenti flamma, guttamque petere à mendico Lazaro aquæ frigidæ, ut pau

lulum

lulum recreetur. Noli Athanaſi putare Saluatorem ficta tunc uſum ſimilitudine docendi gratia, ſicut cæteris locis facere conſueuit. Vbi enim nominatim appellantur homines, illic hiſtoria in exemplum proponitur. Illic uides Lazarum, Abraam, Moſem, & quinque fratres illius diuitis nuncupari, quod fidem facit rem geſtam narrari. Indicat etiam alibi tenebroſum eſſe locum, dum proponens ſimilitudinem quandam, inducit Dominum, qui ſeruum nequã proijci iubet in tenebras exteriores, ubi erit (inquit) fletus & dentium ſtridor: hunc etiam locum, in quo peccatores torquentur nouo uocabulo appellat gehennam, cur ita appellauerit, ab alijs quærito, exiſtimamus hunc eſſe in medio terræ: nam is infimus in rotundo locus, diſtans æquali ſpacio undique ab extremis, Græci centrum uocant. Illic miſeri peccatores pœna plectuntur acerbiſſima uel ignis nimij, uel frigoris, uretque pariter eos malæ conſcientiæ fax, dolorque eoſdem tanget acerrimè dum uident ſe exules in perpetuum factos à cœleſti patria, ubi plena ſunt gaudia, & ſummi tonantis (ut poëticè loquar) rutilat cœlicolis omnibus facies. Demum conſentiunt omnes quicunque animorum immortalitatem crediderunt, eos, qui hîc nequiter uixerunt, pœnis illic plecti maximis, ſiue naturæ inſtinctu id dicerent: ſiue quòd conſentaneum rationi putabatur, quòd iniquus contraria patiatur his, quæ fecerat, hoc eſt, ut qui antea uolens gauiſus fuerat in flagitijs, poſtea nolẽs doleat in ſupplicijs, & æternis torqueātur pœnis, qui nunquam uoluerunt carere peccatis. Hæc dicta ſunt de his, quos peccatores mors inuenit: hi autem, quos pœnituit peccaſſe, reconciliarique ſe ſtuduerint Deo, cuius mandata neglexerunt, ſi nondum pœnam, quanta flagitijs eorum debebatur, hoc in ſæculo perſoluerint, duriore conditione apud inferos perſoluent, pœnaſque damnatorum ſuſtinebant; in hoc tamen diffetentes, quòd illorum ſunt perpetuæ, pœnæ, horum temporariæ, donec ſcilicet ab omni ſorde & labe fuerint mundati, & nitidiores facti meruerint Angelis comitantibus in patriam reuerti. Differunt, etiam hi alia ratione à peccatoribus, quòd ipſorum pœnæ, ueluti purgatoriæ poſſunt ſupplicationibus, ieiunijs, eleemosynisque uiuentium amicorum ſubleuari, quod non illis contingit, quorum culpa perpetua eſt atque indelebilis. Sic tamen habeto utrorumque pœnas adeò eſſe infeſtas, quòd dicuntur, excedere ſui grauitate ſupplicia, quæ hac in uita quiſquam paſſus eſt, aut pati poſſet: maxima & intolerabilia quodammodo nonnulli ex Martyribus pro Chriſto pertulerunt, inferiora tamen illa fuerunt, quàm quæ alio in ſæculo pro peccatis perſoluuntur, ſicuti grauiſſimi auctores tradiderunt, quæ ſanè omnia facilius credi debent à nobis, quibus hæc diuinitus innotuerunt, quum nonnullos Philoſophorum, & hos, qui inter eos fuere præcipui, lumine tantùm utentes rationis, eadem uidiſſe cognouerimus: nam & purgatorias quoque pœnas induxerunt, & uehementiſſimas eſſe exiſtimauerunt, dum tunc animos nudos, nunc ueſtitos, flagellari dixerunt. Nec renuo

tamen quin poſſit ille, qui infinitam habet ſapientiam, paremque potentiam, eruere ab inferorum pœnis quoſcunque uelit, & alio loco alijs pœnis affligere: nullis enim aſtringitur legibus ille, qui ſibi lex eſt: cuius uoluntas iuſtitiæ eſt regula: hoc tamen, quod dictum eſt, ſi non ſemper, at frequentiſſimè contingit, ſi modò diuinis ſtatur literis, magnisque earum interpretibus. Dices, quid paruulis fiet, qui nondum ſacri unda Baptiſmatis abluti fuerunt, & tamen nullum habentes rationis uſum delinquere non potuerunt, ſed eos tantùm culpa comitatur originis, num & hi torrentur igni, uel num ab omni pœna uacui? uel ſi eos pœna tenet, quæ & quanta in illis eſt? damnatos eſſe certum eſt, (nam, ut inquit in Euangelio Saluator) qui non crediderit, iam damnatus eſt, & niſi quis fuerit renatus ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi regnum cœlorum. Cruciabuntur ergo iſti, qui per ſe non deliquerunt cum peccatoribus, & ſempiternis pariter tradentur incendiis? durum uidetur. Itaque frequentiori Theologorum noſtrorum calculo inferna quidem illos habitare receptum eſt, ſed ſuperiore loco, quàm damnati, nec affici pœna ulla, quæ percutiat ſenſum, ſed ſuſtinere illam duntaxat, quòd priuãtur bono, quo ſanctæ animæ in cœleſtibus ſaturantur: uolo uti hac in re illorum uerbis, quæ nequaquam abſurdè ſe habent. Perferunt iſti (inquiunt) pœnam priuatiuam, quòd eſt damni, non poſitiuam, quòd eſt ſenſus. Auguſtinus autem in enchiridio mitiſſimam omniũ aſſerit eſſe pœnam in infantibus, qui nullum aliud præter peccatum ferunt originis, ita ne à pœna quidem eos liberat, niſi fortaſſe mitiſſimam uocat pœnam bono ſummo carere: quam nos nuper damni pœnam nuncupauimus: quam tamen pœnam quidam acerbiſſimam eſſe, & omnes alias ſuperare dixerunt. Sed quid de his dicemus, qui pueritiam egreſſi, nacti rationis uſum Chriſto non agnito cum uirtute uixerunt, ſi tamen uirtus eſſe ulla poteſt ſine pietate? Attamen rectitudinem quandam uitæ tenuerũt, naturalem ſequentes æquitatem, quales è Philoſophis extitiſſe nonnullos traditum eſt, & quoſdam rerumpub. Rectores? Num ipſi quoque pœnas, quibus ſenſus affligitur euadunt? durior horum cauſſa, quàm infantium non ablutorum, nam hi per ætatem peccarunt, quum nullius uita immunis ſit à peccatis, & inter honeſtos numeretur ille, qui minimis urgetur. Sed quomodo illa minima abolere poterunt, quum non contingat remiſſio peccatorum, niſi in fide, qua illi carent: in ſanguine agni, quem non agnoſcunt: in eccleſia Chriſti, quam non ingrediuntur? Multi tamen aſſerunt eandem iſtorum eſſe conditionem, quam diximus eſſe puerorum. Sunt, qui putent impios etiam nullas ſentire pœnas in inferis ad ſenſum permanentes. Nam ſi ibi eſt (inquiunt) ignis, neceſſe eſt, ut corporeus ſit: quomodo autem corporeum aliquod poteſt quicquam in incorpoream naturam? nam non poſſunt ſe mutuò tangere, quorum extrema non iunguntur. Verè hæc dicerentur, niſi de Omnipotentis Dei iudicio, carcere, pœnis, tortoribus ageretur. Ille enim penes ſe naturam ualere non patitur,

tur, ubicunque uiſum eſt, nec mirum, quia ipſe cunctam condidit naturam, & is poteſt tollere, qui condere potuit. Quod tam contra naturam, quàm ignem refrigerare; attamen tres illi pueri, qui contempſerant adorare auream ſtatuam Babilonici Regis, miſſi in caminum ignis ardentis ſenſerunt in medio flammæ uentum roris flantem, ſicut in Daniele legimus. Inſpice Heliam, qui quum in contentionem cum Prophetis Baal ueniſſet, compoſito ex lapidibus altari impoſuit ſuper ligna holocauſtum & quum iterum & tertiò perfudiſſet omnia aquis, ita ut currerent circum altare, & foſſa aquæductus repleretur. Ecce de cœlo orante Helia cecidit ignis, qui (ut ſcriptum eſt) uorauit holocauſtum & ligna & lapides, puluerem quoq; & aquã, quæ in aquæductu fuerat lambens. Sic ignis Infernus diuino iuſſu poteſt acumine ſuo penetrare in animas incorporeas, & creare dolorem, qualem nemo hominũ hìc experitur. Neſcio hac in re an teſtimonia deſiderentur, ſicut in iudicijs fieri ſolet, ſed ſi quis ea quærat, multos inueniet ſanctiſſimos uiros, quibus Deo ſic diſponente animæ defunctorum igne uallatæ apparuerunt: aliæ pœnas ſuas oſtendentes, & de damnatione ſua confitentes: aliæ opem orationum ab his ſuppliciter poſtulantes: hæc plerique irrident, & ſibi nimis arguti uidentur, dum nugantur, quis unquam inferos uidit? quis è mortuis reuerſus eſt, ut renunciare potuerit, quæ illic fierent? quem unquam legatum uiui miſimus ad mortuos? quem exploratorem habemus? O ſtultitiam ſingularem, non credere Prophetis, non Apoſtolis, non Martyribus, qui Euangelij ueritatem non nudis uerbis, ſed profuſo ſanguine teſtificati ſunt, non ſanctiſſimis uiris, qui paupertatem duritiemq́ue uitæ ſequuti, ſolis ſe inſeruerũt diuinis. Quòd ſi hæc eos non mouent, quæ ſunt maxima, moueat omne ferè gentium & nationum opinio, quæ ab initio uſque orbis conditi huc uſque perducta eſt, & in poſterum manſura uidetur, quæ nam hæc? malos apud inferos malè torqueri. Nolint credulitatem hanc in id tempus differre, quo rem ipſam experientur, tùm quum id credere nihil illis fit profuturum, nam hoc ipſo mali ſunt, quòd non credunt, ut mereantur credulitatis huius extorquendæ gratia illis proijci tormentis. Et de impiorum quidem pœnis hactenus. Reſtat, ut de piorum dicamus præmiis Nam de his iucundior fuerit ſermo. In primis cogitandum, quòd hoc, quòd præmia nobis largitur Deus, non id bonitati noſtræ, ſed ſuæ aſcribere debemus: nos enim nunquam illa promeriti fueramus, quæ ampliſſimè nobis ſine ulla (ut ſic dicam) auaritia dilargietur, & ipſe quidem Deus magis ſe liberalem dici, quàm iuſtum amat. nam liberalitas, qua in bonos utitur, magis illi conuenire naturæ putatur, quàm iuſtitia, qua ſontes flagellat, quanuis in illo paria ſint omnia, ſed ita tamen dicimus, quia dum liberalitate utitur, facit, quod ſe eſt dignum: dum punit, quod dignum eſt peccatis noſtris: finis liberalitatis eſt ſumma illius bonitas, finis iuſtitiæ hominum ſunt delicta: utrunque tamen ab eodem fonte proficiſcitur. Non puto autem te exiſtimare piorum eſse præmia Elyſium campum, aut

alias

alias fortunatas inſulas, in quibus illi degant ludicra quædam exercentes, & odoribus, aliisque uitæ huius delitijs incumbentes, nã quum ſummi grauesque uiri hæc contemnant, ſeu paruifaciant, quomodo illis exutis iam corpore ſumma bona uideri poſsunt? hæ enim uoluptates ad corporis ſenſus propriè pertinent, quibus carent, & acriori tunc ſunt iudicio quàm quum mole corporis premerentur. Pulchrum ne eſt igitur dicere, quòd ſapientiores effecti deſiderent & magnifaciant, quæ ad corporis pertinent uoluptatem, & quæ corporibus obſepti non curarunt; aut ſi hæc ipſi non amplectuntur præmia, incuſabimus Deum, qui aut nolit, aut nequeat amicis maiora tribuere: agitur non de quorumlibet hominum præmijs, ſed iuſtorum præſtantiumque omni uirtute uirorum, his pro laboribus & erumnis exanclatis & toleratis, quibus alios iuuerunt, proque eo, quòd mores ſuos ad iuſtitiæ regulam compoſuerunt, & aduerſus irrepentia uitia, nequitiasque cœleſtes acriter Deo duce pugnauerunt, & nunquam à iure ad iniuriam protrahi potuerunt, his inquam talibus uiris uirentia prata, frondoſa memora floridos hortos, fontes uino & lactè ſcatentes tanquam ſumma præmia proponemus, quaſi hæc, quæ ſuauia ſunt ſenſibus, faciant fœlicem, uel ipſi in priori uita hæc prima habuerint, aut etiam ſine ullo corporis inſtrumento his perfrui poſſint. Ignoſci poteſt ueteribus Poëtis illa fingentibus, quia uidebant uulgus, cui canerent, ne in mortuis quidem ullum bonum, niſi quòd de corpore penderet, ponere, quanuis corpora eorum cremata, aut humata ſcirent, quapropter ne Heroës & alij magnanimi uiri in inferis poſiti omni eſſent orbati bono, quod uirtuti eorum parum conuenire uidebatur: his corporeis delitijs eos referſerunt, quia uulgus impotens ſenſus deſerere, ita etiam ſentiebat, & Poëtas ſeruire populi auribus oportebat. Res demùm ita temperata eſt, ut neſcias, utrum Poëtæ magis uulgus, an uulgus Poëtas deprauarit. Sed nolo de his plura, quanquam ſi contra has ineptias dicerem, facundus eſſe poſſem. Illud magis uidendum, an uera ſit Pythagoreorum, Platonicorumque ſententia, animos corporibus elapſos ad ætheream regionem aſcendere, ibique locum naturæ ſuæ congruum, comparemque ſtellam nactos conquieſcere. Sed hanc ſententiam ſuperiori improbauimus ſermone: ueriti ne animi illic agerent ocioſè, quum ipſi à ſtella nihil accipiant momenti: nec ſtella ad motum illis egeat. Nam quòd ſubdunt animos illo loco ſublimi poſitos capere ſpectacula cœleſtium terreſtriumque rerum, ea cognitione plurimùm oblectari, hîc uidendum eſt, quid ſit ultimus humanarum actionum finis. Vltimum uoco, qui non habeat poſteriorem. Ego homines omnia agere & moliri exiſtimo, ut beatitudinem nanciſcantur: nemo eſt, qui non omnibus optet uotis beatus effici, idque adeò perſpicuum, ut non neceſſe ſit interrogare aliquem cur hoc uelit. beatitudinem autem diffinio, ut ueteres, ſtatum ex bonorum omnium congregatione perfectum. nam ſi uel aliquo malo, quantumuis minimo quis attingitur, uel aliquo careat bono, mi-

K ſer

ſer eſt, nec beati nomen illi couuenit hanc beatitudinem non poſſe cuiquam in hac uita contingere, ijdem Pythagorei Platonicique, quibus cùm hæc diſputatio ſuſcipitur, aperto ore fatentur.

Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Multa enim inſcitia, plurimi dolores, aſſidui labores, nonnulli caſus fortuiti, non ſinunt optatam fœlicitatem in humanis uerſari. Nemo poſſit promittere ſibi fœlicem uitam: nam, ut priora rectè, ceciderint, poſteriora incerta ſunt: & in metu futurorum non poteſt abſoluta contingere beatitudo. Itaque exſpectandus eſt obitus (ut Poëta inquit) iuſtis pijsque hominibus & ſumma uirtute præcellentibus, ut beatitudinem cōſequantur, ne fruſtra natura parens hunc affectum humanis mentibus indiderit. Sed num (obſecro) cognitio mundanarum rerum hanc tribuet beatitudinem? fac aliquem ſcire creata omnia nullo præterito, nouerit numerum ſtellarum, arenæ, fluctuum maris.

Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur.

Num ea cognitio eum faciat beatum? Illud quidem manifeſtum, beatitudinem, ſi qua contingere nobis poteſt, in ea parte uerſari, quæ in nobis ſit optima: ea porrò poſita eſt in animo, unde cognoſcimus, intelligimus, iudicamus. Sed quomodo mundanarum rerum cognitio beabit nos, quum ea omnia longè hominis animo inferiora ſint? nam quod beat alterum, neceſſe eſt, ut ſuperius atque adeò longè omnium beatiſſimum ſit. Nam magna beatitudinis pars alium facere beatum. Stultiſſimum eſt ab irrationabilibus, & nihil intelligentibus rebus ob earum cognitionem expectare beatitudinem, qui nobilitate intelligendi diuinum (ut quidam dixit) genus & origo ſumus, qui dignitate creatis omnibus anteſtamus: exceptis Angelis, quibus aliquando in patria erimus compares. poteſt quidem ordo rerum, qui eſt admirabilis, earumque ſpecies, quæ longè eſt pulcherrima, oblectare animos, ubi his intenderint, ſed non uſque eò attollere, ut reddant beatos. Sunt humani animi capaciſſimi, adeò, ut eorum appetitus nequeant rebus creatis exhauriri. Poſſumus pulchriora quædam nobis effingere, quàm hæc, quæ perſpeximus, poſſumus huic mundo, qui certis circunſcriptus eſt limitibus, longiores addere cogitatione limites, & iterum atque iterum producere: poſſumus alios optare mundos, nec mirum ſit optare, quum Democritus mundos etiam dixerit eſſe alios innumerabiles. Ille etiam Macedo urbium expugnator, populorum raptor, in membris adhuc ſitus mortalibus, alios quærebat mundos, non quos cognoſceret, ſed quos gladio ſuperaret: unde dictum eſt.

Vnus Pelleo iuueni non ſufficit orbis,

Sicut igitur nec honores hi, quos cernimus, multiplicati, & alij ſuper alios ingeſti, ſic, ut nec multitudo opum, diuitiarum, potentiæ, gloriæ, aſſiduè affluens unquam poteſt profundiſſimam illam humanæ cupiditatis

tatis lacunam implere, pari ratione noſtram hanc ſciendi cognoſcendiq; auiditatem nequaquam poterit mundi huius cognitio explere: quum animus extra hunc mundum cogitatione ſua progredi, & ulteriora ad cognoſcendum petere poſſit. Nullus enim numerus, nulla menſura, cui humana mens non adijcere, nullum finitum, quod cogitatione non ualeat augere: ex quo colligitur non ultimã ſubminiſtrare nobis tunc quietem, quæ certis finibus concluſa ſunt, quum in alia progredi & cognitis addere optando poſſimus. Illud præterea conſiderandum, quàm manca & debilis ſit cognitio hæc, quæ de rebus habetur, ut habeatur de omnibus, nam non modo omnia, ſed ne multa quidem ſimul & uno (ut aiunt) conſpectu cognoſcere ualemus: niſi multa illa cohæreant, & ueluti partes referantur ad totum. In reliquis uerò diſtractis & ſeparatis accedimus ſeorſum ad ſingula, & unum poſt aliud ad cognoſcendum arripimus. Quo circa non poteſt hæc cognitio, quæ paulatim fit & ſuccedaneo motu contingit, beatitudinem ſuppeditare: beatitudo enim tota ſimul aduenit & firmiter commoratur, aut beatitudo non erit: de uera enim & perfecta loquimur, non de qualicunque beatitudine. Plato ipſe uniuerſales quaſdam poſuit ſingularum rerum ſpecies, quas ideas uocat, has æterna uoluit eſſe exemplaria eorum, quæ naturaliter fiunt, incorporeas ponit, immutabiles, inuiolabiles, ex his fluere reliqua omnia arbitratur, ueluti ab unico ſigillo impreſſa: has ſolas res ueras eſſe putat, deteriora uerò eſſe hæc, quæ ſimilem formam ab his ſuſcipiunt. Harum contemplatione idearum cenſet animos, ubi exierunt, eſſe beatos, quaſi ueri entis inſpectionem tunc ſuſcipiant. Hoc dicit eo in libro ubi de immortalitate animi agit, & alibi ſæpius, quæ tamen omnia incurrunt in eoſdem ſcopulos & cautes, quæ modò ſuperiori cognitioni obijciebantur. Neſcio enim uidere quomodo beatitudinem præſtare magis queat idearum conſpectus, ut eas eſſe concedamus, quàm cætera, quæ ad earum ſimilitudinem finguntur, præſertim quum ideæ non propter ſe ipſas, ſed propter illa ſint. Quid? quòd extra mentem artificis nullæ ſunt? improbatæque ab Ariſtotele, & ut intelligatur non tam ambitiosè, quàm uerè ideas abijcere, exclamat: Amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica ueritas. Quod igitur erit negocium animorum ubi fuerint diſſociati? quæ illorum opera? ubi beatitudo? nam ſi ea eſt, ſuſcipit ipſam intellectus, qui præcipua pars animi eſt: nam memoria & uoluntas intellectum ſubſequuntur: non enim meminiſſe poſſumus, niſi intellecta, nec uelle niſi cognita: intelligat ergo animus neceſſe eſt, ut ſit beatus, ſed quam rem intelligit? quid ei obijcietur ad contemplandum, quòd ubi intellexerit, intelligat ſe pariter beatum eſſe? Dixi cognitionem rerum creatarum non poſſe beatitudinem præſtare. Reliquum eſt, ut ad Creatoris cognitionem confugiamus, nam hanc nondum attigimus. Illic (ut meam dicam ſententiam) neceſſariò inuenitur, aut nullibi eſt. Sic enim dico neceſſariò illic inueniri, quia res perinde eſt, ac ſi in amici domo

rem nobis à Domino promiſſam eſſe ſciamus, & inuenire cupiamus, ut eam auferamus. Dominus autem domus patefactis foribus per conclauia omnia, per cubicula, undique demùm quærere arbitratu noſtro permittat, ſi peragratis omnibus domus partibus non inuenitur: reliqua adhuc una ſit, ubi ſcrutari oporteat: nonne dicemus neceſſarium fore, ut quod quæritur, illic ſit? Et ut planius res adhuc intelligatur, alio utemur exemplo, de loco ad perſonam tranſeuntes. Fingamus gemmam pretioſiſſimam annullo incluſam aureo nobis chariſſimam multis aſtantibus uiris ac mulieribus ablatam fuiſſe: & in alicuius eorum ſinu deliteſcere: ſi omnibus excuſſis præter unum non inuenerimus, nonne neceſſariò ſequetur unum illum, qui nondum excuſſus eſt, habere? Similiter quum beatitudinem eſſe conſtet, eamq́ue nobis promiſſam, & pro ultimo fine expetitam inquirere oporteat ubi ſit, ut inuentam nanciſcamur: & quum eam non alia re, niſi intellectu apprehendere queamus: non inueniatur autem in cognitione creatarum rerum, nonne dicemus neceſſarium fore, ut in altera rerum parte inueniatur? reliqua autem pars eſt creator, quæ in diuiſione opponitur creatis. Intelligis (ut opinor) me Deum dicere, in Dei dico cognitione beatitudinem noſtram conſiſtere. Certiſſimum autem eſt, ita ſe rem habere. Nam Saluator in Euangelio fidelibus promittit uitam æternam. Hæc autem uita (inquit) æterna: ut cognoſcant te Deum uerum: beatitudinem uocat uitæ nomine: quaſi illa carere mors ſit. Nunc opto, ut adſit mihi ille ſpiritu oris ſui, de cuius magnificentiſſima dignitate, & gloria dicturus ſum. Nam ſi ne hæc minima quidem ſine Deo explicare non ualemus, Deum ipſum ſine Deo, quomodo explicabimus? nec tamen me fallit, quòd nullo ſermone dignè explicari poteſt; ſatis forſitan poſſumus, quando de mundo, & de his, quæ ille continet, tractandum eſt, ea, quemadmodum ſe habeant, ſufficienter exponere: at ubi huc uenitur, ut de diuinis myſterijs, deq; ipſo Deo dicendum ſit, tunc omnis anguſta & muta quodammodo redditur oratio, gerere ſe nimis ſordidè, nec habere dignitatem aut gratiam ullam uidetur. Tranſcendit illa tanta Maieſtas amplitudine ſua cuiuſcunque eloquentiæ facultatem. Quamobrem ueniam peto, ſi non omnia explicaro, ſatis erit quædam indicaſſe, per quæ appareat ex tantæ Maieſtatis conſpectu plenam animis noſtris beatitudinem parari. Quid enim ipſe eſt? & quantus? ipſe ſe quadantenus manifeſtauit famulo ſuo Moſi, dum ei in rubo apparuiſſet, & mandata ad alios dediſſet, & quærenti quis eſſet, & à quo ſe miſſum diceret. Ego ſum (inquit) qui ſum, hoc docuit, hoc uoluit reſponderi. Vocat ſe ens, quaſi cætera non ſint, ſed ita ſe ipſum uocat, quia ſolus abſolutum ens, non ens aliquod, ſolus habet ueram ſubſtantiam, quum per ſe ſubſiſtat, cætera, quorum ipſe eſt conditor, nec per ſe ſubſiſtant, ſed per ipſum. Quemadmodum enim ficta, ſculpta, cœlataque omnia differunt à fingente: ſic & eo amplius creata hæc omnia differunt ab eo, qui ea condidit & effinxit: quid ſunt hæc, quæ

animis ſolis corporumq́ue ſenſibus proſpicimus, niſi parua & tenuia ſimulachra fabricantis Dei? ſtatua hominis uera eſt ſtatua, non tamen uerus homo. Similiter mundana entia ſunt uera ſimulhacra, non tamen uerum ens, quamuis eius referant imaginem, ſed imperfectiſſimè uerùm eſt ens, qui illa effinxit, ſicut uerus eſt homo fingens hominem, non qui effinctus eſt. Sed non modò uerum ens eſt Deus, ſed etiam ens eſt infinitum. nam quum non ſe ipſum genuerit, ſed ſponte ſua extiterit ex omni æternitate, relinquitur, ut ſit infinitum: nemo enim ſe ipſum certis coarctat limitibus, nemo circunſcribit: omnia præterea in ſe continet bona, imò ipſe omne ſupereminens bonum. Eſt igitur ueritas, iuſtitia, ſapientia, uita, potentia, clementia, liberalitas, amor, magnanimitas, pulchritudo, & alia denique bona, quæ fingi, cogitariq́ue poſſint, & ea omnia in ſe ipſo, & ipſe in omnibus. Ipſe principium rerum omnium, & finis, carens omni principio & fine. Si tam ſummi perfectiq́ue entis frui contingeret ſpectaculo, quis non arbitretur ſummam illam eſſe fœlicitatem, qua nulla poſſit eſſe maior? Vt enim quædam ſint bona, quæ faciāt poſſeſſa fœlicem, quæro quid hoc bono poſſit eſſe melius, quid hac fœlicitate fœlicius? Tum plena erit fœlicitas, quum ei, quod optimum eſt in nobis, obijcietur, quod optimum eſt in rebus, ita ut coniungantur: nihil autem melius in nobis, quàm intelligentia, nihil in rebus, quàm Deus, ergo applicatio intelligentiæ noſtræ ad Deum operabitur nobis pacem, quietem, gaudium, ſuauitatem, uoluptatemq́ue immenſam, eam deniq́ue fœlicitatem, quam uotis omnibus expetimus. Vt enim oculi mulcentur colore, aures ſono, ſic intellectus noſter ueritate. Quid quũ Deum contemplabitur, qui ſumma eſt ueritas, à qua quæcunque uera fluunt: quid aliud de tali conſpectu ſperare quis poteſt, niſi mellifluo beatitudinis torrente undique inundari? ſummam poſſidet ille beatitudinẽ, imò ipſe eſt illa perfectiſſima beatitudo. Quis autem beatitudini copulatus non efficiatur beatus? Plura autem ſe offerunt, quæ impediunt ne animus noſter in cognitione creatarum rerum quieſcat, de quibus antea dictum fuit, quæ in contemplatione diuinæ naturæ abſunt omnia. Primum eſt, quòd oportet id eſſe ſuperius, quod alteri beatitudinem præſtare queat. Deum uerticem tenere rerum, imò ſupra omnia creata ſedere longiſſimo interuallo nemo dubitauerit. Alterum eſt, quòd ficta ſunt mundana omnia referentia qualencunque effigiem diuinæ ſubſtantiæ, ex eo, quòd ſint. Nemo autem æquè fictis ac ueris oblectatur. At quicunque ad conſpectum illum beatiſſimum acceſſerimus. Deumq́ue uiderimus non uelatum, ut nunc, ſed manifeſtum, & diuitias gloriæ ſuæ pandentem, ueram uidebimus ſubſtantiam, quam nunquam antea uidimus, nec qualis ſit poſſumus cogitare. Certum eſt illud, quod quæcunque uel oculis uel acie mentis conſpicimus, fines habent certos, & finitis adijcere poſſumus cogitando, & auctiora reddere, uel forma, uel modo, uel numero, uel menſura: quo circa mouetur adhuc appetitus animi & in ulterio-

ra

ra ire pergit, tanquam nondum ſit in termino. At non uereor, ne quis in ſupremi Dei cognitione, quæ ueriſſimum erit & ſuauiſſimum animorum noſtrorum receptaculum, quum infinitum ſit ille bonum, & nunquam ad extremos beatiſſimæ illius naturæ fines perueniatur: quærat alia mens, in quæ tendat, quum infinito bono fuerit repleta. Etenim infinitum, nec tranſcendi, nec augeri poteſt. Saturabimur ergo, nec ſaturitas hæc afferet faſtidium, ſed ibidem ſimul habebitur & deſiderabitur. Prohibet quoque illud, ne cognitio mundanarum rerum plenam afferat quietem, quòd ea paulatim ſibi ipſi ſuccedit, nec undique ſemel omnium uno conſpectu ſcientia arripi poteſt, ſed unũ poſt aliud ſe ſe intelligentiæ noſtræ offert. Sed quum Deum ſpectabimus, & ſi ſola illius cognitio fœliciſſimos faciet, tamen ſi hæc etiam inferiora ſpectare uoluerimus, omnium uno tempore erit perfecta cognitio. Illic & rerum genera, & partes ſingulis generibus ſubiectas, uimq́ue & proprietates rebus ipſis inditas, ipſum denique uniuerſi ordinem clarè perſpiciemus: nec ea multiplici & uariato aſpectu, ſed unico, eoq́ue aſſiduè manente complectemur: quod ex eo continget, quia omnia in arte, in qua facta ſunt, conſpicientur. Vbi beatiſſimum illum Archetypum uiderimus figuratorum ſimul omnium erit cognitio, niſi quòd unum prius, quàm aliud fabricatum fuiſſe, intelligemus. Stultum eſt ſi dicam dolorem & laborem & moleſtiam aliquam illuc aſcendere, quum ne imperfectum quidem aſcendet aliquod, uel ſi aſcenderit non imperfectum remanebit, ſed perficietur. Omnis ille ciuium cœleſtium conuentus, ut purus fuerit, & ſine ulla macula & ruga: ita & ab omni aſperitate & defectu ſecurus. Hæc omnibus non contingent, ſed electis tantummodo Dei, qui dum hîc agerent, Deum ſequuti ſunt, & dilecti dilexerunt, & quos ille ab æternitate ſua dignatus eſt ad tam immenſa præmia uocare. O quantum illuderit gaudium, quàm dulce pabulum illuc aſcendentibus? Iunget enim ſe Deus illorum aſpectibus. Ille amantis in morem dilectos ſuos in ſinum recipit, fouet, amplexatur, nudatumq́ue ſe ad intuitum apprehenſionemq́ue præbet: ea denique dilargitur, quæ (ut dicam cum Apoſtolo) ne occulus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendunt. At non modò intellectus fuerit fœlix, ſed etiam uoluntas: hæc enim quicquid uult poteſt, quoniam illi Deus potentiam ſuam communicat. nam ſicut Deus uoluntatem ſuam implet per ſemet ipſum, ſic ſancti animi ſuam per coniunctiſſimum ſibi Deum. Intelligendum eſt etiam humanas animas non poſſe uiribus naturæ ſuæ aſſurgere ad ſublimiſſimam illam Dei uiſionem niſi quòd in illas lumen quoddam transfundit Deus, quo ſublatæ habiles tanto fiunt ſpectaculo: & quum lumen id à Deo nullo intermedio proueniat, Deus eſt. Deus igitur, & quod uident, & quo uidetur. Si quæratur ergo, quid agant animi ſoluti? Reſponſio manifeſta eſt, operantur ſuam ipſorum beatitudinem diuino intuitu ſe ipſos aſſiduè ſaturantes: nullo utuntur motu, niſi intimo, quod quietem illorum ſanctam non excludit.

cludit. At quo in loco? Reſpondetur paucis: in Empireo cœlo: hoc cœlum, quid, & ubi, & quomodo, & quando creatum, & quæ cauſa nominis, declarandum eſt: ſic enim auferetur argumentatio illorum, qui negant animos eſſe immortales, proprerea quòd ubi piorum animi conſiſtant, non inueniunt. Poſſumns mundum hunc totum contemplantem mortalia omnia & immortalia in tres diuidere Orbes facilioris demonſtrationis gratia: unumquenque eorum à ſitu nuncupantes. Erit igitur primum infimus orbis, deinde medius, poſtremò ſupernus. Infimum ponimus, qui infra lunam eſt, quacunque illa progreditur uſque ad terræ imum locum, quod centrum nuncupatur. Medium facimus à Luna ſurſum uſque ad ſummum illius cœli uerticem, à quo initium uitæ & motus ducitur. Supernus ſit iſte, quem cœlum empireum uocamus, in quo Rex cœleſtis & ſuum & Angelorum & ſanctarum animarum habita cultũ collocauit. Quanquam Deus nullo includatur loco, ſed ubique ſit, certis tamen rationibus illic potius dicitur ſedem ſuam aulamque colocaſſe. Ferunt ſacri Theologi, quibus talia indagare curæ fuit, Deum initio quatuor ſimul creaſſe, cœlum empireum, Angelos, materiam primam, tempus, reliqua poſtea interuallis dierum: huius cœli ueteres Doctores uix meminerunt. Meminit penes nos Strabus, & Beda: & penes Græcos Baſilius, & ſequuti hos Theologorum recentiorum quique præcipui, omnes tamen intelligebant cœlum eſſe quoddam ſublime & luminoſum, quod habitaculum eſſet præcipuum Dei & eorum, quos ſecum eſſe uellet, quanuis illo nomine empirei non uocarent; hoc uolunt eſſe corporeum: ſublimitate, amplitudine, immobilitate, luciditate, magnificentiſſimum. De corpore ambigitur, nam plerique lucem tantùm putant intelligibilem, ſed frequentior ſententia recipit eſſe corporeum, ſi quidem Beatorum corporibus, quæ reſurgendo aſſumuntur, locus corporeus debetur, & hunc paratum eſſe à conſtitutione mundi conuenit. Circuit alios cœli orbes oberrantes immobilis ipſe & ſuperior, ex quo amplitudo eius & ſublimitas dignoſcitur. De luciditate autem nomen ſortitur. Nam empireum uocatur, ideſt, igneum ſeu flammeum. Inferioris cœli huius orbes non ita luminis & fulgoris pleni, ſicut ille eſt totus. Nam nonus orbis, qui primùm mouetur, & cauſſa motus eſt cæteris, nulla fulgens luce circuitum ſuum peragit. Reliqui octo partim lucent, partim minimè, propterea quòd raris locis radiãtia continent ſidera; quæ illinc eminent, non ſecus, ac in ligno clauus uel modus. Vnum hoc cœlum; quod cæteris ſupereminet, cunctis ſui partibus circunfulget, idque probabili ratione factum, ut locus ipſe ſuo fulgore reſponderet Beatorum claritati: ſicut etiam è conuerſo infernus locus tenebroſiſſimus conuenit tenebroſis animis damnatorm. Non tamen hoc cœlum in ſubiacentes alios cœli huius orbes lucis aliquid tranſmittit. Nam ad eam tantummodo rem ædificatum, ut fœlix eſſet Beatorum habitaculum, non ut quicquam inferioribus corporibus conferret: & ſimul ſi id fieret, lumine illo ſuo mi-

cantiſſimo

cantiſſimo noctem de rebus auferret, qua terrena ad ſui generationem & incrementum egerent. Supernus ille orbis lucidiſſimus ſacrorum illorum intellectuum eſt ſedes. O` quàm glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei? quàm plura dici poſſent, niſi excederent humani ingenij captum? Nam fruſtra exclamat Propheta. Domine dilexi decorem domus tuæ, & habitationem gloriæ tuæ. Hæc parria eſt Sanctorum, hæc domus, ubi (ut dictum eſt) operantur beatitudinem ſuam. An non hæc magna operatio? quæro, quæ poſſit eſſe maior? At ocij eſt (inquies) operatio: optime: non enim uituperatur ocium, ſed commendatur, ubi pugnando ad uictoriā uentum eſt, & ingenti tranſmiſſo pelago portus iam tenetur: motus fit gratia quietis, quæ ubi contingit, ea fruendum eſt: quemadmodum enim artifex præſtituit ſibi quendam finem operis ſui, ſic ſancti uiri hîc poſiti laborum & curarum ſuarum unum ſibi præſtituunt pro fine Deum: hunc ſequuntur, cum hoc eſſe quamprimùm, cum hoc conſiſtere cupiūt, hinc illæ uoces audiuntur. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Et in pſalmorum uolumine. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Et. Sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum, quando ueniam & apparebo ante faciem Dei? Et. Beati, qui habitant in atrijs tuis Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Ne putes ſanctas animas nihil illic agere, conſonis cantant uocibus laudes Domino coronati, ueluti milites in triumpho. Idem propheta ſuſpiciens ſupernè, & de maximis illis præmijs differens. Inebriabuntur (inquit) ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Quis ergo iam bonorum diſſociationem animi & corporis, quæ mors dicitur, porhorreſcat, ac non potius optet? & non magis ſit in uotis, quàm à pleriſque morientibus uita ſoleat rogari. In iſta diſſociatione corpus, quod uarijs fortunæ ictibus expoſitum eſt, quod proprijs morbis pulſatur, quod turbat omnia mœroribus, terroribus, falſis lætitijs, uanis libidinibus, tunc omni carens ſenſu, iacet immobile, nec ultra quicquam molitur, ueluti terrena moles in ſua principia unde uenerat ſoluendum. Nihil à ſe ipſo, nihil ab alio patitur aſperum, nec pati poteſt. At id, quod familiare eſt uirtutibus, amicum diſciplinis, ſtudioſum pietatis, ſequax recti, ſubditum Deo, auolat in ſublimi uiuaci agilitate, maximoque & eminentiſſimo illi cohæret bono, quo nihil maius, aut melius dici, aut cogitari poteſt: Cùm hoc conſiſtit à quo cognationem ducit, cuius genus (ut inquit ille) ſumus: hoc unum amplexatur tanquam exundantiſſimum fontem, qui cœlicolis omnibus effundit torrentem uoluptatis, largiterque potos prouocat ad cantandum tantæ beatitudinis præconia. Dixi ab initio ſermonis huius immortalitatem animi magnum eſſe ſolamen in obitu propinquorum & amicorum, dum eos non extinctos eſſe, ſed uiuere arbitrantur. Hoc magis atque magis confirmandum eſt, poſtquam cognitum eſt, cuiuſmodi uitam uiuant. Ergo Chriſtianus uir ſpem habens futurorum, ubi uiderit mortuum ante oculos iacentem, qui rectè & è uirtute uixerit, non lamen-

tatur,

tatur, nec affligatur, ut multi, ſed gratias lætus agit Deo, quòd à miſerijs illum eripuerit, & ad ſe reuocauerit: mortem illam non putat eſſe mortem, ſed migrationem & curſum ad meliora: reputat ſecum præmia, coronas, bona ineffabilia, quæ non modò ſenſibus ullis, ſed ne cogitatione quidem percepimus, his ſe ille ſolatur, his attollitur, his armatur, ut dolorem mœroremque omnem abijciat, quem incutere abſentis deſiderium conatur. Sed uis ne quanta ſint illa bona, quæ ſanctæ fideleſq; animæ in cœlo percipiunt, aliquo modo contemplemur? Omittamus, quæ explicari nequeunt, & quorum non eſt cognitio. Illud ſcire poſſumus, quid optent omnes, optant ſanè gaudium ſine mœrore, requiem ſine labore, dignitatem ſine obtrectatione, opes ſine amiſſione, ſanitatem ſine languore, copiam ſine defectione, robur ſine imbecillitate: hæc in patria uberrimè contingent, ubi ſummi Regis Maieſtas conſpicitur, cuncta ſui lætificans uultus lumine, ſic illic agunt ſanctæ animæ, ut nihil deteſtari poſſit, quin abſit, nihil optari quin adſit. Eodem optant per uenire quoſcunque Chriſto renatos, quibus ſolis patet illud atrium: cupiunt eos ſocios habere gaudiorum, quos fidei eiuſdem uident commilitones: non enim illa imminuitur beatitudo, ſi plures acceſſerint, imò potius augetur, quoniam quo plures eam capiant ſalutem, eo magis lætãtur, & is rex eſt, qui benemeritorum ciuium frequentia delectatur. Co hortemur igitur noſmetipſos inuicem, & eos, qui familiaritate noſtra & amicitia fruuntur, ut ſupremum Deum pio cultu & omni mentis affectu uenerentur, ſanctiſſimaque eius mandata ſtudeant cuſtodire. Subſtantiam quidem Dei, quæ beatos facit, cognoſcere non poſſumus; poſſumus tamen quadam ex parte potentiam, ſapientiam, bonitatem, clementiam, uoluntatem. Hæc ſi ignorauerimus, num ſpes erit ſalutis Deo ignorato? Minimè, nam nec amare, niſi eum cognouerimus, nec habere, niſi amauerimus, poſſumus. Cognitio igitur huc tendit, ut amemus, nam hoc faciet, ut nos ille poſt exitum huius uitæ beneuolè quoque excipiat, & ut dilectos ſuis ornet donis. immortalis eſt profectò animus, ut ſuperiora apertè lateque docuerunt, uiget uigebitque ſemper in utranque partem, & ad præmia, & ad ſupplicia. Sed quomodo de immortalitate animi gloriari poſſunt, qui ſupplicijs deſtinantur, re, loco, tempore ingentibus? Immortalis quidem natura animus eſt, ſed efficimus eum quodammodo mortalem ſceleribus proprijs atq; peccatis, ſicuti ſonat illud, quod ſcriptum eſt. Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. & illud quoque ex Euangelio. Sinite mortuos ſepelire ſuos mortuos. Hinc corpora peccatorum non abſurdè dicuntur ſepulchra eſſe mortuorum. Nam animi uita Deus eſt: deſertus igitur à Deo, mortuus eſt habendus, & hæc eius prima mors eſt. Altera deindè ſuccedit, quum ad inferna dimittitur ſupplicia qualibet morte duriora. Cupit ſe extingui, nec poteſt, natura non deficiente. Mors autē hæc eſt atrociſſima mori uelle nec poſſe: erit ibi (ut ſic dicam) mors ſine morte, ideo grauior erit illa mors, quia pecca-

tum eam facit, non natura: melius eſſet non uiuere, quàm ſic uiuere: melius nunquam fuiſſe, quàm in præſentia ſic adeſſe. Heu uitalem mortem, quàm miſera es? quanto digna luctu fores, ſi diuinæ iuſtitiæ reluctari liceret? Hanc ſecundam mortem admonet Saluator noſter, ut caueamus, dum præcepit diſcipulis, ne terreantur ab his, qui occidunt corpus, & poſt hoc non habent amplius quid faciant. Oſtendam (inquit) uobis, quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in geennam: pluris eſt humana anima, quàm uniuerſus mundus: hinc eodem illo beato ore dictum eſt. Quid prodeſt homini ſi uniuerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Non igitur gaudere poſſunt impij de immortalitalite animorum, ideo nec eam plerunque credunt. Hoc piorum eſt gaudium, qui uident, quòd ubi elapſi fuerint corporibus, uigebunt, & alteram adipiſcentur uitam hac longè potiorem: uiuent enim in Deo, qui uera eſt uita: hîc multa aduerſa, illic læta omnia. Enimuerò quum Deus ſe ipſum piis mentibus patefaciet & uideri attrectarique permittet, tunc uerè uiuemus nulla interpellante moleſtia: omni gaudio, quod intellectu percipi poſſit, affluente. Neſcio autem quomodo Chriſtiano uiro uenire poſſit in dubium animi immortalitas, cui reſurrectio corporum credenda proponitur, res ſanè admirabilis, & quæ omnem ſuperat humani ingenii facultatem: attamen diuinis oraculis prænuntiata, quæ maiora ſunt humanis teſtimoniis: nihil impoſſibile Deo, cuius immenſæ potentiæ inditium eſt, quòd ſtellas condidit, ſapientiæ, quod non aberrans uocat ſuo unamquanque nomine: charitatis, quòd eas commodis noſtris ſeruire uoluit. Multa alia admirabilia eius opera commemorare poſſem, ergo uitam corporibus elapſam reddet in fine ſæculi, ſicut pollicitus eſt, nec dubitare decet, quia nobis cum tam potente, ſapiente, amante Domino futura res eſt. Animas uerò quomodo perire patitur, qui extinctorum etiam corporum curam habiturus eſt? Magnum certè præbet documentum immortalitati animorum, hæc clara, & toties prædicata corporum reſurrectio. Quid porrò ſibi uolunt, qui ſe totos morituros arbitrantur? Quid dicam cæteros talem orationem inuitos audire? neceſſe eſt, ut ſibi ipſis aliquando diſpliceant, quum cogitant ſe quandoque ad nihilum eſſe deducendos: inſuauis uel horribilis potius cogitatio non exiſtentiæ ei, qui in aliquo tolerabili ſit ſtatu. Animis certè uim naturæ ſuæ præſagam indidit Deus, ut de ſe ipſis præſentirent in poſterum: augurioque futurorum ſæculorum acti melioris uitæ cupiditate flagrarent: ſed fuerit iſtorum, qui mortem animorum tenuerunt, non probanda ſententia. Nos autem immortalitatem eorum tenentes, ſtudeamus ita uitam ducere, ut corporibus elapſi ſuperno in orbe æuum agitemus, ubi æterna eſt fœlicitas, maxima præmia, ingentia gaudia. Hoc, quod nunc ſperamus talia, iucun-

ditate

ditatem quoque affert: non enim poteſt ſpes tantæ lætitiæ eſſe ſine lætitia, non remuneratio modò, ſed expectatio quoque ipſius remunerationis glorioſa eſt. Quòd ſi bonis ominibus & uotis claudendus eſt ſermo; diuinæ charitatis Clementiam imploro, petoque, ut benigno reſpiciat intuitu, & præſtet, ut quod nunc ſpe tenemus, re aliquando experiamur.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
IN DOMINI NATALE
ORATIO.

QVANQVAM inter ingenuas artes & egregias diſciplinas à pueritiæ finibus ad hoc uſque ætatis meæ robur, ſtudia ſemper noſtra cucurrerunt, nullumque tempus ſine optimarum literarum cura atque labore præterfluere mihi paterer. Nunc tamen quum temporum noſtrorum calamitates, ſcelera, flagitiaque recordarer. Viderem eccleſiam undique impijs hæreticorum dogmatis oppugnari, populos his ferreis afflictos bellis, quæ compulſantibus ſe Gallis & Hiſpanis geruntur, ſpectaremque inſuper inter has contentiones effero Turcarum Tyranno locum datum, ut opportuna oppida interciperet, & Italiæ clauſtris armatus immineret, decreueram ſilere, nec in tanta rerum accerbitate Chriſtiano populo ſummis difficultatibus affecto oratoris uocibus, ſed luctu & gemitu utendum putabam. Nihil denique noui operis moliendum mihi arbitrabar. Fregit hoc meum conſilium huius diei eximia pompa, inſignisque lætitia, quæ Chriſtianorum omnium mentes peruadere meritò debet, quandoquidem illius temporis memoria renouatur, quo Deus ipſe mortali hoc noſtro amictu graui ſolidoque ſe contexit, qui quòd humanos animos clariſſima ſuæ diuinitatis uoluit eſſe ſpecula, colendus perpetuò nobis atque peramandus: ſed non minore gratulatione excipi debet effectum hodie fuiſſe, quòd quemadmodum diuinam homines antea, ita humanam Deus formam poſtmodum oſtentaret. Voluit hodie cum ſeruis Dominus non menſam, non domum, non familiam, ſed naturam habere communem. At qui Dominus? cui incredibilis Maieſtas, infinita poteſtas, ſumma fœlicitas, ſingularis æternitas, qui denique ſupra omnia eſt, à quo pendent uniuerſa. Nunc pauper fieri uoluit, deiectus, uilis, mortalis. Quid ita? ut paupertate ſua nos ditaret, deiectione ſublimaret, uilitate honoraret, morte uiuificaret. Poſſumus Propheticum illum uerſiculum ouan

ti

ti gutture canere: Rex noſter Deus ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ: ſalutem operatus eſt in medio terræ, dum terrena apprehendit membra, & in eis cunctis gentibus & nationibus æternam uitam ſalutemque profudit. Denique eò deuentum eſt, ut ille, qui unus eſt increatus, qui generat omnia & naſcendi leges cunctis præſcribit, ipſe quoque (quod indigniſſimum eſt) ſub generationis leges ueniret, & de fœmina natus iure diceretur; ſed nullam ille indignitatem noſtri cauſſa recuſauit. His de tantis tamque magnis myſterijs, quæ hodiernus dies tulit, quum deinceps mihi uideam eſſe differendum, proponendum primò uidetur diſtinctius, quibus potiſſimùm rebus immorari uelimus, quòd audientibus gratum, dicenti etiam aptum. Ita enim dilucidius accipientur omnia & facilius enucleabuntur, ſi terminis & ueluti cancellis quibuſdam circumſcripta oratio huc, illuc temerè haud fluat, ſed certa quædam ſpectet, quæ ſequatur: ordine autem quantum colluſtrare mentis acie poſſum, hæc quærenda & inueſtiganda uidentur. Primùm quomodo Deus uenerit, humanamque carnem diuinæ glutinarit ſubſtantiæ. Deinceps quibus ad id cauſſis ac rationibus impulſus, ſi tamen contingere poteſt, ut tanta numinis æterni Maieſtas cauſſis ac rationibus impellatur, ac non potius impellat. Poſtremum erit, poſtquam duos ideſt Deum & hominem in una carne poſitos dicimus, atque ita effectum fuiſſe, ut Chriſtus naſceretur, cuiuſmodi natiuitatis huius pompa fuerit, ac ſpecies. Hæc quæ tria ſunt numero, ſi quis ſecum, aut cum alio rectè cognoſcere inſtituerit, inueniet in primo expreſſa Deũ infinitæ potentiæ ſigna dediſſe. In ſecundo, uim caritatis ſuæ maximam effudiſſe. In tertio, incredibilis eius ſapientiæ exempla Orbi intuliſſe. Mihi in hac tripertita uarietate non uno modo de omnibus dicẽdum uidetur, propterea quòd in quibuſdam fides mihi ueſtra imploranda erit, qua fixa mihi opus fuerit & tanaci ad credendum ut uera, & tenendum ut certa, quæ ſanctarum ſcripturarum nobis tradidit auctoritas. Quod ubi facillimè à uobis impetraro, quippe à Chriſti cultoribus, in reliquis procliuius curret oratio in quibus tùm pietas mentium ueſtrarum poterit incendi, tùm uiuendi ritus, mos, diſciplina exornari. Igitur recurrente annua temporis huius uice magni hodie nobis memoria ſacramenti renouatur. Pronum dictu ſed cogitatu arduum, iunxiſſe ſe homini Deum, ideſt in unam eandemq; perſonam diuinam humanamque ſubſtantiam conueniſſe: non enim deſinebat eſſe Deus, quum utique fieret homo, ſed maieſtatem retinens ſuam, humilitatem attrahens alienam, naturali formæ aduentitiam copulauit: ita ut utraque unum eſſent, & neutrum eſſe poſſet ſine altero; non quòd ſubſtantias confunderet, ſed quòd glutino cohærere uellet ſempiterno. Sed quo nam nodo fortitudinem imbecillitati, copiam inopiæ, immenſitatem exiguitati, uitam morti, lucem caligini, innexa dixerim? quibus uinculis? quo fabro? Maxima nunc rerum miracula aperiuntur, qum Deus nullis circunſcriptus finibus tantulis ſe intulerit humanæ

næ formæ ſpacijs. Idem tamen, dum hæc agerentur, ſtabilis & immotus orbem moderabatur: nõ enim dũ humana membra ſuſcepit, diuina opera deſeruit, potuit ille matris uterũ aſſumpto corpore fœcundare, & de ſinu patris nõ emigrare: hinc ad oculos humanos exire, inde mentes Angelicas illuſtrare; hinc ad terras procedere, inde cœlos extẽdere, hinc homo fieri, inde homines facere. Incredibilia ne hæc ſũt? Incredibilia prorſus, ſi hominis ingenio facta dicerem, nõ Dei, cuius omnipotentiæ nihil clauſũ, nihil non facile ac paratũ. Vrgent Prophetarũ oracula, Euangelij, Apoſtolorũq; teſtimonia, ut hæc facta credamus. Itaq; credimus: quomodo autem, & quibus itineribus progreſſa fuerint illa omnia, ne quærendũ quidem uidetur. Quid enim quærã ſuper his, quæ nõ minori poteſtate, quàm facilitate à Principe Deo geſta naturæ regulas exorbitare conſpicimus? Nam magna in domo ſerui, & ſi ſciant quæ gerantur, tamen per quos, aut quomodo, grandioribus præſertim in rebus ſæpius ignorant, neque ulterius exquirunt, contenti ſunt eo, quod uident: non enim in conſilio adhibentur à Domino. Eadem noſtra eſt cauſſa: quis enim ſupremo Deo tanta in re cõſiliarius fuit? quem ille aduocauit? cuius hominis ingeniũ prudentiamque requiſiuit? Vix ſcimus, ac ne ſcimus quidem quomodo humanus animus tantam uim ferens ingenij & rationis illigetur corpori, ut perſona hominis inducatur, & cogitabimus intelligi poſſe quomodo Deus iunxerit ſe homini, ut excellentiſſima fieret perſona Chriſti? Tantum enim id eſt miraculum tamque ſtupendum, ut alia miracula facta fuerint, ut id unum crederetur: non enim aliò pertinent, quæcunque geſſit mirabilia in Euangelij prædicatione Chriſtus, niſi ut ſe Deum oſtenderet, nam hominem eſſe omnes uidebant, quorum ſanè miraculorum rationem, ſi quis quærat, nullam inueniet, propterea, quòd naturæ huius nobis notæ longè terminos excedunt. Eodem pertinent, quæ de Virginis ſalutifero fœtu traduntur. Fœmina Iſraëliticæ pubis abſque uirili contactu, nullo ſemine, puro utero diuinam ſobolem concepit, & infractis pudoris clauſtris in lucem effudit. Magnum, quòd naſci uoluerit Deus, nam quod de Virgine, tam et ſi mirum, congruebat, ſcilicet Dei uerbum, cupiens hominem induere mutuam corporum duorum libidinem, ac non potius ſua ui, ſuo ſpiritu intra materna uiſcera fingeret ſibi & fabricaret, quod eſſe cupiebat? Quomodo porrò Mariæ uterus ſanctitatis templum ſanctiſſimo in opere eſſe potuiſſet, ſi uirum experta Virginitatis florem poſuiſſet? quomodo mater Domini delibata dux & princeps cæteris ad perpetuæ caſtitatis delectum fuiſſet? datum hoc igitur parenti diuini uerbi, cæteris cunctis altius præhonorandæ, ut indeflorata mater inueniretur. Datum hoc etiam cœleſti Patri, ut uerus eius & naturalis filius non alium haberet patrem, quàm ipſum, qui ab æterno æqualem eum ſibi genuiſſet. Datum Filio, ut abſque carnis peccato is conciperetur, qui peccatum facturus non erat, & per quem peccata omnia tollerentur. Datum temporibus nouæ legis, ut Spiritu ſancto aucto-

re

re conciperetur, qui eundem eſſet ſpiritum largè orbi illaturus, & qui plures filios non ex ſanguinibus, neque ex uoluntate carnis, ſed ex Deo Eccleſiæ ſuæ creaturus. Ergo nouo more nullo exemplo uirginitatis candori puerperium ideſt, laus & decus nuptiarum arrogatum. Non eſt quòd obijciatur de reliquis matribus, quoniam unam hanc tantùm exci pimus puellam, ſanctam fide, ſanctam opere, ſanctam ab omni iniuria cõ cubitus: hanc decuit de Deo concipere, quæ Deum meruit procreare. Quòd ſi fortaſſe nondum cernitis, quid tali in re faciendum fuerit, fingi te, quo melius doceamini, quòd adeat Deus ipſe mortalem fœminam, & ab ea petat, ut uiri iungat ſe amplexibus ſui cauſſa, quo ſcilicet illa opera formatum hominem ſuſcipiens, ipſe utranque copulet naturam, homi nis & Dei. Etenim indigna Deo hæc eſſet poſtulatio, iureq; reſponderit mortalis: Quid me captas æterne Pater? Non ſorde ulla candidos mores meos infecero. An gratior tibi fuero uiolata poſito Virgineo pudore? Tu deornamento poſtulas eſſe parenti, hoc Virginis nomine, quo nunc ſum tanta erepto? Tu ſanctiſſimus matrem habere potes pollutam? Dei genitrix fuerit, cuius utero uitium additum ſit? Cur non potius efficis, quod potes, ut uirum ſine uiro concipiam? Iuſta & officij plena expoſtulatio. Dicitur uirile ſemen eſſe in primis uiuificum, & maximè animale ſummusq; artifex & ſapiens architectus fœtus ipſius, id abfuit modò, & nihilominus uirgo hæc concepit & peperit, quod tam mirum uideri debet, quàm ſi tellus ab omni cultu uacua, atque, ut ita dicam, caſta frumentariam ſegetem efferret, uel flores ſtirpes, gramina daret Solis, & Lunæ, & cœli ipſius efficacibus motibus repreſſis. Sed hoc præſtare poſſet Deus, qui de nihilo creauit omnia, & nunc quid mirum hominem ab illo ſine ſemine conditum, qui ſine ſeminibus ipſa condidit rerum ſemina. Non ratio, non pietas, non fas ullum permittit, ut naturæ ſcita impingamus Deo, quæ ille nobis non ſibi creauit. Itaque firmiter tueri, uel uenerari potius diuina acta debemus, & eo enixius, quo maiora clariora que ſunt. Ita enim Euangelica prodit lectio, Deum ſapientiſſimè ſpirantem concipiendi uim & fœtificandi puellæ præcordijs intuliſſe, id ſepoſi tis naturalibus cauſis extraordinaria Dei poteſtate perfectum. At uidete quàm ſapienter. Oportebat, quòd, qui naſcebatur Chriſtus oſtenderetur, quomodo uerus erat Deus, uerus homo, hoc oſtendit eum eſſe ue rum hominem, quòd è communi hominum conſuetudine natus eſt ex fœmina: illud oſtendit Deum, quòd ſupra naturæ humanæ conditionem natus eſt de Virgine. hoc conſilium uidetur fuiſſe Dei, ut in unitate perſonæ copulans ſibi utranque naturam ſolita ſublimaret inſolitis, & inſolita ſolitis temperaret. Si enim omnia ageret ut Deus, non oſtenderetur ueritas humanæ naturæ, ſin ut homo, non crederetur eſſe Deus: ergo in Natali hoc & reliqua uita omni ſic egit Chriſtus diuina opera humanis, & humana diuinis miſcendo, ut utriuſque naturæ copula in eo eluceret. Conſiderate illud inſuper, quàm mirificè ex eo, quòd Chriſtus natus eſt

ex

ex fœmina, uterque ſexus fuerit exaltatus, uirilis in ipſo: fœmineus in tre. Illud uerò, quòd ex fœmina Virgine natus eſt, præſtitit, ut omnis ge n erationis humanæ diuerſitas compleretur. Nam primus homo produ-ctus eſt de limo terræ ſine uiro & fœmina. Eua producta eſt ex uiro ſine fœ mina, cæteri homines naſcuntur de uiro & fœmina. Quartum, quod ſup ererat naſcendi genus, quaſi proprium relinquebatur Chriſto, ut pro duceretur ex fœmina ſi ne uiro: Putate ex perſona Spiritusſancti uerba illa ab Eſaia prolata. Acceſſi ad prophetiſſimam, & concepit, & peperit fili um. Cui etiam illud Hieremiæ congruit. Nouum creauit Dominus ſuper terram, fœmina circundabit uirum, & de humana quidem genera tione, quam ſuſcepit Deus, Deo natus: hæc dicta ſint, diuinam autem e-ius generationem (ut dicam cum Propheta) quis enarrabit? nam, quum D ei Filius uſque eo ſeſe dimiſerit, ut pariter fieri uoluerit hominis filius, ſo rtitus eſt utrinque parentes admirabili modo, nam quum duplex iam ſit & biformis ideſt homo & Deus, duplex quoque illi obtigit generatio, unde Deus eſt, Deum habet patrem, unde homo, hominem matrem, pa trem in cœlis, matrem in terris, patrem ſine fœmina, matrem ſine uiro: à patre, cui par æternitate eſt, genitus ante ſæcula, à matre, cui impar æuo fuit, in ſæculo natus, unde patrem refert, anterior matre, unde matrem, poſterior patre. Illud quòd Dei filius fuit, naturæ ſuæ aſcribitur, hoc quòd hominis fuit filius, utilitati noſtræ fuit tributum: unum neceſſita-tis fuit, alterum uoluntatis. De his egregiè Ioannes Damaſcenus. Duas (inquit) Chriſti natiuitates ueneramur, unam ex patre ante ſæcula, quæ eſt ſuper cauſam, & rationem, & tempus, & naturam: & unam, quæ in ultimis temporibus propter nos, & ſecundum nos, & ſuper nos: propter nos, quia propter noſtram ſalutem: ſecundum nos, quia natus eſt ho-mo ex muliere & tempore conceptionis, ſcilicet nouem menſium: ſuper nos, quia non ex ſemine, ſed ex Spititu ſancto, & ſancta Virgine ſupra le-gem conceptionis. Ex his manifeſtè liquet geminam Chriſti eſſe natiui-tatem, Chriſtum bis eſſe natum. Hoc uidit Apoſtolus Ioannes, atque a-deò hinc Euangelij ſui duxit exordium, nam ut Chærintiorum, & Ebio-nitarum hæreſim refelleret aſſerentium Chriſtum non fuiſſe priorem Ma ria, nec eum natum Deum, ſed hominem tantùm, poſtea meritis diuini-tatem adeptum. In principio ait fuiſſe uerbum apud Deum, & hoc uer-bum fuiſſe Deum, & per hoc uerbum omnia facta fuiſſe: deinde conclu dit hoc uerbum ad nos ueniſſe & carnem fuiſſe factum. De hoc uerbo, de quo Euangelii auctor tanta dixit, ſi libentibus animis audire uolueri-tis, planius aliquid diſſeram, ut huius Euangeliſtæ dicta in eccleſiis ho-die reuocata melius percipere ualeatis, ſimul ut etiam de diuina Chriſti generatione, quam ille paucis attigit, latius aliquid dicatur. Sed quibus uerbis unicum illud uerbum effari potero? eſt enim ineffabile, nihil ta-men prohibet uel rudibus lineamentis id utcunque effingere. Verbum non illud ſolum ſignificat, quod humani oris uoce effertur, ſed id multo magis,

magis, quod intra ſe mens concipit, & inductis cogitationibus ſecum euoluit. Hoc manifeſtum eſſe poteſt cuique in ſe ipſum intuenti, ſed ſacrarum quoque literarum teſtimonio (ſi quis id cupit) ſatis oſtenditur. Nam in libro ſapientiæ capite ſecundo legitur. Dixerunt apud ſe impij cogitantes non rectè. Expoſuit quid ſit, dixerunt apud ſe, cum addidit, cogitantes. Huic ſimile eſt in Euangelio, quòd quidem Scribæ, quum audiſſent à Domino dictum paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: dixerunt intra ſe, hic blaſphemat. Quid eſt enim, dixerunt intra ſe, niſi cogitando? Denique ſequitur: Et quum uidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit: Vt quid cogitatis mala in corporibus ueſtris? Sic Matthæus; Lucas autem hanc eandem rem narrans apertè poſuit cogitationem. Cœperunt (inquit) cogitare Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Et de illo diuite, cuius ager uberes attulit fructus, ait ipſe Dominus. Et cogitabat intra ſe dicens. Gaude anima mea & cætera. Hoc igitur uerbum, quod intra cordis penetralia fit, fons & origo huius exterioris, quod ſono uocis effunditur, habet etiam Deus. Sed operæpretium eſt Dei uerbum noſtro conferre, non exæquandi cauſſa, ſtultum id enim & temerarium, ſed, ut quum cognouerimus quanto interuallo diſiuncta ſint, tùm demũ noſtri uerbi humilitate perſpecta alterius excellentiam & dignitatem magis miremur. Ac primùm illud quidem animaduertere licet, quòd humana uerba, & dum uoluuntur interius & exterius erumpunt, oriuntur in tempore, & tempore complentur, & unà cum ipſo tempore effluunt, & alia alijs obruuntur, & uarias mutationis patiuntur uices: quieſcunt ſæpe numero, & in obliuionem tranſeunt & ſilentium. At Deus unicum tantùm habet uerbum, immutabile, eodem modo ſe habens ſemper, quo ille loquitur aſſiduè: eſt hoc uerbum illi coæternum, ita, ut quibuſdam ocioſè nimis quæritantibus, quid ante ortum mundi ageret Deus, reſpondere uerißimè poſſimus, quòd beatiſſimo illo ſermone ſecum loquebatur. Quid deinceps? Num nos, qui multis cogitationibus, pluribus etiam uerbis abundamus, ueritatem rerum ſatis aſſequimur, aut eloqui ualemus? minimè uerò: nam primum acie mentis hebeti utimur ad res perſpiciendas atque intelligendas: non enim intimè res ipſas cognoſcimus, ſed ex cauſſis earum & euentis iudicamus; non etiam ultimos earum fines perſpicimus, ut quid inter unum & alterum interſit, exactè teneamus. Rectiſſimè quoque illud dictum caligare humanæ mentis oculos ad ea, quæ in rerum natura, prima ſunt ac præcipua, non ſecus ac noctuæ ad clariſſimam ſolis lucem. Quantulum eſt præterea, quòd notitiæ noſtræ (qualiſcunque ſit) ſubdatur. Quis unquam hominum terreſtria cœleſtiaque ſe noſſe omnia opinatus eſt? An non illud etiam rectiſſimè dictum maximam eorum partem, quæ ſcimus, minimam eſſe eorum, quæ ignoramus? hanc tantam noſtram ignorationem multi ſæpius deflerunt. Sed illud quoque infauſtum nobis contingit, quòd cogitationes, quas de rebus habemus

(qualeſcunque ſint) non ſermone ſufficienter exprimere ualemus. Additur hoc ad imperfectam cognitionem, quod ne pluribus quidem dictionibus eam aptè repræſentare ualemus: melius cogitamus quàm dicimus. Itaque inepti Oratores nos ac penè nihili ſumus. Quid illud? Num ſemper noſtrum uerbum de ſcientia procedit? Minimè, nam ſæpius ea dicimus, quæ falſa ſunt, uera tamen eſſe opinantes: ſæpius etiam dubitamus cogitationibus huc illuc fluctuantibus, & quicunque dubitat, fatetur ſe uerum neſcire: hoc tantum ſcit, quòd dubius eſt, quod non ſatis eſt ad ueritatem percipiendam. Quid dicam nunc de Deo? quàm magnus eloquutor ille? quanta pollet uerbi latitudine? qui quicquid eſt, fuit, erit, ad ueritatem naturæ uniuſcuiuſque unico hoc tantùm uerbo nulla interpellante quiete recenſet, ne capillus quidem humani capitis ipſum latet, quippe, qui etiam numerum arenæ teneat, & ſtellas ſuo unamquanque uocet nomine. denique quum uniuerſa, ut dixi, recenſeat præſentia, præterita, futura, qualia ſunt in ſe ipſis, ſummam illi & perfectiſſimam rerum omnium cognitionem concedimus, & intelligimus, quàm magna ſapientia afflueret, qui orationem Dei unico illo conceptam uerbo inſpectare poſſet. hoc etiam habet Dei uerbum, quod non poteſt falli nec fallere: ut potè, quòd ſumma ſit ueritas, neque hoc, quod non poteſt, putanda eſt infirmitas, ſed firmitas. Potenter non poteſt mutare formam, & ſe ipſo deterius fieri. Sed & illud conceditis mihi aliud eſſe hominem, aliud hominis uerba, ſiue de externis loquamur uerbis, ſiue etiam de internis: non enim quicquid animus noſter intelligendo concipit, eſt ipſe animus, imò ne res quidem uera eſt, quam concipit, ſed rei ſimilitudo. Itaque homo intellectus non eſt uerus homo, ſed quaſi quædam ſimilitudo hominis ueri intelligendo apprehenſa. Fingamus tamen effici arte quadam poſſe, ut uerba eſſent ſimilia his, qui ea proferrent ſeu conciperent, tunc uerba ab hominibus prolata, ſeu concepta, homines eſſent, & quot quiſque uerba diceret ſeu conciperet, totidem numero filios effunderet. Hic quanto eum crederetis donatum munere, qui aſſequutus fuiſſet, ut animantia uerba ſui ſimillima poſſet effingere, & hoc modo liberorum fieri pater. At Deus hoc, quod tantum eſſe diximus habet, quia uerbum illud, quod protulit, ſui ſimillimum per omnia effundit poteſtate, bonitate, æternitate. Itaque Deus Deum genuit, & Dei uerbum meritò Dei filius nuncupatur. Verbum autem illud gignit Deus ſe ipſum intelligendo, nihil à generante diſtans, niſi ſola origine: non enim aliud in Deo intelligere quàm eſſe Deum, ita ut intellectus à ſe ipſo Deus ſit uerus & unus Deus. At non ex ſuperioribus tantùm, ſed uel ex eo pernoſci maximè poteſt, quàm uerba noſtra iaceãt collata huic ſupremo uerbo, quia illa à factis plurimùm differunt, & iuſta, fortia, temperata dicere cuiuslibet hominis eſt, opere uerò explere non iam cuiuſlibet, ſed magni tantùm & potentis atque prudentis, demum ocij uidentur eſſe uerba, uirtutis res geſtæ. Itaque his honorem deferimus, illis non mul-

multùm tribuimus. At non ocioſum Dei uerbum, nec à facto recedens: quicquid hoc uerbo profatur Deus ſtatim apparet. nam quum antea res nullæ extarent in mundo, ac ne mundus quidem eſſet, nihilque Deus inueniſſet paratum ad eius fabricam, ſtatim hæc tanta apparuerunt uerbo diuino ea fieri iubente. Quale hoc uerbum? per quod cœli ſublimatas, terræ fœcunditas, maris mobilitas, aëris tenuitas, ignis leuitas, ſiderum luciditas emicuit? Hæc uidentur. Quid illa, quæ non uidentur? Angelos dico, ſedes, dominationes, poteſtates, reliquas ſubſtantias ſpiritales, nonne & ea per ipſum condita? Nulla forma, nulla compages, nullus motus, nullum tempus, nullus locus, nullum pondus, nullus numerus, nulla menſura, nulla denique res, quòd hoc uerbum non efficiat, effecerit. Quomodo igitur maius aliquid excellentius'ue hoc uerbo inueniri poteſt, quod à Deo genitum unà cum generante unus eſt Deus, immenſum, omnia condens, inſtaurans, regens, componens, quid ſublimius aliquis excogitabit? attamen hodierno die ſe ipſum deiecit & humilem ire uiã inſtitit, Deus inquàm hodie uerbum ſuum reddidit uile, & uerbis noſtris propemodum exæquauit: nam mens hominis uerbum cogitando gignit & effingit, id corpore uocis per membra ſyllabarum digeſto includit, & auribus illud inſinuat, ſcribendo etiam literis alligat, & quaſi uideri permittit, idque dum fit, uerbum ipſum, quod intra mentis penetralia è dignitate ſua illic manebat, tum ueluti corporeum redditum uileſcit. Similiter Deus uerbum ſuum formam ſuſcipere hominis, & concretum etiam corpus induere uoluit, & hac ratione ſpectandum omnibus audiendumque præbuit. Verbum (inquit Ioãnes) caro factum eſt: non eſt illud uerbum in carnem conuerſum, ſed carnem aſſumpſit manens id, quod erat, & attrahens ad ſe, quod non erat: ſicut nec uerbum uoſtrum, quod interius in animo uerſatur, ubi foras apparere nititur, uox fit, ſed in ſua manens ſede uocis ſonum aſſumit. At quòd Dei uerbum noſtram carnem aſſumpſerit, id præter dignitatem tanti uerbi factum eſſe dignoſcitur. Hinc magna inſurgit admiratio. Venit ad nos Dei uerbum, Deus ipſe. Cur nos non potius ad illum? nos enim egemus illo, non ille nobis, ſed nec conſuetudo eſt, ut maiores inferiorum petant limina, ſi quid impetrandum fuerat, id ab eo precibus erat poſtulandum, qui & habet quod det, & dat nemo largius; attamen iſte tam magnus tamque potens, ut oſtenderet quanta ſit illi cura de nobis, & ut præberet indelebile charitatis ſuæ documentum, humillima quæque ſuſcipere, & ad uilia & anguſta noſtra deſcendere non recuſauit. Et nunc quidem cauſſas ipſas, cur nam id factum ſit, quod ſecundo orationis meæ loco dicturum poſueram, ingredior. Quis enim non nouit quemadmodum Adam ſtirps generis noſtri, dum diuinis iuſſionibus obuiam ijt, prolem tanta macula & reatu illo infecerit, hinc delicatiſſimo de hortulo in inferiora hæc detruſus loca infœlicitatis exuuias ſecum attulit, ideſt ærumnas mortalis huius uitæ: parum hoc, niſi quòd poſt corporis mortem den

ſiſſimæ tenebræ, triſtiſſimi mœrores animis ingruebant, obſtructo aditu ad diuinæ claritatis & lætitiæ loca. Nam ubi iniuncta confregiſſet Adam affectans exæquare ſe Deo, audire meruit. Abi, quoniam melliflua bonitate Dei: cuius potentiam fœde nimis petebas, haud frueris. Tabuerat humanum genus hæreditario illo malo, & quid faceret, quomodo mortifera eriperet ſe ex plaga nõ habebat. Voluit homo per arrogantiam ad diuina conſcendere, quod remedium præter illud, niſi ut deijciens ſe ad humana deſcenderet Deus: ergo uerbum Dei æternum coæquale parenti, exhauſit ſe ſe & exaniniuit, imbecillitatis noſtræ appingens ſibi formulam, deijciens ſe non minus, quàm quantùm ille generis noſtri parens intumuerat. Magnæ illi arrogantiæ, quæ de terris ad ſolium uſque Dei ſe ipſam inflauerat, reddita par humilitas, quum de diuino ſolio ad terram uſque depreſſit ſe Dei filius, & homo factus obedientiæ iugo recepto acerbiſſima quæque & duriſſima perpeſſus eſt, ſed gratior hæc humilitas cœleſti parenti fuit, quàm odioſa illa fuerat ſuperbia. Itaque reddidit hæc, quod altera abſtulerat. Adam ab humo eodem artificio excitarat Deus, quo hæc cœleſtia, terreſtriaque ſpectacula perfecerat. Illum ingenii magnitudine armauerat, multarumque uirtutum dote illuſtrauerat. hic eſt, à quo ſylua omnis humani generis deſcendit, quis primi parentis eluere culpam, quis Adæ magni uiri peccata corrigere deberet, niſi qui maior illo multò excellentiorque foret? Ergo homo iſte prodijt, qui pariter erat Deus, maior excellentiorque perſona prodire non potuit? reddita eſt per hunc nobis ſalus, æternæque uitæ fœlicitas: nam quo dependerentur ſupplicia culpæ debita, mortale corpus pœnis quibuslibet obiecit, labemque genti inuſtam tali tantaque ſine labe uictima in ara crucis expiauit. O' quàm immenſas & immortales gratias agere debemus huic puero, puero inquam, qui & ſi nondum re, animo certè crucem iam tollit. Enimuerò ab eo die, uel ab eo potius temporis puncto, quo ſe carnis noſtræ ſeruitute obuallauit, ad illam inſignem pœnarum ſummam ſemper affectu tetendit: nec ullum interfluxit tempus, quo non ſitienter appeteret patibulum, ſeu potius Trophæum, quo antelato humanã prolẽ cœleſti Patri cõciliare parabat. Itaq; deſideriorũ crucem hauſit animo alterã, dũ uera crux abfuit à corpore, hãc deinceps crucem tempore ſuo cupidè utraq; manu cõplexus eſt, & quàm cupidè fuerit cõplexus, illud oſtendit, quòd clauis etiã infigi illic uoluit. nã illũ ſpõte ſe ſe offerentem, pietas ſua & miſeratio noſtri infixit, nõ Iudæorũ furibunda proteruia, quæ fruſta aduerſus diuinam poteſtatem inſultaſſet. Quis contagionem iam ullam humano generi imputet, fluuio diuini cruoris tanta charitate erumpente, undique inundante, turpia, fœdaque cuncta diluente? Quis humanos animos à cœlo arcere, ab æternis illis templis depellere audeat, quorum ſalutem & uitam uideat tanti ſtetiſſe, tam magno redemptam. Non iam Adæ amplius mentionem perhorreſco, non iam uulnus horreo tunc inflictum, poſtquàm tanta fuit medici medi

cinæque

cinæque nobilitas. Erat unicus ille Dei patris natura filius, attamen, ut nos, qui nihili ſumus, filios Deo faceret adoptione, & in cœliſtis hæreditatis portione ſecum coniungeret, (non enim uerebatur anguſtias etiam ſi plures poſſediſſent) humillima quæque ſubire uoluit uſque eò, ut ſanguinem animamque pro nobis profunderet, non ſine grauiſſimo cruciatu. Verſantur in hominum uita flagella, ſputa, irriſiones, uulnera, ſpinæ, crux. Hæc mala noſtra ſuſcepit ille, ut nos bonis ſuis ditaret. Magna Dei clementia, qui hominem per ſe, & tot per pœnas ſeruare propoſuit. Magna hominis dignitas ſic ſeruati. Si gloriari uoluerit nunc homo, iure id licet, non quòd ſit aliquid à ſe ipſo, ſed quòd tanti eum fecerit, qui fecit. His cognitis minus mirandum eſt, de his, quæ hodie geſta recolimus. Infantulus eſt enim hodie Dei uerbum nobis. Ita ne uerò tam tenex eſt, qui eſt omnium fortitudo? quomodo antea nouem menſium clauſtra in aluo pertulit materna is, qui nullos unquam nouit fines? Quomodo lacte nutritur, qui cibum ſolidum præbet cunctis animantibus? Quæri item poteſt cur ſuſtineat paulatim progredi ætate, & ab infantia ad pueritiam à pueritia ad adoleſcentiam, ab adoleſcentia ad iuuentutem prouolui, qui æternitatem habet, & ſumma rerum omnium eſt perfectio? Sed hæc minus iam mira uideri poſſunt cogitantibus, quòd ſponte noſtri cauſa iſte tam magnus uoluit ſe attenuare, hæc tam uilia & abiecta excipienda illi è naturalium inſtitutorum ratione fuerunt, aut ne ut homo ueniſſet, quomodo tamen ueniendum duxit, ut quod unius uitio contractum fuerat offenſionis, alterius officio lueretur. Illud magnum & omni admiratione plenum, quòd qui Deus erat, homo fieri uoluit. Reliqua iuxta ordinis conſequentiam ſuccedunt. Nihil ne præterea aliud inuenire poſſumus muneris, quod attulerit Deus carni noſtræ ſociatus? Fortaſſe enim quibus iter ad ſupera patefecit: nullis præceptis datis uiuere permiſit, quod abeſt à diuinorum operum perfectione plurimùm, ut hominibus ad tam magna præmia excitatis non pleniſſima ratione lex conderetur. Narra obſecro, qui religionis cultus ante Euangelicæ legis prolationem. Erigebantur inter gentes fictiles dij, ad hos uenerationis cauſſa adibant homines, non excordes minus & examines, quàm ſimulachra, quæ colebant. Nam ſi illa ſenſu & mente uiguiſſent, nunquam tuliſſent homines ſibi genu poſito ſupplicantes, ſed talem hominibus honorem ipſa ultro habuiſſent; quòd ſeſe expoliuiſſent, & è rudi materia ad inſignem ornatum & eximiam pulchritudinem deduxiſſent. Homines profectò miſeri qui quũ eſſent ipſi uiuacia Dei ſimulachra, inania ſigna mortali manu fabricata uenerarentur: at fœlices fictores, qui artificio digitorum Deos gentibus faciebant. Statuas enim ſuas Deos uocabant, idque adeò huius artificij putabatur eſſe proprium, ut quoſcunque ſtatuarios Græca dictione θεοποιούς, ideſt Deorum factores nuncuparent. Hinc olim conductus Phidias nobiliſſimus arte fingendi, ut Athenienſibus ciuibus ſuis Deam faceret Mineruam, & certatum tuncfuit in populi concione, an

ebur-

eburneam faceret, uel marmoream : ipſe marmoream malebat, quia marmor ſplendorem diutius retinebat, uicit tamen ebur, & uiſum ſui nobilitate dignius, quòd coleretur. Hæc nos ſcilicet ridemus, ſed non minus ipſi ueteres Deos ſuos irridebant, quorum unus Iouem aduocantem ſibi concilium Deûm omnium atqu e etiam ſemideûm facit in re communi dubia atque trepida, eo in conſeſſu diligenter obſeruatur à Mercurio, cui id muneris iniunctum fuerat à Ioue, ut aurei dij argenteis præponerentur, & iſti æneis, & qui opera erãt Praxitelis uel Phidiæ aliis, qui ignobilium artificium manu fuerant dolatu. Quòd ſi cæteros credere uoluerimus, uel ingenia opificum, uel rerum pretia inſulſe miratos ſtatuas pulcherrimè fabrefactas diuino cultu dignas putaſſe, nihil temerè aut per inſcitiam feciſſe uidebuntur Scythæ, qui Martem ſolum Deum habentes, enſes pro ſimulachris colebant, nimirum ſi deinceps apud huiuſmodi ſimulachra humanis hoſtijs litabant, quod pigeret aſſeuerare, niſi magnorum auctorũ literis fuiſſet comprehenſum. Erant nonnullæ nationes, quæ reiectis ſimulachris omnibus, ea tantùm pro Dijs habebant, quæ oculis cernerentur, reliqua aſpernantes. Ergo erat illis præcipua Solis & Lunæ ueneratio, quæ una ex omnibus maximè uidẽtur, nec erat cur lippitudo oculorum alicui immunitatem diuini cultus præberet. Mitto Aegyptios qui crocodilum, felem, canem, & nonnullas alias beſtias ſibi conſecrauerant, ſed Romani urbis ſuæ conditorem Romulum propriè colebant, qui in Deorum numerum non ueniſſet, aut certè minor fuiſſet Deus, niſi fratrem regni conſortem interemiſſet: ijdem Deæ febri templa poſuerunt. O rem furioſam habere pro Deo uitioſum motum ſui corporis: quid timebant? ne noceret, quomodo? quum duos medicos patrem & filium haberent, quibus pingues uictimas immolabant: quid Apolline & Aeſculapio præſidentibus medicinæ à febre timendum fuit? Cybele mater Deorum omnium dicebatur. An hæc etiam Aegiptijs Deum peperit canino capite? & Afris alium taurino uultu? porrò quale illud eſt, quòd execti huic Deæ ſacra facerent, quum per innumeros concubitus tantam ipſa Deorum prolem genuiſſet. At enim tellus propter ſui fœcunditatem colenda eſt, quis negat? ſed ferro colenda eſt, non thure, & ceruice bouum, non quæ colliſa ſecuribus templa cruore ſpargat: ſed quæ aratrum intra glebas traijciat, hoc enim modo redditur fœcunda. Nullam diuinitatem habent elementa mundi, quæ ſi inſtituta ſunt propter homines, debent illa humanis uſibus ſeruire, non homines ea adorare. Quapropter non mediocriter etiam illi errarunt, qui uidentes uana Deorum eſſe ſimulachra, ea ad naturæ ſignificationem reuocabant, ut Vulcanus ignem, Iuno aërem, Neptunus aquam exhiberet. Sed quorſum hoc? nam ſicut non in ſtatuis, ita nec in elementis illis ulla ineſſe poteſt diuinitas. Hic forſitan obijciet aliquis illos è gentibus uiros, non adeò rudes fuiſſe, ut colerent ſimulachra, ſed coluiſſe Dæmones, qui ſimulachris inſederãt. Itane uerò Dæmones colebantur? O rem peſſimam, mitior fuerat uacua ſimulachrorum

mulachrorum ueneratio. Videre iam licet caliginem temporum illorum, quum de tam deteſtabili Dæmonum cultu non uulgares homines, ſed qui prudentia uidebantur excellere, gloriarentur. Nam Mercurius Aegyptius, qui æuo ueteri ſpeculum habebatur ſapientiæ, & ob eam rem ter maximi cognomen accepit, ſicut (inquit) Deus Dominus ac pater omnium Deos fecerat æternos ſui ſimiles, ita homines illius imitatione Deos ſibi facere ex ſui uultus ſimilitudine effictos, ſed homines, quum animas facere nequeant, Dæmones euocare, & illos ſacrorum ritibus & obſequijs delinitos corporibus ſimulachrorum ad humanam ſpeciem fabrefactis illigare, atque includere, ut conferre bona mortalibus placati & dubijs rebus ſalubria petentibus reſponſa efflare poſſint. hoc enim modo Deos ab hominibus fieri interpretatur, & ea de cauſa propter ſtatuas animatas præſcias futurorum imbecillitates hominibus facientes eaſque curantes, gaudiorum & ægretitudinum pro meritis importattrices, cenſet Aegyptum imaginem cœli præ ſe ferre, imò uerius cœlum in Aegyptum deſcendiſſe, nullum pulchrius humanum opus uideri uult, quàm hoc Deos ſibi faciendi, quod tum ueluti temporis huius præſagus ſublatum iri aliquando ingemiſcit. Retuli huius Aegyptii ſententiam ſuis penè uerbis, quam ſequuti ſunt Pythagorei primùm, mox Platonici, quorum inter Philoſophos nomen magnum olim atque illuſtre fuit. Etenim iſtarum familiarum duces Pythagoram & Platonem Aegyptum luſtraſſe & illis diſciplinis imbutos ad propria remigraſſe conſtat. Hi Dæmones medium quoddam genus inter Deos & homines poſuerunt, eosq́; colendos cenſuerunt his ritibus, ſacrificiis, nominibus, quibus ſe coli mandaſſent, ne nocerent irati, & bona propitii ſuppeditarent. Hæc faciunt ut credã facilius, quæ de Numa Pompilio Rege Romanorum ſecundo tradita ſunt, nam hunc Pythagoreum quoque fuiſſe fama circuntulit. Lucus erat aſper ac denſus arboribus, cuius in medio fons. Huc traiiciens Numa ac ſtans in fontis margine Dæmones fertur euocaſſe, eorumq́; imaginibus in aqua relatis accepiſſe ab eiſdem ſacrorum ritus, per quos illi humano generi bona traderent, mala remouerent, & tunc quidem Rex ille ſacrorum inſtitutor celauit po. Romanum quid ageretur. Veruntamen his de rebus confectos libros diligentiſſimèq́; obſignatos altius humi condidit, quos multis poſt ſæculis aratro patefactos Senatus cenſuit ad publicas religiones diſſoluendas pertinere. Ita eius conſulto uix lecti in concione publicè exuſti ſunt. Certè ille nobilis è gentibus Poëta hunc Numam narrat carminibus Iouem elicuiſſe de cœlo, & ea de cauſſa à poſteris elicium uocitatum; quem Iouem obſecro, quæ Elicium? quæ fabulæ? nam ſi ad ueritatem accederet, Dæmoniacum diceret ſpiritum elicitum cæteris nequiorem in arce ſtãtem aëris huius caliginoſi: hunc enim incolunt illi mundi locum: hinc Iupiter ille ne ſuis mendax ſit inſignibus, fulmina uibrat, tempeſtates contorquet, quanquam huius nepos Aeſculapius ueritatis etiam aliquid habuiſſe dicitur. Noluit, quoniam

niam medicinæ erat præpoſitus fallere. Ex Epidauro Romam accerſitus anguina ſpecie oſtendit ſe legatis: atque ita circunuectus ab illis & Romanis mœnibus illatus. Etiam ne eum, qui ut anguis uenerat colere oportebat? ſed nihil Aeſculapio obijci poterat quando digniſſimam natura ſua formam ſuſceperat, hunc ſi reliqui dij imitari uoluiſſent, minus erroris fuiſſet in cauſſa, ſed illud argumentum certiſſimum fuiſſe illos fœdiſſimos Dæmones, quòd Deorum illorum, quorum perſonas induerant, prœlia, cædes, ſacrilegia, ſtupra, fraudes, libidinem, Poëtarum carminibus celebrari uellent, quòd ſacra ipſa obſcœnis & uocibus & ritibus peragi cuperent, quòd humano nonnunquam cruore irata numina placari mandabant: qui hi quæſo ſpiritus, qui talia ab hominibus exhiberi ſibi cupiebant, habent ſanctitatis? quid non potius fœditatis? at quanto cum tumore, arrogantia, nequitia, humanos ſibi animos proſtituebant, dum ab eis exigerent religioſum illum cultum uni Deo deditum, hi niſi perditiſſimi fuiſſent ſpiritus, homines nunquam à uera religione auertiſſent, & ad ſe colendos conuertiſſent? Ita ſiue gentes ſimulachra colerent, aut beluarum, aut hominum mortuorum, nihil ſtultius, ſiue Dæmones in illis, nihil inquinatius, è quorum duorum altero optabile magis fuerat uanam ridere ſtultitiam, quàm improbam ſuperſtitionem accuſare. Hic dies omnia iſta peſſundedit, hæc uana, fallacia inimica diſcuſſit, errepti ex errorum uoraginibus homines & in portum ueritatis relati, nec pauci quidem illi, ſed infiniti. nam ubi nouæ legis ſacratiſſima myſteria de Iudeæ finibus euecta externarum gentium oras peragrauiſſent, confluere undique mortales ad illa præclara, & gregibus aduentare confractis idolis, damnatoque impio Dæmonum cultu: & quamuis illis primis temporibus ui atque armis notaretur Euangelium, tamen diſciplinæ ueritate aduerſus truculenta omnia conſtitit, inuictumque ſe præbuit, demùm potentiſſimorum populorum & regum ſibi colla ſubegit. Hanc legem, quæ inter cædes ſtrageſque fidelium excreuerit, tanquam illo ipſo refecta ſanguine, qui interceptus erat, quæ tam paruo ſemine effuderit ſe tam latè, quæ aduerſus uim, pericula, formidines ſteterit, omnia perfregerit, uicerit, quiſquam putabit excogitaſſe hominem & induxiſſe, ac non infantuli huius humeris delatam, in quo una opera, diuina humanaque omnia coaluerunt. Neque uerò inſtitutis gentium deiectis inſultare Iudæis permiſerim: illis enim exempla tantam ueri quædam prodita, ideo cæteris altiores, nobis biſtanto atque etiam amplius humiliores, quod exemplaria tenemus. Illi rem hebent cum umbris, nobis cum re res eſt. Quantum interuallum inectum eſt inter duas leges, & ſi illis ineſt germanitas quædam atque affinitas? Quid enim eſt lex uetus, niſi uerbum iræ, doloris, perditionis, edictum iudicis in reũ, pœnarum aduerſus peccata intentatio, inquietudinis præconium. Quid Euaugelium? nempe indulgentiæ paternæ uox, ſalutis pollicitatio, peccatorum dimiſſio, ianua Paradiſi, pabulum & refectio ſanctarum animarum

rum

rum.In lege ueteri præcepta cum Hebræis ueluti cum ſeruis ponebantur, quorum cuſtodia pœnam tunc effugiebat, at in Euangelio à nobis fides, ut ab amicis quæritur, cuius meritum ſpe nunc ingentium præmiorum ornatur;terrena,mortalia,imbecilla bona carnis obſequio indulgentiæq; accõmodata illac uideo facere,hîc cœlũ,hîc uitæ æternitas,hîc ad ſpeculã Dei aditus, hîc ſpiritus erigentis ſe quotidie inexplicabili gemitu libertas. Merces rerum terrenarum dabatur eueſtigiò Hebræis rectè facientibus, perinde ac ſi cum eis, ut famulis uel operariis ageretur,quibus diurnum perſoluitur ſalarium. Nobis uerò nunc non terrena pollicetur Deus ſed aduocans à preſentibus futura iubet bona exquirere, in quibus cum unigenito cohæredes facit, ea potiſſimùm oſtentans præmia, quæ deceat eos accipere, qui filij Dei facti ſunt. Memorant Hebræi ſe Deo quondam auctore Aegyptum deſeruiſſe. Moſemque ducem in ſolitudinem ſequutos. Illum de monte Syna digredientem colloquutum ipſi Deo tabulas lapideas ab eo retuliſſe duas, in quibus legis iuſſa adnotata fuiſſent. Hæc uerè proferunt: non tamen cum his, de quibus nunc agitur conferenda. Tunc mortalis homo deſcendit de monte **referens Dei mandata**, nunc de ſupremis cœli oris,de medio diuinitatis ſinu Dei ſapientia, fulgor, proles defluxit ſua afferens iuſſa. Audiendus olim erat Dei Legatus, nunc Deus ipſe præſens ſpiritu, præſens uerbo, præſens & corpore. Ille diuinam legem multa præcipientem atque mandantem tabulis inſculptam protulit. Hic monita æternæ ſalutis cordibus fidelium impreſſit. Multum autem inter hæc duo intereſt, & res longè alia eſt hæc ac illa. Nam litera legis externæ prolata nunquam homini iuſtitiam traderet, ſed iuſtitiæ opera pœna,uel præmio extorquet: at ubi fidem ſuã humanus animus obtulerit Deo, tunc ueluti ceris præparatis digito illic Spirituſſancti diuinæ gratiæ lex inciditur,qua ducente ſuperans cupiditates carnis implet diuina mandata ſtudioſè: non enim timore conterritus ille quiſquis eſt, ſed amore Dei ardens, ob idque iuſtus redditus ad opus accedit, ideo quæcunque fiunt, magna & præclara & cœlo digna habentur, quicunque autem metu pœnæ peccare metuit, huic non peccatum, ſed pœna diſplicet. Is autem uerè peccare metuit, qui peccatum ipſum peius pœnis omnibus odio habet. Hoc perfectum peccatorum odium flagrantemque illum amorem diuinæ iuſtitiæ non legis præbere poteſt ſcriptura,quæ minis tantùm agit & terroribus, uel oſtentatione præmiorum, ſed rectiſſimè talem affectum imprimit humanis cordibus ſpiritus gratia diuinitus immiſſi, quem auctor nouæ legis Deus ubertim effudit, quum in ueteri lege penes paucos tantummodo fuiſſet. Sed dura quoque & aſpera multa fuerant ſeruitio prioris populi imperata, ueluti circuncisio, ciborum delectus, ſabbati cuſtodia, ſeptimi anni quies, tot feſtidies, tot uictimarum oblationes, & plura alia cæremonialia, quæ quoniam poſita fuerant in figuras & ſigna eorum, quæ temporibus nouæ legis uentura erant,ideo illius aduentu ceſſauerunt, quia non eſt opus fig-

mento, ubi res uera apparet; abierunt illa omnia & nos à graui illo & rigido cæremoniarum iugo Legifer noſter liberauit; uerùm non quomodo cæremonias depulit, ita in his, quæ ad mores pertinent, quicquam remiſit, imò arctiora poſuit præcepta, quàm antea fuerant, quia ea magis ad uitæ faciunt ſanctitatem. Iubemur nunc non ſolùm à cæde, ſed ab omni contumelioſo uerbo, nec ſolùm ab adulterio, ſed ab impudico quoque conſpectu, nec à periurio modò, ſed ab omni iuramento temperare, nec amicos tantùm, ſed cum his inimicos quoque diligere. Nõ uxores plures ducere permittitur, ſed unam tantùm, nec hanc unam repudiare licet, quoties libet, imò omne repudium improbatum; indignari nõ poſſumus iure uel terreri, quòd diſtrictius præcepta fuerint nũc quædam longioresque curſus propoſiti nobis, quàm olim ueteribus, quia maiora quoque adſunt ſubſidia & maior cœleſtis ſpiritus afflatus; ſic melior reddita uita ſanctioribus præceptis, nec difficultate onerata addito cœleſti præſidio. Hæc nón dicerem, tam & ſi plurimus de his multorum eſſet ſermo, ſi uerba tantùm ac non res geſtæ loquerentur, nam innmeri reperientur uiri, poſtquam lumen gratiæ huius refulſit, qui non modò ſuperiora illa, quæ fuerant iuſſa impleuerunt, ſed alia quoque longè excelſiora, quæ ad perfectioris uitæ culmen tendentibus tantummodo ſuadentur. Hoc quo melius doceatur inſpiciendum eſt, quomodo ſe res humanæ haberent ante Euangelicæ legis prolationem, & quomodo poſtea ſe habuerunt, & nunc habent. Olim ieiuniorum uſus uix cognitus, at poſt cognitum Euangelium quot mortales quotidiana ieiunia per omnem uitam duxerunt? non apud nos tantùm, uerùm apud Scythas, Thraces, Perſas, Indos, & Barbaros omnes. Quando unquam relicta urbium frequentia, ablegata ciuili ſocietate homines tanto ſtudio & tam magno numero antea, rupes, nemora, arenas tenuerunt, niſi ubi Euangelium orbi reſplenduit? hinc Monachorum illuſtre nomen, quibus tam acris paupertatis cura fuit, ut nihil præter tegmen haberent, nec habere uellent, ideſt ueſtem è palmarum folijs intextam, & caſulam luteam, nam hæc quoque ad tegendum ſpectat, ſupellex ferè nulla uel librorum aliquot tantùm ſacrorum, hanc forſitan copioſiorem habebãt, cibum omnem lautiorem aſpernabantur, pane aut oleribus uictum tranſigentes: nam de potu minus laborabant, quem facilè de fonte & riuulo quolibet ſumebant, rara olim tanta pauperies fuit, quæ in Chriſti grege per innumerabilia capita tam latè cucurrit. Pauci quondam religionis ſtudio uitam profuderunt. At pro Euangelio quot millia procubuerunt ex omni ætate, ſexu, ordine in omnibus urbibus & agris, non ſtudioſè modò, uerùm etiam ſitienter. Non poſſumus numerum Martyrum æquare dicendo, nec ardorem: illud breuiter dici poteſt, quòd hæc una religio plura abſumpſit corpora, quàm multa Regum & populorum bella in unum collata: ſed illa inuitos rapuerunt, hæc uolentes & ſponte ſe ſe offerentes perdidit. Vnde hæc tot & tanta, quæ in Chriſtiano populo abun-

abundarunt, & penes alias nationes & gentes uix apparuerunt? Nempe horum omnium ſemen, auctor, cauſſa illud fuit, quòd poſtquam Deus in ſocietatem uenit humanæ ſortis, Spiritum ſuum hominibus largius impartitus eſt, quo correpti nihil penſi habebant, modò Chriſto ſe commendarent, legemq́ue ab illo datam explerent. Ille ille Spiritus fuit, qui rararum magnarumq́ue uirtutum feraces animos tulit. Virginitas antiquis ignota temporibus uel potius neglecta, quanto hodie in dominatu locatur. Maximum ſanè opus & omnium difficillimum hominem in carne locatum aſpernari carnis ſuaues iucundasq́ue motiones, & tanquam ſpiritale animal ſit abſque corpore, ſolo ſpiritu gaudere: perfundit illecebris corporeos ſenſus inteſtina uoluptas, titillatq́ue blandè membra, his haud acquieſcere motibus turpibus & indecoris, quin potius ingemiſcere, deteſtari, repellere, uiri eſt impolluto calle fœda tranſmittentis. Cætera externa, ueluti opes, dignitatem, potentiam, facilius abijcere poſſumus, at inteſtinum pudicitiæ hoſtem cum eximia ſerpentem ſuauitate frangere, raræ cuiuſdam uirtutis tanquam hominem de homine tollas. Verùm hac animorum munditie, quæ inter ipſas pugnas magis eniteſcit, quid præclarius, magnificentius, ornatius? Virginitas Angelicam uitam hominibus reponit, cœliq́ue, (ut ita dixerim) mores exhibet terris. Itaque uirginum choros ducere inſtituit, quis? ille ipſe, de quo antea audiſtis, qui in cœleſti generatione caruit matre, in terrena, patre: cuius pater fœminam, mater uirum ignorat; quem enim alium putatis? an non ueniebat etiam in mentem Virginis matris, quæ huius propoſiti Dux & princeps fuit? Hos duos Ieſum ſcilicet & Sanctiſſimam eius matrem miro ſtudio emulati multi, uel innumerabiles potius ex utroque ſexu uirgines extiterunt, quod ante illos uel nullum, uel rarum decus fuit. Nondum tantæ rei dignitas innotuerat gentibus, quæ poſtmodum in eccleſia perſpecta eſt, poſtquam ſola uirginitas uiſa eſt digna, quæ Deum pareret & ſæculo portaret. Sed quid perſpectam dico? parum id eſſet, niſi addere poſſem ab innumeris cœleſti fauore innundante certatim fuiſſe appetitam, quod eo magis admirabile eſt, quia nemo ad id cogitur. Virginitas enim ſuadetur, non imperatur: quicunque huius militiæ uoluntarius profeſſor eſt, accedat, nemo inuitus dat nomen: ſi tantum tueri munus poteſt, ſumma uirtus, magna præmia: ſin grauatur, aut etiam apertè detrectat ueritus oneri ſuccumbere, nemo ei moleſtus eſt, habet quo confugiat, unde inferiorum ordinum ſigna ſequatur. Hinc cogitandum eſt utrum aliquando lex ulla fuerit hac melior, quæ maxima quæque partim præcipit, partim ſuadet, & nihilominus utraq; implentur à legis cultoribus, quoniam is legis fuit auctor, qui non commoſtrare tantùm, ſed etiam uires ad implendum commonſtrata poterat ſubminiſtrare. Deinde illud magnum, quòd is eam tulit, cuius ſapientia dubia eſſe non poteſt; antea homines pleni Dei uerbo loquebatur, nunc ipſum Dei uerbum nobis profatur. Diſſentiebant inter ſe olim mor

tales de bonorum malorumque finibus, alijs ſummum bonum uoluptas, alijs uirtus, alijs ſcientia, alijs indolentia uidebatur, & ſumma mala horum contraria. Opinabantur denique uaria homines, non rudes modò literarum, ſed etiam periti, ueluti Poëtæ, Oratores, Philoſophi, Legum latores nulla certa ſcientia, aliud alijs uidebatur, quodlibet hominum genus de iſtis non ſermone modò, ſed moribus certabat. Maxima uerò illa erat ambiguitas utrū humanus animus ſupereſſet poſt mortem, & quæ ſuperſtiti uita, & quæ ad loca proficiſcendum eſſet, optabant in tantis tenebris aliquando nonnulli, qui erectiores erant animo, Dei aliquod audire uerbum, quo innixi ueluti cymbula quadam firmiori uitæ huius truculentiſſimos fluctus tutò tranſmeare poſſent, humanis iudicijs diffidebant: inter hos Plato fuit, qui inter Philoſophos maximè emicat. Is difficillimis in quæſtionibus nihil ferè diffinit, ſed innitendum dicit diuino uerbo, ſi quod haberi poſſit, idque tenendum. Ecce nunc tibi maiora optatis, non Deus extrinſecus aliquod uerbum effudit, quo doceret, ſed unicum illud uerbum, quod erat apud Deum, & Deus eſt, ad nos uenit humana carne aſſumpta: & ore (ut aiunt) ad os hominibus loquutus eſt, oſtendit rectam ſemitam, quæ ad ueræ fœlicitatis & beatitudinis fines perducit, oſtendit: nulla iam ſubeſſe poteſt captio. Habent nunc homines aliorum dogmata, quæ uarijs diffuſa ſunt ſermonibus & literis, ad quod referant examen, ad diuinæ ſcilicet legis inſtitutiones, quæcunque cum his conueniunt, approbare oportet, quæ minimè, reijcere: imparat quippiam diuinus ſermo faciendum: uetat, abſtinendum, minatur, extimeſcendum: ſuadet, credendum: pollicetur, ſperandum. In omnibus denique ſequi oportet, quid enim obijciat quiſpiam cur Deum non ſequatur rectè loquentem, niſi forſitan illud, quod recta loqui facilè ſit, præſtare difficilè: qui ſermo, & ſi cauillatorius eſt: non enim iuſta cauſſa eſt, non aggredi rectam actionem, propterea quod, qui præcipiunt, ab ea recedunt, hunc tamen ſermonem Dei filius non alio ſermone, ne adhuc diceretur id eſſe facilè, ſed opere ipſo, quod difficilè putabatur, refellendum putauit: nam quæcunque alijs oſtendit facienda, ipſe princeps largiter expleuit. Verbum hoc ſummi æterni patris depoſuit ſe de cœlo, non, ut loquendo tantummodo præciperet, ſed ut faciendo præiret. Tradiderunt ueteres Philoſophi, inter quos idem Plato Deum eſſe in medium, uirtutum omnium exemplar, præclara ſententia, quam inuenerunt homines naturalium rerum ſtudioſi, uſque eò progreſſi, quo ad humani ingenij facultas ferebat, attentiſſimè illos multa uideo ſpeculatos, nec ſanè obeſam mentem, uentremque habebant, ut profluuio ſanguinis ſagina foret leuanda. Itaque, ut in alijs multis, ita & in hoc ualde mihi extollendi uidentur. Illud tamen affero, ſi ſententia hæc ueri fidem unquam habuit, nunc eò deductam, ut uel conniuentibus oculis perſpici cognoſcique poſſit. Nam poſtquam Deus in humanis egit, uelut unus è nobis ueſtigiis inſti-

tit

tit perfectiſſimæ uitæ, induxitque ſæculo charitatis, obedientiæ, humilitatis, patientiæ præclariſſima exempla, uita omnis doctrinæ eius admirabili conſentanea fuit, quia, ut nemo docuit meliora, ſic nec ſanctiora geſſit, nec acerbiora tulit. Contempſit omnia terrena bona, omniaque terrena ſuſtinuit mala, ne in alteris quæreretur fœlicitas, & in alteris infœlicitas timeretur. Natus eſt de matre inopi, natus in exiguo oppidulo, ne quiſpiam ob generis aut patriæ claritatem multum ſibi ſumeret. Pauper factus eſt, cuius ſunt omnia, ne beatiores cæteris uiderentur, qui diuitias poſſiderent. Noluit Rex ab hominibus creari, quum poſſet, ut humilitatis iter doceret, & honorum curam & ſolicitudinem auferret. Exuriuit, qui omnes paſcit, ſitiuit, qui cunctis potum miniſtrat. Fatigatus itineribus, qui rerum omnium terminus eſt & quies. ſupplicia ſuſtinuit, quæ cæteris debebantur, exoluens, quæ non rapuerat. Mortuus eſt, qui mortuos ſuſcitauit. Hic eſt ille, qui peccatum non fecit, in cuius ore non eſt inuentus dolus: qui quum malediceretur, non reddidit maledictum: quum percuteretur non repercuſſit: quum crucifigeretur, pro crucifixoribus orauit. Nullum maius infœlicitatis genus, quàm ſi ubi iuſtiſſimus ſis, omnium à iniuſtiſſimus habeare, & eo magis ſi id circa diuina contingat. Hoc tum per ſe grauiſſimum eſt, tum ex alijs, quæ neceſſe eſt ferè conſequi: talem enim ſequentur infamia, opprobria, flagella, uerbera, mors fœda, horribilis cruciatus. Iſtud, quod diximus peſſimum eſſe infœlicitatis genus, Chriſtus perpeſſus eſt cum conſectariis pœnis. Oſtendit non eſſe aliquod iniuſtitiæ genus ſubeundum, ut mors euitetur, ſed pro iuſtitia duriſſima quæque & aſperrima (ſi res ita ferat) ſilentio ſubeunda. Cæteros mortales imitari periculoſum forſitan uideretur, de quibus inferri poſſet quæſtio, utrum imitatione digni. At de Deo ne dubitatio quidem relinquitur, quin eius geſta imitanda ſint. Eſt hoc pulcherrimum ſanctitatis ſignum, quod ſibi habent proponere, & ad id ſe exercere quicunque ad ultimam rectè uiuendi ſpeciem animo contendunt: ſed non tantùm his, qui ſumma capeſſere ſtudent, ſignum id per utile, uerùm etiam aliis, qui infra ſupremum gradum cogitant conſiſtere ſecundo aut tertio loco, quia intelligunt ſe à perfecto uitæ genere tanto recedere longius, quanto id deterius imitantur. Poſtremũ illud eſt, ideo de cœlo ſe deorſum ducere, paremque ſe nobis forma facere uoluiſſe Deum, ut coram & proprius contemplati honeſtatis ſalutisq; noſtræ rationem habentem magis magisq; diligeremus, totamque animam in æternum benefactorem effunderemus. Poteramus forſitan exiſtimare, Deum remotum eſſe à coniunctione hominis, humana negligere uel contemnere excelſa incolentem mundi loca à tetris tam procul, niſi ille tantus & homo fieri, & terras incolere uoluiſſet; ſed dico illud à nobis credi forſitan potuiſſe, quaſi non antea id fuerit creditum à plurimis & aſſeueratum, non eſſe curæ Deo humana. An non Democritii omnes & Epicurei olim tales? à quibus illud Poëticum natum.

Nec

Nec curare Deum credis mortalia quemquam. Et illud
Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos
Solicitat

Videte caliginem temporum illorum, exiſtimabāt plurimi Philoſophantium Deum ſe ipſo contentum, non reſpicere aliena, ipſum nihil habere negocij, nec alteri exhibere: non eſſe apud eum iræ, nec gratiæ locum. Sed Auerroim nouimus ferè omnes, (magnus enim fuit Philoſophus) qui putauit diuinum uileſcere ingenium, ſi ad hæc inferiora cognoſcenda deſcenderet. huc pertinet, quod auſi ſunt etiam è uetuſtioribus quidam intonare, quòd Deus homini non miſcetur, non quia uellent excludere hodiernum diem, quem uenturum, ne per ſomnium quidem ſuſpicati ſunt, ſed illo ſermone ſignificabant Deum humanis non intereſſe negociis. Eliſa nunc hæc eſt oratio, & euerſa funditus, nam quomodo dici poteſt Deum humanis non intereſſe negociis, qui hominum cauſſa ipſam etiam humanam animam carnemq; ſuſcepit: pudet nunc dicere, non reſpicere Deum ad mortalia, qui mortaliū cauſſa mortalis factus eſt. Deus non miſcetur homini. Quid ais? imò miſcetur retenta etiam propria uerborum ſignificatione. Mitto afflatos diuino Spiritu, intremus magis. Iſte qui diuinæ naturæ humanam addidit ſeruata utriuſque proprietate, is tibi non uidetur homini Deum miſcuiſſe? at ille altus, nos humiles, quid tum? non enim ui deiectus eſt à nobis, ſed illum ſponte charitas ſua ad nos uſque deiecit, ut nobis cœlum imò ſe ipſum, in quo ſumma fœlicitatis noſtræ conſiſtit, reſtitueret. Quæremus etiam, cur Deus homini ſe copularit, quaſi non pateat illum hoc facto ſpem noſtræ quoque beatitudinis armaſſe, altitudo cœli à terris nunquam prudentes commouit uiros, quin crederent diuina moderante prouidentia inferiora hæc omnia gubernari. Illud magis poterat terrere, quòd maximo uel infinito potius & immenſo ſpacio diſtare utranque naturam uidebamus diuinam & humanam, attamen illa ſola fœlicitas eſt homini, ſi Deo in cœleſti regno iungatur, beatificoque illo conſpectu fruatur. Hanc coniunctionem non omnino impoſſibilem fore, ut oſtenderet pariter Deus, ſe ipſum prius homini iunxit: Noluit nos interſtitium naturarum metiri, ſed quid ipſe uellet, & quantum poſſet, huncque dedit potentiæ ſuæ & uoluntatis arrabonem, quod ipſe prior ſuæ naturæ noſtram agglutinauit, nunc ſic licet meditari: Si Deus humana, cur non homines eodem Deo auctore diuina capeſcere ualebunt? O miram diuinæ charitatis flammam, ſe humilem ille tantus reddidit, ut quantùm nos amaret, iam oculis propè uideremus, proximus fit nobis nullo armatus terrore, ſed ab omni munitus benignitate. Ferunt gentes quondam, quum nimbos, tempeſtates, grandines, procellas, terremotus, uaſtitatem, peſtilentiam perſpexiſſent, & ſæpe fremitus quoſdam occultos, ſæpe hominum pecudumque portenta, tum faces cœleſtes, tum telluris hiatus animaduertiſſent, his & ſimilibus de cauſſis ſuſpexiſſe numen diuinum atque horruiſſe: hinc Deorum, quos

quos colebant alium fulmine, alium fuſcina, alium arcu, alium alio teli genere armauerant, unicuique poteſtatis ſuæ inſignia arrogantes. Sed quid gentium memini, quas falſorum Deorum cultus occupauerat? Ipſos inſpiciamus Hebræos, quibus luculẽtam ſui cognitionem induxerat Deus. At quàm terribilem ſe ijs oſtendit, dum legem ferre, & præcepta dare uellet, quis uocem ferre poterat loquentis? quis conſiſtere proprius audebat? Videbant & audiebant mira quædam & horrenda in monte Syna, quo deſcendiſſe dicebatur, uoces ſcilicet & fulgura & tonitrua & clangorem buccinæ paulatim creſcentem in maius & prolixius ſe extendentem, totumque montem fumantem. Tremefactus & pauore concuſſus populus obteſtabatur Moſem, ut perſonam ipſe adeundi ad Deum ſuſciperet. Loquere (inquiunt) tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur. Tanta illos formido inuaſerat, tam terribilia erant, quæ tunc fiebant. At quas mandatorum notas Moſes detulit ad illos? quàm horridas, quàm ſeruiles, quàm cœcas & obſcuras? teſtaceæ quædam formæ illis præbitæ fuerunt, quibus uterentur, alimento ſolidoque cibo introrſus recepto atque celato. Idem Deus quàm iræ paratus? quàm ſubitus facinorum uindex, ut heri imperio obſecundari ſibi in cunctis uolebat? Nunc uertiſſe rationem omnem uidetur, non metũ, ſed amorem exculpere de cordibus noſtris meditatur, quia non quàm potens imperio, ſed quàm ardens charitate oſtendit, non imbecillitatis illum noſtræ, non deiectionis tædet, quid eſt hoc? Deus, ut homo hominum cauſſam tractauit, breuiter quidem perſtrictum, & certis uocabulorum rationibus, quicquid eſt, ſuccinctè diffinitum, ſed ſi paulò latius explicare ſententiam, & rerum pondera exquirere uoluerimus: inueniemus Omnipotentem imbecillorum cauſſa imbecillum: immortalem mortaliũ cauſſa mortalem: quietum laborantium cauſſa laborioſum factum fuiſſe: eum denique, qui ſemper fuerat, eorum gratia, qui quandoque non fuerunt, aliquid, quod non erat ſumpſiſſe. Quemadmodum enim uehemens amor homines ſui iuris eſſe non permittit, ſed mente illos excedere cogit, & extra ſe rapit in ea, quæ amant transferens, ſic Deus ob maximam erga homines charitatem à ſupremo illo ſtatu ſe dimiſit, & (ſi fas dictu) extra ſe quodammodo factus eſt, dum ueluti oblitus altitudinis ſuæ humana noſtra aſſumpſit; ſic tanta illa Maieſtas bonitate pariter & amore concitatur. An forſitan illud quoque poëticum uerum eſt.

> Quid deceat non uidet ullus amans. Et rurſus
> Non bene conueniunt, nec in una ſede morantur
> Maieſtas & amor.

Sic eſt, nec tamen huc rem traho, ut intelligi uelim indecens quippiam feciſſe Deum, quod omnino illi naturæ impoſſibile eſt. Illud tamen dixerim, maieſtate ſua retenta & in ſua ſede manente, impulſum fuiſſe charitate noſtri, ut infimam humilemque naturam noſtram ſuſcipere non dedignaretur

dignaretur

dignaretur. Quid deinde quum humanam indutus eſt ſpeciem, quæ geſta ſunt? gregi applicuit ſe noſtro, cominus & ueluti ex æquo præcepta hominibus ſalutaria dedit, nec ſermonibus ſolùm beatiſſimi oris, ſed uitæ etiam exemplo commonebat, Spiritu itidem ſancto dimiſſo præceptor noſter erudiebat, legis ueteris obſcura aperuit, umbras diſcuſſit, ſacramenta expleuit, & ex illo fumo, qui multis annis anteceſſerat, lucem inſolitam extricauit: denique ſimulationem ueritate, ſeruitutem libertate, formidinem charitate mutauit: ſed quid in ipſa morte? Nonne tunc maximè declarauit, quantùm amaret, quum ad illam crucem orbis liberatricem tam cupidè tetendit, quid hîc egit illud, niſi, ut genus noſtrum non modò à ſuſcepta peccati labe & infeſta Dæmonum tyrannide liberaret, & ueluti ingenti onere depreſſos ſubleuaret: uerùm etiam ad cœlorum regna reduceret, immenſiſque præmiis collocupletaret? At una reſoluit plaga? imò cruentus & lacer totus in crucis diſtentus patibulo, hoc tanto uulnerum ſuorum dolore quanti noſtram ſalutem & incolumitatem fecerit, aſſiduè teſtificatur. En telum, quo Deus noſter armatur, quo ſanè telo non minatur, ſed ſolatur, imò minatur piorum animis, quòd eo telo amoris uulnus ipſis infliget. Quis enim non commoueatur ad peramandum eum, quem pro ſe tam dira uideat toleraſſe. Nihil beneficio ſuo de mortalibus emere habebat. Quid enim ſupremæ beatitudini cum noſtra imbecillitate? quid illi Maieſtati addi à nobis, aut corradi poterat? Verùm quos gratis condidit, eiſdem gratuitum ſalutis beneficium impendit. Oſtendens hoc facto quantùm ardeat ex amore, nos ueluti iniecta manu compellit amoris iugum ſecum pariter ducere. Etenim ſi amore amor elicitur, quemadmodum ignis igne, hanc Deus artem diligentiſſimè eſt perſequutus, dum nullum tempus aut locum fructu uacuum beneficio ſterile abire permiſit: nam quæcunque erant in eo maxima hæc ad nos detulit. Omnipotentiæ eſt de nihilo creare, creati ſumus, ſummæ ſapientiæ præceptis inſtruere, inſtruxit: magnæ charitatis collapſos ſeruare, ſeruauit: egregiæ benignitatis ad præmia pulcherrima uocare, uocauit: eximiæ liberalitatis ingenti donare munere, ſeipſum munus dat, quo nihil eſt ingentius. Si maiora ſunt alia, concupiſcamus ſed non inueniemus: hæc quorum magnitudo æſtimari nequit, ad nos ultro delata inflammare ſingula gelidum pectus queant: collecta uerò & in unum commixta, quem non mouerint, nihil unquam mouebit.

Satis ſuperque docuiſſe uideor, cur Dei unigenitus ſplendor & figura ſubſtantiæ paternæ humanam uoluerit carnem induere, & mortalitatis noſtræ fieri particeps. Ita enim ſe contulit, primùm, ut ſalutem conficeret noſtram cœlo reddito: id enim antiquiſſimum illi fuit, deinde, ut uitam noſtram muniret præceptis, præcepta domeſtico uitæ ſuo teſtimonio roboraret: poſtremò ut humana corda ad ſe pelliceret tam larga beneuolẽtiæ ſuæ erga nos ſignificatione. Hæc enim omnia diligenter oratione proſequutus ſum. Supereſt nunc, ut natalis ipſius contemplemur ſpeciem,

quod

quod in diuiſione mea poſueram tertium. Non poſſum narrare aptius, quàm ipſo declaretur Euangelio. Non ſatis, quòd Dei filius tantùm ſe depoſuit, ut filius hominis pariter fieri uellet. Mater (inquit) pannis eum inuoluit, non auro aut purpura. Quid deinde? in præſepio reclinauit, nõ atrio regali, quibus aſtantibus? iumentis (inquit) duobus, Aſino & Boue. Quid expectamus aliud dignum tanta pompa, niſi ut paſtoralis conuentus ueluti amicorum beatorum cohors ad gratulandum concurrat, ne id quidem defuit, ne qua humillimi ortus ſolemnia deſiderarentur. Vbi ſunt hi, qui paruulos eorum cenſus quotidie querelis laceſſunt? Ille mundi Dominus, rerum imperator in nullis diuitijs inuenitur, pauperiem tulit, ac ne tuliſſet quidem, niſi quòd appetiuit. Magnum uideo exemplum mortalibus propoſitum egeſtatis haud deteſtandæ, quæ tanto fuerit affectu comprobata, quanta hæc humilitas? Mitto iam hoc, quòd Deus ad homines uenit, & hominum cauſſa homo factus eſt. Quid illud? quòd perpauper delecta eſt familia, ex qua carnem traheret. Diuerſorium, ſtabulũ, præſepe, iumenta, panni, paſtores, quibus naſcens excipitur, quid aliud ſunt, quàm ſummæ exiguitatis & inopiæ nomina? Quod enim aliud Angelus dedit paſtoribus indicium nati Saluatoris, niſi quòd eum pannis inuolutum, & in præſepe iacentem inuenirent. Ita ne uerò, qui mundum hunc uario ueſtit ornatu, hic uilibus obuoluitur pannis? Cuius ſedes eſt cœlum, terra ſcabellum, hic in anguſtiſſimo iacuit præſepe. Non uenit huc horribilis tremefaciens tellurem, ſidera concutiens, & fulmina uibrans, ſed non niſi ſummam indutus humilitatem: licet hoc loco meditari, quàm diſſimillimus hic noſter fuerit Adæ, illi primo humani generis parenti. Ille beatiſſimis in hortis locatus, diuinis obedire mandatis neglexit. Hic obedientiæ gratia nullas locorum anguſtias recuſauit, & tamen Adam ſimulac exortus eſt, adeò facundus apparuit, ut ſingulis rebus nomina traderet. Verbum Dei, quod omnes gentium linguas diſertas facit, nunc mutum iacebat, ac ne matrem quidem ſuo nomine ſalutabat. At uixit poſtmodum lautè, cuius quum propria eſſent omnia, ſi Deum cogitemus, non habuerit, ut ipſe dixit, unde caput reclinaret: occubuit etiam glorioſè, qui crucem in morte inuenit. Poterat ab initio ad calcem uſque uitæ plura ſibi commoda parare, & externis bonis ſeſe munire quantis uellet, neque hanc facultatem ſibi conceſſam ignorabat. Is enim eſt ille, qui ea habentibus dilargitur. Attamen paupertatem, inediam, labores, ſupplicia, contumelias delegit, hæc uilia & ingrata adipiſci metarique uoluit, quò nobis ſublimia & grata forent. Magna eſt enim ſerui gloria ijsdem calcatis ueſtigiis Dominum comitari. Ac ne fortaſſe Dominum omnino proiectum putetis, Scitote natale iſtud humanis quidem ornamentis caruiſſe, at diuinis abundaſſe. Miremini licèt, puer iſte hodie natus (ita enim recolimus) ſapientiæ omnis pleniſſimus eſt undique, ſiue ipſum ut Deum, ſiue ut hominem ſpectemus, ſed non oſtenderit, donec ætate progreſſus uirile robur membris

induatur; Quantis præterea miraculorum inſignibus corruſcauit? ut detur intelligi pro diuerſa conditione parentum iactatum & ſubleuatum fuiſſe, quorum alter terrenus & mortalis tenui & inopi, at immortalis & cœleſtis locuplete præclaroque cultu naſcentem excepit. Primùm quidem eius aduentus per multam ſæculorum ſeriem exoptatus fuerat atque prædicatus. Illum longus Prophetarum ordo clariſſima percinentium buccina anteceſſit. Simulachra etiam futuræ eius uitæ de ueterum patrum expreſſa geſtis prælata fuerunt; nec inter Iudæos modò, ſed inter gentes quoque prænuntiata noua de cœlo uentura progenies, quæ auream gentem terris inferret, & cuncta humani ſceleris ueſtigia aboleret. Hoc deinceps, quod de Virgine naſcitur, quantum eſt? Quis enim non intelligat eſſe plus homine aliquid in illo, cui illo modo naſci contigit præter naturæ fas atque leges. Ille mundiſſimus ortus, qui ſine ullo fœdo pudoris tactu, ſine ulla originis labe contigit, perhonorificus ſanè fuit. Ad hæc quum inter medias noctis tenebras de materni uteri anguſtijs in auras prodiſſet, finitima puero loca noua luce canduerunt: Angelus demiſſus è cœlo paſtores excitauit, ut natum orbis Saluatorem conſpicerent & adorarent. Ignobiles attraxit uiros, quid aliud in eis ſequutus, quàm innocentiam uitæ & cordis ſimplicitatem? An potius ad opes & honores reſpiceret, & tumidam ſæculi ſapientiam, quæ Chriſtus nunquam ſibi ſumpſit, hoc modo de Angelicis cohortibus unus, Quid? reliqui ociosè ceſſarunt? non'ne nato Dei filio hymnum apertiſſimè & natalitia eius cecinerunt? Intelligebant enim ad pacem humano generi conciliandam mitti, qui à mittente patre nunquam poteſt dimitti. Sed natale hoc quoque extitit per id tempus, quo omne mortale genus fœlicitate quadam præcipua pacem agitabat. Iam enim Cæſar Auguſtus pacatis cunctis gentibus, quæ Romano imperio ſuberant, ſeptingenteſimo ab urbe condita anno Iani Fanum clauſerat, quod indicium erat omnia undique bella compreſſa fuiſſe. Finitimæ prouinciæ armis poſitis pace gaudebant: eadem erat conditio longinquarum? Nulla gens, nulla natio contra Cæſarem. Quin etiam ad eum Scythæ & Sarmatæ extrema terrarum incolentes miſerant amicitiam petentes. Traditum eſt etiam Indos ab ipſo cœli torrido feruore diuulſos, eadem de cauſſa ueniſſe cum gemmis & margaritis, Elephantos quoque inter munera trahentes, & dignos ſe Cæſaris amicitia cenſentes, non ſolùm quòd priores, uerùm etiam, quòd de tam longinquis regionibus eam appetiuiſſent: quadriennium enim iam impleuerant in uia, & hominum ipſorum color ab alio penè orbe eos ueniſſe arguebat. Parthi quoque ultra Eufratem ſine bello relicti rapta Craſſiana clade ſigna ultro retulerant. Sic ubique per terrarum orbem pax fuit, aut pactio. Hac pacatiſſima tempeſtate natus ille, qui ſupra omnes pacificus fuit, cuius inſigne dilectio, qui uenerat, ut ima ſummis conciliaret, qui pacis præcepta ſuis poſuit, qui pacis ſectatores ſui præſentia inuiſere dignatur. Denique pax illius ſæculi refulget

in

in ortu Saluatoris, ſiue, ut aduentum eius ornaret, ſeu potius, ut ab eo ornaretur. Hoc iam prædictum Eſaiæ ore. Conflabunt (inquit) gladios ſuos in uomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium; Pſaltes quoque diuinus. Orietur (inquit) in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis. Sed quid iſtis immoror? Ecce tibi noua è cœlo flamma emicat cœleſtis uiri ortum denuntians, cunctis illuſtrior, pulchriorque ſideribus,& quæ interdiu etiam rutilaret nulla obruta ſolis magnitudine, cuius præuio fulgore attracti tres Magi, ideſt tres inſignes ſapientiæ nomine uiri, & eo tanquam duce uiæ uſi de longinquis regionibus ad paſtoralem caſam perrexerunt,& infantulum cõſpicati adorant corporibus, honorant muneribus, uenerantur officijs; non illic ebur, non aurum, non purpura, non diadema fulgebant, nulla famulantium pompa,nullus armati exercitus terror,ac ne ætas quidem ea erat,quæ ſentiret obſequium. Cur ergo colebant? An ſtella, quæ perduxit, eloquuta fuerat de cœlo illic ineſſe Deum? qui potuit ſtellæ unius radius id efficere? ac ne multa quidem ſidera in unum collata id facere potuiſſent. Igitur uidentur & antea ſacro afflati ſpiritu, quid ſtella noua portenderet intellexiſſe, & tunc in re præſenti eodem ſpiritu magiſtro,qui illorum mentibus omni ſidere ſplendidius relucebat, ſic cogitauiſſe. Iacet anguſto in ſtabulo, quis? Ille ſcilicet cui elementa cuncta obediunt,cui aſtra famulantur, qui ſolo nutu orbem temperat, intra quem cœli uoluuntur. Vilibus obuolutus eſt hic pannis, idem tamen, quicquid diuitiarum eſt, habet in poteſtate, & cæteris erogat,omnia ſciens dare,quicquam neſciens accipere, at natus de fœmina matre, uerùm ſed de fœmina uirgine, & matrem ſuam ipſe creauit. Hæc cogitaſſe illos uiros apparet, propterea quòd genu flexi auro, thure,myrrha coluerunt,profeſſi his oblatis muneribus uidentur mortalem eſſe factum, qui Rex ſummus eſſet & ſacerdos: quoniam myrrha humandis apta corporibus, thus ſacerdotali miniſterio,aurum regali conuenit dignitati.Sunt tamen,qui uoce ſtellæ commotos putent. Tradunt namque Magos animaduertiſſe in ſtella flammeam pueri formam & ab eo admonitos Regem ſæculorum in Iudæa natum, quò proficiſci deberent, ut adorarent. Variant etiam ſententiæ unde uenerint.Euãgelium,dilucidè ab Oriente ueniſſe tradit.Veruntamen Orientis nulla eſt per ſe poſitio, nam quòd unis populis oriens eſt, alijs erit occidens, aliis meridies. Quamobrem non deſunt, qui aſtruant à Perſide Caldæa ueniſſe, quæ mari contigua eſt, & ab oriente Iudæam ſpectat, ubi etiam magorum nomen celebre, & unde Camelis aſcenſis paucis diebus iter illud conficere potuerunt. Aſſerunt alii ſtellam hanc in Perſide longè ante Chriſti ortum illuxiſſe, ita ut de longinquo mouentes illi poſſent ad diem occurrere, puerumque recenter natum ſub Tugoriolo uidere & adorare. Horum magorum factum prælуſit quodammodo gentibus, quæ poſtmodum intraturæ erant ad Chriſtum, & ut huius ingreſſus omen ſuſcipi poteſt. Ipſi nanque primi è gentibus crediderunt,

& ſe ipſos ueluti primitias gentium Chriſto conſecrarunt. Et de miracu-
lo quidem hoc præſtantiſſimo magorum ſatis dictum. Fontem Romæ craſ
ſo ac tanquam oleario liquore illo die longè lateq́ue ſtagnaſſe ferunt. Tē-
pla & ſimulachra falſorum Deorum, quibus exitium parabatur, multa
multis locis fœde corruiſſe. Horum & plurium aliorum miraculorũ, quæ
tunc emicuerunt, ſemen ac origo maius illud miraculũ fuit, quòd Deus
homo fieri dignatus eſt. Hic enim naturæ leges in immenſum retroceſ-
ſerunt, nam qui antiquior fuit omni æuo, poſterius natus eſt, puella
auctorem ſuum genuit: Filius matrem creauit: ſed quid matrem hanc
feciſſe putamus ubi filium peperit? Licet enim mente contemplari,
quod oculis non poſſumus, quò inquam erupit? quid geſſit? quæ mens
fuit? cogitatio? uoluntas? genuflectit, adorat. Quid agis Habrææ gen-
tis mulier, Virginum ſemper gemma? Si filius hic tuus eſt, cur ado-
ras? ſi Deus, quomodo genuiſti? reſponſum dato. Arridet, & ſe non
diuinitatem quidem, ſed eum, cui annexa fuit diuinitas, genuiſſe con
tendit. Per tibi hunc (inquit) caſtiſſimum uterum deitatis templũ, Deus
eſt hic, quem genui, penè dixi, qui genuit, quoniam utrunque pariter
conuenit mihi genitrici & filiæ. Credimus tibi. Sed quid agis inquam
mulier? tollis gremio, quem cœlum ſuſtinere nequeat; oſcularis, cuius
uultum infera trepidant, ſupera uerentur; ah cohibe lacertos, quid ul-
nis innectere uis ſecum omnia trahentem? quomodo portas eum, à quo
totus orbis portatur? Vbera nudas, cur? an ut alas eum, qui cunctis ani-
mantibus alimenta ſubminiſtrat, tacentem contemplaris. O` rem quo-
que miram, tacet ille, & eſt tam magnum uerbum, nihil ille de te hau-
rit niſi ſuum; tractas enim & componis his manibus, quas tibi formauit,
lactis ſuggeris fontes, quibus ubera tua irrigauit; hæc tibi facere dulce
eſt, & nullum gaudio imponis modum: hodie nanque occupaſti titulum
altiſſimæ mentis tuæ deiectioni delatum, quem uotis petijs ſe nimium fue
rat, ut ſancta Dei Genitrix habearis & dicaris: & nunc etiam fortaſſe ti-
bi ſubuenit ad cumulum lætitiæ, quòd ſuſceptus tibi iſte pudori non
fuit, nec geſtatus oneri, nec effuſus dolori. Fœlix Maria, quæ uirginali
utero Chriſtum, fœlicior, quæ intimo cordis affectu plus omnibus ge-
ſtaſti. Nos uerò & tuo nomine multùm & noſtro non mediocriter gau-
demus. Intelleximus enim quantùm Creatoris bonitas hnmanam natu-
ram magnifecerit, quantùm eius laudi & gloriæ indulſerit, quum eam
diuinitati ſuæ copulauit. Hanc tantam tamq́ue nobilem coniunctionem
eſſe factam non ſtatim celebratum, ſed non niſi multos poſt annos in ip-
ſius Euangelij prædicatione, nam tunc Ieſus, ut ex Ioſepho natus uulgo
cernebatur tanquam ex altero mortali parente: ita, ut Maria quoque ma
ter compellans illum duodecimum iam agentem annum diceret. Ego &
pater tuus dolentes quærebamus te. At ubi effulſit tempus nouæ legis
dandæ, præmiſſus tunc Ioannes, qui palàm prædicaret, Deum humana
aſſumpta ſpecie inter homines uerſari. Ille (inquit) qui poſt uenturus eſt,

ante

ante me factus eſt, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamenti. Ipſe Vnigenitus eſt Dei filius. His & talibus uocibus ſanctiſſimus Ioannes Dominum noſtrum Ieſum mox pandendum indicabat, ueluti aurora ſolem præcurrens. Ipſe poſtmodum ſequutus Ieſus in Euangelii prædicatione, nunc de ſe humilia loquitur quale illud eſt, Pater maior me eſt. & triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. hæc de ſe ipſo, ut de homine fatur, quandoque uſque eo attollit ſermonem, ut nihil poſſit eſſe ſublimius, ueluti quum dicit. Ego & pater unum ſumus, & omnia, quæ habet Pater, mea ſunt. Idem factis quoque ueritatem utriusque naturæ in ſe ipſo ſubſidentem aſtruxit: nam quod fleuit, infrenduit ſpiritu, triſtatus eſt, timuit, eſurijt, fatigatus eſt de uia, & uulneratus, & demum mortuus; in his ſe hominem eſſe teſtatus eſt. At quòd propria poteſtate languidos curauit, defunctos ſuſcitauit, uentis & fluctibus imperauit Dæmones de humanis corporibus excuſſit, & letho datus reuixit, & ad extremum cœlos conſcendit: in his & talibus ſe Deum eſſe apertiſſimè denuntiauit. Copulatus igitur Deus homini glutino ſempiterno: nam quod ſemel Deus apprehendit, id nunquam dimiſit. Nunc indiſſolubilem hunc Dei atque hominis nexum ſpectantes, & quia quicquid humanum eſt in Chriſto, ſubſtat in Dei uerbo, dicere poſſumus, hominem cœlum & ſtellas condidiſſe. Nunc demonſtrato Chriſto uel aliter intellecto dicere poſſumus illum hominem eſſe omnipotentem. Præclarè Dionyſius in libro de diuinis nominibus. Propter mutuam (inquit) proprietatum communionem Deus erat infirmus, & homo infinitè potens. Delectare nos plurimùm debet quòd non ex Angelicis cohortibus, ſed ex hominum numero unus tantùm euectus eſt, ut ſedeat ſolus ad dexteram Dei Patris cunctam poſſidens in cœlo & terra poteſtatem: unde ueniat in mundi clauſula uiuos omnes & mortuos iudicaturus, & unicuique pro meritis redditurus. Iudicium quoque illud extremum cunctorum geſta complectens, pijs uenerabile, impijs terribile, ante hominis tribunal exercebitur, quanquam non purus ille homo, ſed homo tamen. Hanc tantam attulit hominibus gloriationem hodiernus dies, quòd Deus ſuæ noſtram naturã ideſt potenti & ſublimi infimam inualidamq; adiunxit. Nunc penè fraternitatis cuiuſdam cum Deo iunctæ gloriari ualemus. Audite nunc aliud. Nemo eſt, qui non intelligat quanta ſit excellentia in Chriſto, quì Deus & homo eſt. Sed quid ex hoc ſequatur, non omnes fortaſſe animaduertunt: dicendum igitur fuerit quorundam cauſſa, & ut in laudatione eius finiatur oratio, qui ſupra eſt omnem laudationem. Sæpius eſt dictum, idque uos audiſſe arbitror, hominem eſſe nodum & copulam rerum omnium: nam quòd cætera poſſident ſeparatim, ut proprium poſſidet ille in ſe uno collectum mixtim, habet communem cum Angelis mentem, cum brutis animantibus ſenſum, cum ſtirpibus & arboribus alimoniam, cum cœlo, lapidibus, & alijs uita carentibus creationem. Nunc quod ex Deo & homine compoſitus eſt Chriſtus,

Chriſtus, eſt copula ille non ſolùm creatarum rerum, ſed etíam increatarum, non temporalium duntaxat, ſed etiam æternarum, non finitarum modò, ſed etiam infinitarum: Vna denique perſona Chriſti, omnia, quæ dici cogitarique poſſint complexa eſt, nihil ſcrutari poſſumus in rebus, quod ibi non inueniatur. Explicui propoſita, plurima euolui, terram iam ex magna iactatione proſpecto, ſi languidi fuimus & remiſſi, ſi non ſatis parati inſtructique proceſſimus, ſi non ex dignitate tantæ rei eloquuti ſumus, quæ ueſtra eſt facilitas atque humanitas ignoſcetis. Nunc de te bone IESV, Supereſt, ut precemur obteſtemurq; omnes, qui adſumus ſupplicibus uotis, uberibus, cordis lacrymis, per ſanctum illud Natale tuum, ut exaudias. Tu è ſinu dilapſus parentis mortale genus tibi ipſi ſummo Deo conciliaſti, fœdus cruore tuo ſanxiſti. Effice (potes enim) ut in unum confluant Regum ac populorum uota, ne prouinciæ tuo nomini deuotæ hoſtilibus odijs ſe ſe mutuò inſequãtur. Vides collectam diſcordiarum rabiem in loca noſtra efferueſcere, huc ex omnibus oris & gentibus innumeras armatorum copias cõfluxiſſe. Italiæ agros eſſe, qui diripiantur, exhauriantur, incendantur, nec ſacroſanctam ullis eſſe perſpicis corporum noſtrorum libertatem. Fac amare nomen tuum, non fraudes libeat: fraudes enim interpretamur, quicquid tuum, non eſt, & à te aliò deducit. In primisque illud præſta ne ſpuria Turcarum proles ualida & audaci manu hæreditaria legitimorum bona inuadat. Mitto iam Italiam, ſed ne Eccleſiam tam ualide tibi dilectam opprimat atque diſperdat. Si ſine præſidio tuo ne leuiora quidem poſſumus, quomodo te remoto tam efferatas beſtias poterimus coërcere? præſertim quum altera ex parte immineant hæretici, qui cum falſis eorum dogmatibus, propter quæ ab eccleſia fuerunt eiecti, in eccleſiam irrumpere conantur: intus & foris hoſtes, quorum hi corpora ferro, alteri truculentius animas perdunt malæ doctrinæ ueneno: utrique in te contumelioſi: alteri te non agnoſcentes ex profeſſo ſunt impij, alteri agnitum ſub ſpecie pietatis produnt. Reuoca errantes utroſque, & in uiam deduc ſalutis: homines enim à te conditi. Tu altiſſimus quum eſſes, hominum cauſſa humillimus fieri uoluiſti. Tu homine aſſumpto germanitatem quandam nobiſcum inire dignatus es, quo fit, ut ad te, non ut ad Dominum tantùm, ſed ut ad Dominum Fratrem confugiamus. Reſpicies nos igitur, nec te omnino implacabilem præſtabis aduerſus delicta noſtra, quorum ut obliuiſcaris rogamus. Tua te nobis propitium reddat benignitas. Tua hæc pro nobis ſuſcepta commendet natiuitas. Quam ſanè natiuitatem dilectiſſimi fratres, ut ianuã humanæ ſalutis, ut clariſſimum monumentum diuinæ erga nos charitatis, ut inſigne humilitatis exemplar, cum cæremonijs alijs multis, tum ſolerti animorum ueſtrorum pietate perpetuò celebrate.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
DE QVADRAGESIMALI IEIVNIO
ORATIO.

QVADRAGESIMA iam adeſt, quæ ſuperanda eſt nobis, nunquid triſtes eſtis? non opinor ad rationem rem reuocans: debemus enim conſtanter ciborum delicias contemnere, nec ſanè cauſſa eſt, cur aliquis noſtrum ullius rei uentri gratiam faciat, quando ille nunquam accepti gratiam habet, ſed aſſiduè plus poſcit, ideo ueluti ingratum quẽdam creditorem ſubſtringere & coërcere debemus. Si qui autem ſunt qui carnium eſum nulla idonea de cauſſa intermittere nolunt, his uenter nimis curæ eſt, & ea quoque forſitan, quæ uentri adiacent. Volunt pleni & diſtenti Paradiſum ingredi, non cogitantes, quòd primus ille parens generis noſtri de eo deiectus fuit ſatur, dum cibum uetitum ſumpſiſſet, qui, ut pœnam uidit, malè ſecum actum illo cibo arbitratus eſt, & maluiſſet ieiunus fuiſſe: ille enim inauſpicatus cibus nõ ipſum ſolùm, ſed & poſteritatem cunctam peſſundedit, & in tanta detruſit incommoda, quanta nunc experimur: quod ſi meminerimus, erit cauſſa cur cunctanter & circunſpectè ad cibum accedamus, neque temerè in quaſlibet epulas irruamus. Et profectò ſeu mores animi rectos, ſeu ualetudinem corporis ſecundam ſpectare libeat, ad utranque rem omnino inutilis nimia ſacietas, quæ expellitur nunc procul indicto ieiunio, de coquis conqueratur è iuuentute? quandoquidem inediam aptiſſimè ferant mediæ ætates, menſæque frugalitas uegeta magis corpora, ingeniaque reddat. Magnæ certè auctoritatis hoc quadrageſimale ieiunium, quod ab Apoſtolis, (ut aiunt) traditum, tot ſæculorum ſucceſſione in Chriſtiano populo ſeruatum eſt, & à ſanctiſſimo quoque rigidiſſimè. Ignatius tertius Antiochenæ eccleſiæ à Petro rector Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus ad Philippenſes ſcribens quadrageſimæ meminit, nec non maioris hebdemodæ, qua Chriſti paſſio celebratur, hortaturque eos, ut quadrageſimale ieiunium diligenter ſeruent, quoniam continet imitationem eius, quod olim Deus agens in terris geſſit. Vult etiam eoſdem quarta &

ſexta

ſexta feria ieiunare, reliquias pauperibus porrigentes. Sunt qui hoc quadragenarium ieiunium, quod ante dies Paſchales in eccleſia ducitur, inſtitutum fuiſſe dicant Telesphori, qui annum centeſimum circiter, & ſeptimum poſt Chriſti mortem Romæ Pontificatum geſſit Antonino Pio imperante. Veteres Monachi, qui Aegypti Syriæque uaſtiſſimas incolebant ſolitudines, & aſſiduè tenui uictu agebant, ita ut tota eorum uita continens ieiunium dici poſſet, attamen quadrageſimæ temporibus aliquid atque adeò multum priſtino uitæ rigori addebant, quod nunc etiam (ut opinor) religionum ordines obſeruant. Incumbunt enim his diebus in corporis afflictionem toto ſtudio, & maioribus propoſitis curſibus continentiæ uela laxantur. Nobis autem detrahere quicquam naturæ neceſſitati non præcipitur, ſed moratum tantùm indictum ieiunium, de quo tamen eſt, quod diſceptari poſſit. Sunt enim qui putant in die pluries cibum capi poſſe, ſi id parcè fiat & exiguè: & id facere omnino uirtutis eſt ſpecimen. Arbitrantur tamen alij eccleſiam, quum pro diuerſa hominum ætate & ualetudine non poſſet quantum, quoties edendum eſſet præſcripſiſſe: & ita non geometrica, ſed arithmetica ratione ſtatuiſſe, ut ſemel tantùm comedatur, quod mihi ſaluberrimè inſtitutum fuiſſe uidetur, ne pluſ quam ſemel quolibet die cogitatio noſtra ad curam corporis referatur, ſubtrahit igitur ſibi prandium, quicunque ieiunat, & ita ad cœnam accedit, ut poſt eã ab omni abſtineat ferculo uſque in craſtinum, quòd ſi quæratur, cur cœna potius quàm prandium conceditur, nam niſi decantatis ueſperis non licet epulari, aiunt, id inductum fuiſſe, quòd eccleſia cupit nos undique Chriſti ueſtigiis (quantum fieri poteſt) inſiſtere, nec ab hoc exemplari deſiſtere. Ille autem quadraginta dies, & totidem noctes ex ordine uacuas ab omni cibo & potu peregit, ſed quoniam quod ui ipſe dinina perfecit, id nos moliri natura non ſinit humana, quæ quotidiana refectione ſuſtentanda eſt & regenda: quod in illo uerè factum fuit, id nos ficta imitatione explicamus, ſicut poſſumus: nam noctu comedendum non eſt, in die duramus ieiuni uſque ad ueſperas completas, poſt quas, dies intelligitur extinctus, quum nullum aliud in eccleſiis officium reſtet diurnum. Sic iſta ſimulatione non improba Chriſtum dominum referimus ieiunantem, eximentes à die poſtremam eius partem, in qua ieiunium ſoluimus, ſumentes aliquid de menſa frugaliter & ſobriè ad refectionem uirium: nam unica tantùm cœnula contenti eſſe debemus. Sic enim eccleſiaſtica lege ſancitum eſt, ut ſemel tantùm & non iterum cibus à ieiunante aſſumatur, atque ita determinatum eſt, quoties, quali etiam cibo utendum ſit, id quoque non relictum, ſed determinatum fuit, at non quanto, ſed id in arbitrio cuiuſque relictum, ita, ut æquum & moderatum̃ debeat eſſe arbitrium, & quale à bono uiro proficiſci ſolet. nam in legem committit, qui ieiunans una tantum abſumit cœna, quantum antea ſolebat in prandio & cœna: hoc enim non eſt relinquere luxum, ſed mutare. Non equidem dico periclitandum eſſe fame, ſed nec refer-

tis

tis epulis infarcire uentrem, nec largifluo potu uenas irrigere oportet, noſtro nobis nunc ſucco uictitandum eſt. Cur enim carnes animalium? Cur lac, quod alio colore ſanguis eſt? Cur oua, quæ liquidæ ſunt carnes, nunc à menſis remouentur? niſi quia illis plurimum firmitatis ineſt, & plurimum alimenti. Hac de cauſſa etiam Gregorius marinas beluas, quarum exuberantia ſunt corpora à menſis conſtitutione ſua detraxit; quod tamen uſu receptum non eſt. Itaque adhiberi poſſunt: magna eſt enim uis conſuetudinis, cui facilè obſiſti non poteſt, attamen iſtis leuiter immorandum eſt. Quid de his dicemus, qui ieiunant, ut rumuſculos hominum aucupentur? quorum nonnulli uultus quoque ſuos exterminant & demoliuntur, ut offi cioſiores cæteris propter magnam ieiuniorum uim uideantur, certè operam perdunt. Quid enim attinet uentri ſubducere, quod non Deo, ſed inani gloriæ præbeas. Nullos ne reperire datur, qui rixando ob uentris ingluuiem dies digerunt? at quàm multos? qui magis eſſent in officio, ſi ſaturi quieſcerent, ac de oblatis Deo gratias haberent. Magnum uideor dicere quin aſpicite quàm ſim moroſus, nam quum debeat ieiunans, parcè admodum cibum capere, ne ſi hæc illi parſimonia proſit, uideatur nouam quæſtus rationem inſtituiſſe, uelim quod ori ſuo ſubtraxerit, id proximo præbere, neque nunc dico proximo, qui iuxta accumbat, ſed (ut Chriſtiani moris eſt) alteri, qui egeat, cuius miſera fortuna nos proximos illi faciat, atque adeò uiſceribus pietatis includat. Non eſt iniquum te ipſum eſurire, & abſte alium ſaturum diſcedere, imò nihil æquè conuenit, quàm quenquam ſibi eſſe parcum & rigidum, ut largus aliis & benignus eſſe poſſit. Etenim hoc tempore, quo delicta nobis à Deo remitti poſtulamus, eleemoſynam ualde opportunam duco: quomodo enim ferri poteſt, ut te hominem peccatis ſordentem reſpiciat Deus, ſi tu ipſe homo hominem alium egeſtate laborantem deſpexeris? at ubi pauper in Chriſti gratiam beneuolè excipitur & miſericorditer tractatur, credo quòd Chriſtum tunc ungimus, mirùm ſi deinceps delinitus non ſe uel peccantibus propicium præbeat. Sit ergo ſobrietas noſtra egenis lucroſa. Verùm, ut omnia iſta fiãt, & ieiunet quis parcè, ſtudioſè, liberaliter, haud ſcio an non ieiunium pondus habeat, niſi maius illud & generale uitiorum ieiunium intercedat: nihil attinet perexiguo cibo attenuare corpus, ſi immenſa ſuperbia animo intumeſcimus, non prodeſt non calere uino, ſi ira incendimur, non opus eſt pallore ieiunii, ſi inuidiæ liuore corripimur. Omni tempore à peccatis cauere debemus, & quotidie hoc uitiorum ieiunium perſol uendum eſt, à quo nemo immunis, non ætas, non ſexus, non morbus, non peregrinatio, non operis labor excuſat, ſemper & omni loco abſtinendum à uitijs: ſed nullum tempus, quo moneamur magis hoc facere, quàm hoc quadrageſimali, in quo quum prohibeamur à carnibus, quæ cæteris temporibus permittuntur, quid credimus à uitijs, quæ nunquam conceduntur? Hoc uitiorum ieiunium præcipua cura nobis amplecten-

dum.Etenim ſi ſola gula peccauit,ſola ieiunet.Sin autem & reliqua membra pariter peccauerunt, cur non & illa ieiunent? ergo ieiunet oculus à petulanti conſpectu, manus à rapina, lingua ab obtrectatione, aures ab inanibus fabellis. Denique abſtineamus à qualicunque opere, quod uel paululum læſerit officia membrorum, quò minus ſancta habeantur. Et ne quiſpiam fortaſſe poſſit dicere. Neſcio an hæc mihi agenda ſint, ideo dum res fiet diuina, hæc Iohelis uerba ex perſona Domini prolata cantari audiemus. Conuertimini (inquit) ad me in toto corde ueſtro, in ieiunio & fletu & planctu. O`aurea uerba: Conuertimini ad me. Si nihil aliud dictum fuiſſet, poterat quiſpiam corpus ſtatim conuertere, & liberè reſpondere: Factum eſt, iam aliud propone mandatum, ſed ſubditur, in toto corde ueſtro: quæritur enim totius cordis conuerſio, quæ non una aut altera die,imò ne tota quidem uita rectè expletur. Attamen quoniam etiam in his, quæ ad corporis uictum pertinent, aliquid conuerſa ratione fuerit agendum, ut qui antea largis epulis fuerant excepti, nunc inopiam ſectentur: ſequitur, in ieiunio, ſed eſt cibus quidam, quem nolo uos præterire, imò quo uos eximiè oblectari decet, cibus unquam lacrymarum & ecce ſubinfertur, in fletu & planctu ueſtro. Vult nos Dominus hoc omne tempus in luctu traducere: non ſatis habet ſi à cibo abſtinentes uentre lugeamus,niſi etiam ingens eruperit lacrymarum uis de corde deque oculis recordatione peccatorum, quæ confiteri nunc ſacerdotibus oportet, recordatione quoque acerbiſſimæ paſſionis ſuæ & mortis, quam tulit ipſe, qui uita erat, ut nos cunctos, qui morti addicti eramus, uitæ redderet. Quum olim Iudæi ieiunarent, ijdem tamen in ſceleribus permanerent, nec ad meliora uerterentur. Non eſt hoc (inquit Dominus Eſaiæ ore) ieiunium, quod elegi, etiam ſi in circulum caput circunduxeris, etiam ſi cinerem & ſaccum proſtraueris, non erit gratum id ieiunium. Quale igitur uis? Diſſolue (inquit) uincula iniquitatis, noli cum aduerſario contendere iurgijs & clamoribus, noli impiè pugno percutere, noli cupiditates tuas implere: debitores ne repete, & eos, qui confracti ſunt libera: nemini oneri fueris, frange eſurienti panem, egenos uagosq́ue in domum inducas: quum nudum uideris operi eum, carnemq́ue tuam ne deſpexeris. Hæc & his ſimilia olim Iudæis Dominus. Nos tamen non illis tantùm, ſed nobis quoque dicta putabimus, cauebimusq́ue prudenter à quibuſcunque peccatis, ne poſtea conqueramur quemadmodum illi, nos in ieiunio non fuiſſe auditos à Domino, ſed deſpectos, imò & magnis calamitatibus affectos: diſputans enim tunc Dominus oſtendet ſe iure iratum fuiſſe, nec huiuſmodi ieiunia recepiſſe. Ipſe qui offenſus eſt (O`manſuetudinem incredibilem) ipſe inquam, quem tot contumelijs affecimus, uocat prior ad reconciliationem.Conuertimini conuertimini ad me (inquit) Si hæc uox manſuetudinis paternæ parum mouet, moueant minæ. Nam, ut cantor diuini ſpiritus cecinit. Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum uibrauit, arcum ſuum tetendit,

tetendit, & parauit illum. Conuerſionis autem modum Paulus Apoſtolus breuiſſimè depinxit, ad Romanos ſcribens illis uerbis. Sicut (inquit) exhibuiſtis membra ueſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra ueſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Hodie de more ſacroſanctæ Eccleſiæ aſpergit ſacerdos diuinis iam peractis uniuſcuiuſque caput cinere cum illis uerbis. Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Quum hæc uerba, tum factum ipſum, admonent nos officij noſtri: nam meditatio mortis abducere facillimè poteſt à peccatis: Scriptum eſt enim. Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Quòd cinere caput aſpergimur, id admonet nunc nobis in gemitu & luctu eſſe uerſandum, & pœnitentiæ arma induenda. Olim ſub ueteri lege homines ubi graue quid & triſte imminebat, & ira Domini uidebatur placanda, in ſacco & cinere uolutabantur. Sic Heſter in magno totius gentis diſcrimine legitur pro uarijs unguentis caput cinere & ſtercore impleſſe, & in ieiunijs humiliaſſe animam ſuam. Sic in metu Holofernis, qui cum ingenti exercitu aduerſus Hieroſolymam profecturus uidebatur, quicunque in templo holocauſta offerebant, præcinti cilicio id agebant: & erat (ſicut ſcriptum eſt) cinis ſuper capita eorum. Iob autem illa dicebat. Ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Et idem alio loco. Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam. Rex quoque Niniuitarum audita Ionæ prædicatione, quæ ciuitati extrema minabatur, ſurrexiſſe de ſolio ſuo legitur, & ſacco ſe induiſſe, & in cinere ſediſſe. Signum doloris id erat maximum, aſperſiſſe ſe ipſum cinere. Hinc illa inuitatio Hieremiæ prouidentis uenturam perniciem. Filia populi mei (hoc enim nomine Hieroſolymam appellat) accingere cilicio & conſpergere cinere: luctum Vnigeniti fac tibi planctum amarum, quia repente ueniet uaſtator ſuper nos. Et rurſus. Vlulate paſtores & clamate: & aſpergite uos cinere optimates gregis, quia completi ſunt dies ueſtri, ut interficiamini. Et in lamentatione idem Propheta. Sederunt in terra: conticuerunt ſenes, filiæ Sion conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt cilicijs. Multa ſunt huiuſmodi in lege ueteri, ſed quid illa memoro? Quum ipſe in Euangelio Saluator de Tyrijs & Sydonijs dicat, quòd ſi inter eos factæ fuiſſent uirtutes, quales & quantæ in Iudæa, iam olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Aptus igitur conuerſis & pœnitentibus cinis, quo tamen nos, ut ſigno utemur, quaſi eo indicetur humilitatem animi hoc tempore ſumendam, & ingentem luctum de peccatis tollendum. Nō enim magnum eſt cinere ſordidari, ſed bene magnum ea peragere: quæ illo cinere ſignificantur. Vocatur autem hic primus quadrageſimæ dies, cinerum dies de more Chriſtiani populi. Cur autem ita uocetur mediocriter arbitror demonſtratum fuiſſe. Verùm, ut ad corporum ieiunia reuertamur: de quibus inſtitutus fuerat ſermo. Sunt nonnulli, qui ſeu quòd uentrem malè moratum circunferant, ſeu quòd ita ſentiunt, aiunt hoc quadragena-

rium ieiunium non rectè & ordine inſtitutum fuiſſe: nam quum in eo abſtinendum ſit à carnibus, lacte, ouis, caſeo, & huiuſmodi rubuſtioribus cibis, qui pinguius corpora & plenius alunt, & confugere hoc tempora ad olera, poma, legumina oporteat, hortus denique ſummo in honore ſit habendus, niſi forſitan piſcina, aut proximus fluuius auxilietur ſuggerens piſculenta obſonia. damnant illi hanc ciborum diſcretionem, qua hoc attingere licet, illud non licet, quaſi per hæc ad Iudaicæ legis ſeruitutem reuocemur. nam illi populo ciborum quædam genera præſcripta, quibus ueſcerentur, alia penitus interdicta, & horum altera, ut munda, altera, ut immunda habebat. Quum autem Chriſtus morte ſua antiquæ legis cæremonias ſoluerit, ac ocioſas reddiderit, non debuiſſe populum Chriſtianum ſimilibus inſtitutis onerari, quem iam Dominus liberaſſet, præſertim quum ipſe Dominus iam dixerit, quod intrat per os, non coinquinat hominem, ſed quod exit ex ore. Et Apoſtolus Paulus Dominum ſequens. Regnum Dei (inquit) non eſt eſca & potus. Et rurſus. Omnia munda mundis, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Idem quaſi diuinans futura hæc, quæ nunc fiunt, uel ceu è ſpecula proſpiciens impendentia, denuntiat uenturos in nouiſſimo, qui prohibeant nubere & ueſci cibis, quos Deus creauit ad utendum. Et hæc quidem à nonnullis iactantur, qui quoniam non rectè loquuntur, perſpicuum eſt eos non intelligere ſcripturas, quas proferunt: non enim fieri poteſt, ut ſcriptura rectè & qui eas intelligunt perperam loquantur: admonendi ſunt igitur, ut rem diligentius explorent, depoſita omni contentione. Etenim quæcunque in lege ueteri dicta ſunt de mundis & immundis animalibus, ea ad ſignificationem quarundam rerum dicta, imò & iuſſa fuere, quod ne ipſi quidem Iudæi inficiantur, qui ſymbolicè legem eorum conſcriptam affirmant, ſed Iudæos omittamus. Ipſe Apoſtolus Paulus, qui melius cæteris legem intellexit, & cuius dictis iſtorum cauſſa potiſſimùm inniti uidetur, hoc euidenter expreſſit, cuius hæc ſunt uerba. Ne quis ergo uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum. Ecce quomodo cibum & potum, unà cum reliquis ueteris legis umbram uocat futurorum, quæ iam diſcuſſa eſt luce uenientis Saluatoris. Ea enim, quæ illis præceptis & obſeruationibus fuerunt adumbrata, euanuerunt, poſtquam pleno ueritatis lumine cuncta perfuſa ſunt, ceſſare habet imago ubi res ipſa inducitur. Si quis igitur noſtrum credat aliquid eſſe immundum de cibis, quos Deus humanis uſibus creauit, cum Iudæis faceret, imò & in hac parte Iudæus eſſet, ſi credit obſeruationes legis antiquæ neceſſarias ad ſalutem, hoc uetat nos facere domini uox negantis hominem coinquinari cibo, & uox illa facta ad Petrum, quæ oſtenſo linteo animalium pleno iuſſit, ut manducaret, nec quicquam illorum immundum putaret. Contra hoc uigilant Apoſtolicæ literæ clamantes, omnia munda mundis, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, & re-

& regnum Dei non eſſe eſcam & potum. In nullo æquè uidentur laboraſſe Apoſtoli initio naſcentis eccleſiæ, quàm, ut obſeruationes illas Iudaicas populo nouo non neceſſarias deiicerent, reluctabantur enim tunc hi, qui à lege ad Chriſti fidem ſe conferebant, quos magnum erat à legis litera & à priſtina conſuetudine reuocare, & ad Euangelii uiuificum ſpiritum adducere: ſed futuri quoque erant poſtmodum in Chriſti grege nonnulli, qui eorum ſententia abſtinentiam quorundam ciborum tanquam neceſſariam ſaluti indicerent, quales Taciani fuiſſe dicuntur, Seueriani, Manichæi, Priſcillianiſtæ, hos tanquam digito prænotauit Apoſtolus, dum uenturos ait in nouiſſimo, qui prohibeant ueſci cibis ad utendum creatis: quorum omnium dogma eccleſia tanquam peſtiferum & ſanæ doctrinæ inimicum reiecit. Sed ſi qua lex nunc prodeat, aut iam prodierit, quæ continere iubeat à nonnullis cibis, non propter immunditiem, quæ nulla eſt, ſed, ut homines mente magis conſtent, & à uitiis cautius declinent, non debet ſimilis uideri Iudaicæ legi, quæ ad ſignificationem quorundam nonnulla ciborum genera ſtatuit eſſe immunda, & his ueſcentes uoluit contaminari. Licèt enim utraque lex idem iubeat, abſtinentiam ſcilicet quorundam, non tamen eadem mens utriuſque legis, nec eadem uetandi cauſſa nec idem modus: hæc enim cibum, à quo contineri iubet, non damnat, ut malum & impurum, quod altera facit. Demum in animalibus terreſtribus inſpicere fiſſa ne ſit ungula, & animal illud ruminet, & in aquatilibus pennas ne habeant & ſquammas quis non meritò irriſerit hanc tam tenuem ciborum differentiam? quòd niſi Iudæis id iuſſum eſſet ad prænuntiandum myſteria quædam, & ideo habitandum illis etiam tunc fuiſſet in corpore literæ, puderet me, (ut uerbis utar Origenis) dicere hanc legem à Deo datam. Videbuntur enim, (ut ille inquit,) magis elegantes & rationabiles hominum leges uerbi gratia Romanorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum. At ubi abſtinentia iubetur à carnibus & uino, quia nimis alunt, & ad uitia procliuiores reddũt, nemo reiicere ualeat hanc legem tã prudenti conſilio prolatã, digna certè lex, quæ à quibuſlibet populis ſuſcipiatur. Cauſſa igitur & diuerſa iubendi ratio & præcipiendi modus has duas ſeparat leges, ut nequaquam ſimiles dici poſſint. Vide ſi Iudæum adducere poſſis, ut cibum uetitum ſumat, nunquam adduces, morietur citius, quàm ſuillã edat aut leporinam: nihil enim habet dicere, cur ſi immundum diglutierit, ipſe immundus non ſit, nulla eſt in lege exceptio, quæ eum protegat. At lege hac, qua interdicitur carnium eſus, non alligatur ætas puerilis, aut ſenilis, & mala ualetudo, his enim perſonis opus eſt pleniori alimento: ſed ſi quis ui hoſtili compulſus edat his diebus carnes, uel ut mortem euitet, uel aliud magnum corporis malum, peccaturum non arbitror, quoniam quæ uenia datur comedenti carnes ſi malè ſit corpore affectus, eadem debetur ei, qui iuſtè timet, ne ſi carnium eſum fugerit, uis eius uitæ afferatur, & incolumitas corporis amittatur. Cur hæc ita? quoniam non damnat

nat lex hoc tem pore eſum carnium, quia immundæ ſint carnes, nec quia bonum corporis habitum auferre uelit, ſed quia ſuperfluum alimentum demere uult relicto neceſſario. Ipſe Apoſtolus Paulus, qui clamabat omnia munda mundis, à carnibus tamen & uino temperabat. Dixit enim bonum eſt homini non comedere carnes, nec bibere uinum. nam quod cæteris proponebat ut bonum, proculdubio ipſe præſtitit. Nec quiſquam noſtrum ſtruere nunc calumniam Apoſtolo poteſt, quòd uinum reijcerit, ut immundum: non enim, quia immundum, ſed in uino inquit, eſt luxuria. Itaque Timotheo diſcipulo præcepit ne aquam ad huc bibat, ſed modico utatur uino propter ſtomachi imbecillitatem & ægritudines frequentes: hoc nunquam mandaſſet, ſi uinum, ut impurum quiddam deteſtatus fuiſſet. Sic ualde refert, an uitetur cibus aliquis ac potus uirtutis ſtudio, & ut magis cautum ſit nobis, an quia immundus ſit. Hoc non cadit in Chriſtianos mores, ut aliquid credatur alimenti genus eſſe animis immundum. Illud uerò aptiſſimè cadit, ut credatur prægrauari anima ſolidiore & pleniore alimento. Quamobrem quum Apoſtolus dixerit. Bonum eſt homini non comedere carnes, nec bibere uinum, ex his duobus alterum, quod dixit de carnibus, incluſum eſt lege ad breue quoddam tempus finitimum Dominicæ paſſioni: alterum de uino relictum, nec fortaſſis expediebat de illo in his frigidioribus regionibus idem decerni. Indicitur nunc eccleſiæ decreto multorum dierum ieiunium, ſed non id decretum paſſim quemlibet apprehendit, ſed conſiderari permittitur quali quiſque ſit corpore, ualido ne & ſucculento, an tenui & infirmo, & ex eo æſtimari uires & colligi, ſupereſſe ne poſſit tantùm ex ieiunio, quòd corpus commodè ſuſtineat. Itaque nimia alimenti detractio in corporibus etiam ualidis uituperatur, quia non inutile & tanquam emortuum corpus ſed modeſtum magis & quietum præſtare ieiuniũ debet. Nemo puerum ad ieiunium uocat, nemo ſenem, non etiam grauida mulier huc uocatur, cui uni duo corpora ſuſtentanda ſunt, non etiam nutrix, cuius eadem eſt cauſſa, quæ grauidæ mulieris. Aegrotãti quodlibet permittitur, imò eum cibum ſumere iubetur, quo citius conualeſcat, ita ut reddita ualetudine redditum ſibi quoque ieiunium putet: hoc effecit, ut ſtultum uideretur propter abſtinentiam alicuius cibi in ægritudine diutius hominem detinere: qui eo cibo ſumpto ualidior factus, poſſet deinceps melius & fortius ieiunare: non enim tam faueret abſtinentiæ, qui ſic faceret, quàm aduerſaretur. At nec ieiunare compellitur agricola, nec metallorum foſſor, non ferrarius aut tignarius faber, non nauta, non uiator, quo uires ſufficere operi & labori poſſint. Et ſunt, qui ob hæc ieiuniorum inſtituta, eccleſiam non ut parentem piam erga fideles honorent, ſed ut impiam nouercam inſectentur, quum ea non exigat plus, imò ne tantùm quidem, quantùm facere poſſimus. Duabus de cauſſis (ſi uerum exquirimus) ieiunium præcipitur, una ut uitia frænentur: non enim ſolùm, ut eſt penes Comicum, ſine Cerere & Baccho friget uenus, ſed friget quoque iracundia, obtrectatio,

tio, liuor, petulantia, faſtus, & multa alia ad perturbationes animorum facientia: ſed præterita quoque peccata ieiunio redimuntur, nedum futura ſupprimuntur, quò fit, ut utriſque & peccantibus, & peccare metuentibus aptum ſit ieiunium. Ergo hæc una ratio inſtituendi ieiunij, altera, ut mens ſolutior & liberior efferatur ad contemplationem ſupernorum: pinguis enim uenter, ut eſt in Græcorum prouerbio, non gignit ſenſum tenuem. Si quis autem nihil imminuens de priſtina eius uitæ conſuetudine uitioſa imminuit ſibi tantùm cibum ac potum, is fateatur, oportet, quod neſcit ieiunare: ſi ideo tantùm ieiunat, ut ieiunet, nec reſpiciens longius cogitat, quò ieiunium ferre eum debeat. Non enim adeò immitis & aſper Deus, ut delectetur afflictione corporis noſtri, ſi ex eo nihil ſit maius prouenturum. Delectatur ieiunio, non quia ieiunium eſt, ſed quia inſtrumentum uirtutis. Illi probatur ieiunium, de quo effloreſcit frequentior oratio, mens purior, ſyncerior in Deum affectus, contemptus ſui, & ſæculi, cœleſtiumque amor, humanitas in proximum, atque clementia. Hæc ut aſſequamur maxima & diuina bona, inopiam cibi atq; potus perſequimur, nam ubi de nimia cibi & potus copia corpus redundat humoribus, tunc prægrauata mens nihil ſpirare poteſt purum atque cœleſte, ſed uergit ad corpus, eique maximè inhæret: tunc enim confirmatur & corroboratur, id, quod in nobis eſt mortale atque irrationale per huiuſmodi luxum & abundantiam ciborum: ea autem pars animi, quæ rationis particeps, debilitatur atque conficitur. Hinc omnis ſenſuum libido armatur. Hinc cupimus, iraſcimur, inuidemus, geſtimus, efferimur, dolemus. Hinc opes & honores, hinc & ſanguinem ſæpius ciuium & cædem ſitimus. Appetitus enim animi ualidior effectus his ciborum delicijs, rapit nos undique per inuia & deuia, nec frœno reuocantis rationis cohiberi poteſt. Hoc non modò nos Chriſtiani uidimus, ſed & omnis antiqua ſenſit Philoſophia, quæ ſemper maciem ſaginæ, abſtinentiam luxuriæ, inediam ſaturitati prætulit, omni autem ſtudio eſum carnium reijciebat: arbitrabantur enim, quòd pinguefactum corpus animum quodammodo redderet corporeum, ita, ut non poſſit deinceps ſpirare in liberas auras, perq; ſublimia ſe attollere. Itaque augeri nolebant corpus; per quod impediretur iter ad mentem, ne proprio fungeretur munere in perſpiciendis, contemplandisque diuinis, quapropter fœlicem uocabant eum, qui ad minimum ac penitus neceſſarium alimentum redigeret corpus, atque utinam (inquiunt) ne minimo quidem egeremus, quo ſtatim rebus optimis coniungamur, neque ab his unquam diſcedamus. Vetus eſt, animum habere ſe ad corpus quemadmodum ad equos aurigam. At equos cernimus nimia carne fluentes, difficiles habere motus & multa aurigæ præbere negocia. Sic intelligi pariter datur carnoſum hominis corpus ad omne uirtutis opus reddi penè inutile, nec facilè regentis animi gubernaculo parere. Iam uerò ad ſanitatem nihil melius facere probauerunt, quàm ſuperflua in corpore non congregare. Itaque non natura alimentum ualentius

lentius aſſumendum, ſed id tantum, quo ipſa natura fiat ualentior. Et hæc quidem à ueteribus Philoſophis habemus, qui ſermonem quoque hunc uita proſequuti ſunt. Nam Pythagoram, Pythagoreoſque omnes, item & Aegypti ſacerdotes, item & Perſarum magos, item & Indorum gymnoſophiſtas animalibus abſtinuiſſe palàm eſt, nolentes alienis carnibus corpus ſuum prægrauari. Clamabant illi, ut eſt apud inſignem poëtam,

Heu quantum ſcelus eſt in uiſcere uiſcera condi.
Congeſtoq; auidum pingueſcere corpore corpus.
Alteriusq; animantem animantis uiuere leto
Et cætera quæ ſequuntur.

Sed ut à Philoſophis diſcedam, ferunt eos, qui ſub Saturno, ideſt, aureo in ſæculo fuere: quo tempore innocentia magis inter homines floruit, frugibus tantùm & pomis, & alijs, quæ ſponte humus funderet, uictum toleraſſe: quod Ouidiano quoque carmine teſtatum eſt. Vitam ducebant tunc homines puro & ſimplici alimento.

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis.
Et, quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Nulla tunc erat domi altilium ſagina. Nulla uiuaria. Nullæ piſcinæ. Alites tantùm dulciſono cantu aures mulcebant.

Et præter pennas nihil in pauone placebat.
Oſtreaque in conchis tuta fuere ſuis.

Ferunt etiam ſub Pigmalione, qui in Orientis regnauit partibus, eſum carnium ignoratum. Nonne etiam homines accepimus ante diluuium animalibus pepercíſſe, qui tamen longæui fuerunt, ne quis fortaſſe putet eſum carnium humanæ uitæ neceſſarium, ac non obſonij gratia receptum, & obſonij quidem delicatioris, quum alia multa ſuppeditaret tellus, quæ obſonij uſum præſtare poſſent. Perſarum uictus à Xenophonte deſcribitur, quos nihil ad panem adhibere ſolitos aſſerit præter naſturtium (herbæ id hortenſis genus) niſi in uenationibus, ſi quam feram cœpiſſent ipſi uenando, & tenuiſſimi eorum uictus ea argumẽta affert, quòd turpe ſit apud eos ſpuere & emungi, & flatus uideri plenos, Lacedæmoniorum menſæ, quàm tenues, quamque frugales fuerint, & idem Xenophon & Theophraſtus, & plures alij Græci ſcriptores prodidere. Nota eſt Platonis uox, qua uituperans Syracuſanas, Italicaſque menſas negat ſibi placuiſſe bis in die ſaturum fieri, neque unquam pernoctare ſolum, quod ſanè indicat Athenienſes & reliquos Græcos non niſi ſemel epulari in die conſueuiſſe, uel tenuitatem prandij ad cœnam attuliſſe: quod apertè Plutarchus in ſimpoſiacis confirmat, dum ait, ueteres Græcos in prãdio panem uino tantùm tinctum ſumpſiſſe, uel quodlibet aliud, quod præ manibus erat nullo apparatu pani iunxiſſe. His auxiliatur Galenus

in re

in re medica poſt Hippocratem princeps. Is libro de tuenda ualetudine, ſexto, inquit, ubi meminit prandij ideſt, cibi antemeridiani, ſe nunquam eo uſum, niſi ubi ſerius lauandum ſibi eſſet, & tunc ſolum panem ſumpſiſſe ſine potu, quoſdam autem aſſerit mella & oliuas & reliqua eiuſdẽ generis adhibuiſſe, ſimulque potaſse. Hîc conijci datur, illos interdiu uel nullum, uel leuem & facilem cibum cœpiſse. Sed Iſidorus libro ethymologiarum uigeſimo prandia in uſu non fuiſſe, teſtatur. Et hæc quidem antiquæ frugalitatis argumenta ſunt. In templo Eleuſinæ Cereris Hieronymus ſcribit Xenocratem ſequutus tria tantùm præcepta inſcripta fuiſſe, honorandos parentes, uenerandos Deos, carnibus non ueſcendum. adiicitque Orpheum eſum carnium carmine deteſtatum. Dies deficiat, ſi ſingula dicere uoluero, quæ uiri ſapientes in gentibus quondam fecerint & ſcripſerint, ut deterrerent homines ab edacitate. Nam medici ueteres nouique admonent, ita nos à menſa diſcedere, ut nulla ſit ſacietas cibi atque potus, ſed auiditas adhuc utriusque ſuperſit, quò euitetur cruditas origo penè omnium morborum. Vbi enim neceſſarius cibus ſumitur tunc planè nutrit, quoniam confici poteſt. At ubi ſuperfluus aggregatur, non modò non nutrit, uerùm etiam inquinat & corrumpit, ad morbosque innumeros perducit. Qnamobrem uilis tenuisque menſa ſanitatis eſt cuſtos, eam afferens iucunditatem, quam neceſſe eſt in bene ualido corpore morari, cui non aliud corporis bonum conferri poteſt.
Ipſi certè Medici primis diebus tenuiſſimam dietam præſcribunt ægrotantibus, & hac ſola ſæpius grauem morbum diſcuſſere, ut dubitandum non ſit, quin ea faciat plurimùm ad retinendam bonam corporis ualetudinem, per quam amiſſa inſtauratur. Damnant etiam nimis plena & obeſa corpora quaſi natura capax uiuendi non ſit, niſi habeat, in quod poſſit creſcere, ſimul & quia ſuperans materia lædit, quam detracto etiam per uenas ſanguine imminuere conantur. Audietis præterea probari ab eis cibos, in quibus non ſit multa ſuperfluitas, ſed medius aut tenuis ſuccus. Hinc placent aues non pingues, & parui piſces de petroſis eruti riuulis, & tenera animalia, quorum paſcua ſint in deſertis & aridis locis. Reliqua autem nimia pinguedine ſuffarcinata ex copioſo nutrimento, nec ſibi ipſis, nec aliis ueſcentibus ſana eſſe arbitrantur. Et quoniam dictum eſt ſuperius carnium eſum ante diluuium interdictum fuiſſe, quæret fortaſſe aliquis, cur facto diluuio fuerit diuina lege conceſſus. Hoc diſcutiendum uenit, & latius quomodo id ſe habeat aperiendum. Adæ primo humani generis parenti, ubi diuinum miſer confregiſſet mandatum, dictum fuit, quòd in ſudore uultus ſui ueſceretur pane ſuo, & herbas terræ comederet, qui ſi in præceptis manſiſſet, de arborum tantùm illarum pomis & baccis uitam fuiſſet toleraturus, non de terræ frugibus, de animalibus nihil dictum: ex quo conijcitur eſum carnium in uſu tunc non fuiſſe, niſi poſtremis temporibus, quibus Deus inferre diluuium ob ſcelera undique erumpentia meditabatur. Nam tunc homi-

nes in omnem prolapſi fœditatem, hoc etiam addiderunt, quòd animalibus interdictis ueſcebantur: diluuio iam facto loquens ad Noe Deus dicit ſe omne, quod mouetur, tradere hominibus quaſi olera uirentia, quod neutiquam dixiſſet, ſi animalibus ueſci antea licuiſſet. Cauſſa concedendi uidetur fuiſſe (quantùm ego ſentio) quoniam præuidebat, quòd homines poſt uenturi non abſtinerent ab animalibus ſicut paulò ante diluuium non abſtinuerant priores, ideo maluit ne peccarent concedere, quemadmodum quoque poſt diluuium libellus repudij propter duritiã Iudæorum conceſſus fuit, quum antea nihil tale fuiſſet. Ergo indulgens cupiditati humanæ Deus eſum carnium tradidit, & tanquam id parum eſſet, uini pariter potu eoſdem donauit: Nam eo ueteres fuiſſe uſos non conſtat, & illud etiam indicat quòd poſt diluuium Noe primus dicitur uitem poſuiſſe & coluiſſe, & uini deinceps ui captum impudicè iacuiſſe, tum quum irridente Cam uno ex filijs, alij duo melius cogitantes intrauerunt ad eum auerſi, nudataque patris fœmina texerunt. Illud autem affertur, cur uino ebrius ſit factus, quia antea uir ſanctiſſimus uini potentiam incognitam inexpertamque habuiſſet. At quòd olim licebat aſſiduè nulla dierum diſtinctione, nunc moribus noſtris quandoque non licet: quanquam non omne, quod licet, idem ſemper expediat. Audiſtis quot ſæcula, quot ætates, quot populi, quot uirorum ordines carnium eſum reiecerint, & quàm uixerint abſtinenter, & quantùm id conferat ualetudini corporis, rectiſque moribus & ſapientiæ percipiendæ. Sed quid has ratiunculas, quid externa profero exempla? ſi quidem mos eccleſiæ, auctoritas patrum, geſta maiorum ſufficere ſola deberent. Eſt hoc quidem ita. Veruntamen, ut calcar adderetur quoque currentibus, oſtendendum fuit hæc eadem gentibus placuiſſe; nam ſi illi lumine tantùm mentis inducti exiguitatem & uilitatem ciborum probauerunt, quò magis & corpore & animo ualerent: quid nobis faciendum, qui ſapientia cœleſti imbuti, qui maximorum ſacramentorum participes effecti ſumus, quibus hoc præcipuè propoſitum eſt, ut Deo placeamus? quis non labor, quæ non opera ſumenda, ut accedamus ad diuinæ charitatis complexum? quæ mox illis nos immortalibus & cœleſtibus præmijs bearit. Deo autem placuiſſe ieiunia tenuemque uictum, illud oſtendit, quòd quum magnis editis miraculis eduxiſſet Iudæos de Aegypto in uaſtas ſolitudines Moſe duce, populum illum paſcebat manna tantùm cœleſti, & aquis de petra fluentibus, quumque poſtmodum deſideraſſent carnes & ollas Aegyptias, & ſtomacharentur ſuper manna, tanquam leuiſſimo cibo, immiſit illis Deus coturnices ad ſaturitatem, ſed magno eorum malo, nam adhuc carnes in dentibus, & percuſſit eos Dominus (ut ſcriptum eſt) plaga nimis magna. Iterum exorto murmure contra panem illum cœleſtem, renouatoque carnium deſiderio, immiſſi ignei ſerpentes, qui noxio afflatu & tactu multitudinem perimerent. Helias quum fugiens Iezabel iram & minas perrexiſſet in deſertum uiam unius diei, eumque iam ui-

tæ

tæ pœniteret, & demum ſub Iuniperi umbra laſſus quieſceret, ſuſcitatur ab Angelo, eique dicitur. Surge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput eius ſubcineritius panis, & uas aquæ. Quid? non poterat huic Deus fercula per Angelum mittere copioſa & uoluptuoſa? poterat, ſed non uult ille ſuos talibus delectari ferculis, non etiam ſanctus ille uir lautioris menſæ conſuetudinem nouerat. Similiter poterat Deus, Danieli inter Leones ſedenti de regia menſa epulas mittere opipare inſtructas: nihil fecit huiuſmodi. Abacuch diligitur, qui homini ferret meſſorum prandium, agreſte ſcilicet & ruſticanum. Et ne ſigillatim omnia enum erando ſermonem nimis producam. Chriſtus rex & regula humanorum actuum ieiunauit. Ieiunarunt, qui eum præceſſerunt Prophetæ, & qui mox ſequuti ſunt Apoſtoli. Ipſe Paulus in catalogo laborum ſuorum ieiunia multa recenſet. Ioannes Baptiſta Euaugelii præcurſor, quo nemo inter mulierum natos maior ſurrexit, tam arctè ſe ſe exhibuit in eremo, ut dictum ſit à Domino ueniſſe eum, non manducantem nec bibentem. Et quando eremum ſermone iam intrauimus, quis monachis noſtris eremum incolentibus uixit diſtrictius? quorum erant quotidiana ieiunia in pane & aqua, aut in paucis oleribus, aut arborum baccis, quorum plures ſine ulla refectione biduum aut triduum continuum, plerique & ſolidas hebdomadas tranſmittebant. Xerophagiam autem maximè probabant, ideſt non iurulentum, non uuidum, non unctum, ſed ſiccum & aridum cibum, cui ſententiæ accedere uidetur Hieronymus noſter, qui fortiſſimum ieiunium aſſerit eſſe panem & aquam. Dici uix poteſt, quanta monachorum examina id ieiunium per omnem uitam impleuerint. Vt enim reliquis uirtutibus ita & in hac parſimoniæ laude Chriſtiani reliquos omnes mortales ſuperauimus. Nemo autem dubitat, quin hi, qui ſibi ieiuniū uerterunt in naturam, (obtinet autem conſuetudo naturæ uicem) fuerint cæteris fortiores, atque adeò fœliciores, quia maius eſt non egere, quàm plura habere, quibus egeas: non enim utendum alimento, niſi ut quotidiana corporis ruina fulciatur, quo remedio, qui non eget, uel leuiore eget, fortunatior cenſeri debet. Quæ quum ita ſint, hortor ego quoſcunque, qui integra & ætate ſunt & ualetudine, (& quos durioris operis labor haud exhaurit, ut ſacratiſſimum hoc quadragenarium ieiuniū Chriſti exemplo inſtitutum, ab Apoſtolis traditum, conſuetudine populorum retentum abſoluant. Magna ieiunii uis ordine & ratione tolerati, ingens meritum, immenſum præmium. Nullum ferè in ueteri lege ac noua arduum aliquod inuenietur opus patratum, niſi præmiſſo ieiunio. Nam Chriſtus ipſe, cuius nunc ieiunium effingimus imitando, non ante ad Euangelij prædicationem acceſſit, quàm illud ipſum ieiunium quadraginta dierum & noctium impleſſet, & actione ſua conſecraſſet. Moſes lapideas tabulas duas detulit de monte ad populum Dei digito notatas, in quibus lex continebatur, ſed antea tamen hoc eodem dierum numero ieiunarat. Helias quoque quum ſe totidem dierum ieiunio præparaſſet,

uidet Deũ in monte Oreb, audiuitq; ab eo, quid hic Helia? Multò familia rior (inquit Hieronymus) iſta uox, quàm illa ad Adã facta. Adã ubi es? Illa paſtum terrebat & ſaturum: hæc ieiunanti famulo blandiebatur. Habere omnino uidetur in ieiunio peculiare quiddam quadrigenarius hic nume rus, quem & duo hi maximi uiri in ueteri teſtamento & in nouo Saluator ſeruauit. Sed quid non impetrat ieiunium? equidem nihil tantum arbitror, quod non poſſit. Nam Anna Helcanæ uxor diu ſterilis ieiunio meruit, ut conciperet, atque ita uentrem cibo uacuum filio impleuit: & hoc quidem uoto unius profuit mulieris. ſed ecce tibi alia mulier, quæ ut Holophernem, uniuerſaſque eius copias proſterneret, ieiunio ſe aduerſus illum armauit, nec fruſtra, ut mox apparuit: nam uirtute unius fœminæ & caput ipſe amiſit, & exercitus eius cæſus fugatuſque eſt, & ciues obſidione liberati. Quid Heſter, non'ne ieiunans mentem Aſueri regis inflexit ad clementiam & populum Hebræum iã neci deſtinatum ſeruauit, & pœnam in caput auctoris retorſit? mulieres loquimur Hebræorum. Quid populus uniuerſus quoties aduerſus hoſtes pugnaturus ieiunauit, & uictoriam conſequutus? Itaque quos arma ſuperare non poterãt, hos ieiunia fregerunt. Ieiuniorum pro merito imbecillitas fortitudinem egeſtas copiam, paucitas multitudinem ſuperabat. Daniel quoque dum ieiunat à cibo, obtinuit ne ſe ipſo ieiunos paſceret Leones. Tum primùm prædam ſuam famelica Leonum ora timuerunt. Magnum hoc beluarum illarum ferociam humano ieiunio compreheſam & edomitam fuiſſe, ſed maius illud, quod idem ieiunium iracundiam quoque Dei aduerſus de licta noſtra inſurgentem mitigat, & fulmen iam iamq́ue paratum abijcere cogit: quod exemplo ſuo Niniuitæ oſtenderunt, qui ruinam ciuitatis pro phetico ore clarè denuntiatam ſquallore, ſordibus, ipſo denique ieiunio uitauerunt. Similiter Acab Rex impijſſimus, ut ultio diuini iudicij com minata illum tranſiret, & transmitteretur in poſteros, ieiunio impetrauit & ſacco. Sed amat nos Deus. Itaque facilè permittit ſe ſuperari afflictioni bus noſtris & ſuperatus gaudet. Quid Dæmones, qui humano generi ini miciſſimi ſunt non'ne ieiuniũ tremefacit, & fremebundos de humanis re uellit corporibus? nam Dominus in Euangelio ait, quædam Dæmonum genera non niſi ieiunio & oratione eijci poſſe. Ergo ieiunium uim habet eijciendi tam feras tam uaſtas, tanque indomitas, ut ſic loquar, beſtias; quæ enim in terris poteſtas, ut Dæmonum poteſtati comparetur? & tamẽ tantam hanc poteſtatem humile frænat ieiunium, quid æquè mirandum, quàm quòd hi ſpiritus nequiores, qui non edunt ipſi nec bibunt quicquam, ſemperq́ue ſunt ieiuni, humana ieiunia ferre non poſſint? Omnis igitur pietatis ratio, omnis utilitatis cogitatio ad ieiunium uocat, hoc uitia depellit, hoſtes ſuperat, animum purgat, erigit, ſuſtollit, & in macie corporis uberiorem ſpiritalium ſaginam miniſtrat: hoc orationes noſtras gratiores Deo, hoc uota exaudibiliora reddit, hoc denique ab iſto eiectos ſæculo ad cœleſtem illam & immortalem, & beatam perducet uitam, cu-

ius

ius nunc quidem eſt imago, nam illic omnis cibus atque potus corporeus ceſſabit: animus autem ipſe ſaturabitur, ſed latiore & diuiniore pabulo, quàm quòd nunc cogitare poſſimus. Hæc non mea, ſed ſanctorum uirorum eſt oratio. Verba mea fortaſſis plura, ſed ſententiæ omnes ab illis ſunt. Ego enim, qui ſum? ut rigidus eſſe debeam ieiuniorum exactor. Nihil eſt in me triſte, auſterum, tetricum, unde enim id eſſet? Sed quod ego dico, illi ante me dixerunt. Nullæ partes meæ in hoc ſermone fuerunt, niſi colligendi, diſponendi, & more meo pronuntiandi: & tamen tacentibus reliquis, qui ſunt mei ordinis, ipſe quoque facilè reticuiſſem, niſi quòd non omnino inutilem futuram operam meam credidi, ſi quæ de tanta hac re per uaria iacebant uolumina, ipſo uno ueluti faſce ſubſtringerem, & ea uobis exhiberem; hoc feci ne uererer, hoc nouo tanque inſolito dicendi genere aures ueſtras occupare. Sed auditorium iam dimitto. Illud tantùm admoneo ſummatim, ad quod omnia reſpiciunt ſuperiora, ne pigeat caſtè & continenter uiuere, & ieiunia uitæ ſanctioris gratia inſtituta, & animo & opere aſſiduè uenerari.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE POENITENTIA ORATIO.

QVVM ſæpe & ſæpius conſidero ipſe mecum, atque retracto, quæ nam reliquarum gentium, nationumq́ue fuerit lex uitæ, qui Dei cultus illos tenuerit, quæ religio mentes peruaſerit, è regioneq́; ſpecto quæ ſub Chriſto effulſerit diſciplina, legitimi itineris dux, nuntia ueritatis, ingentium præmiorum oſtentatrix, Chriſtiani populi incredibilem admirabilemq́ue fœlicitatem cogor quibuſcunque omnibus anteferre. Etenim unaquæque lex tanti æſtimanda eſt, quanti fuerunt illi, qui ſe ipſos legi totos addixerunt, atque tradiderunt. At qui ut de Chriſtianis agentes de reliquis etiam non taceamus, nullos reperio mortales, qui æquè ac illi terrena abiecerint, calcarint, repudiarint: nullos, qui petulantiam corporis, libidinem ſenſuum uehementius fregerint, nullos, qui deſerto rerum commertio uitam nudam, atque inopem ſolitudini, luſtriſq́; mandarint, nullos, qui ſpiritum erexerint ad contemplationem cœleſtium gaudiorum, nullos, qui miraculorum poteſtate naturæ imperitarint, nullos, qui ſupplicia ardentius expetiuerint diuina in cauſſa, nullos, qui tolerantius exceperint. Hæc mira & maxima, quum à noſtris geſta ſolis magnificèq́ue expleta fuerint, legem illam, quæ in tantam uirtutum ſegetem ſuos mitteret cultores: quis non Dei ore effuſam diceret? quis uirtutibus militaturus uexillum aliud ſequatur? Verùm quoniā ſingulis immorari nolumus, propterea quòd ſermo nimium duceretur, illud attentis pauliſper animis cogitemus, quanti ſit, quòd nobis eadem hæc lex æternitatem uitæ, cœlorum regna pollicetur. Aliarum religionū iura de cœlo obmuteſcunt, tetram & horribilem inferorum lacunam fato functis proponunt, tam & ſi paulò amenioribus & lætioribus campis bonorum innocentiumq́ue manes excipi uelint, hæc uulgus nouerat, reliqui pauci doctrinarum ſtudijs exculti in uarias ſe diffuderant ſententias: horum non nulli interire humanos animos, & extincto homine nihil ſupereſſe arbitrabantur: ſed quicunque inter Philoſophos habiti ſunt meliores,

res,hi piorum animas corporum uinculis laxatos perrumpere ſtatim craſſum hoc & concretum cœlum, quod infra lunam eſt, & facili ac leui lapſu ad puriores ætheris partes ſubuolare ferebant: unde ex ſublimi nullarum rerum indigæ ſpectacula caperent, mundanarum rerum ſideribus ſociatæ. Hebræi quidem patres, quibus uera Dei lex effulſerat, morte obita ad inferos deſcenſuros propalàm teſtabantur, quippe foribus diuinæ aulæ nondum patefactis. Has ſententias, qui nouerit, non'ne maximas & infinitas habeat Euãgelio gratias, quum tanta ueris fidelibus præmia polliceatur? Fac pendere nos animis de euentu ſolicitos, quem re nondum tenemus. Illud tamen iuuat, quòd non humili ac ſordida, ſed glorioſa & inclita ſpe ducimur: oblectat interim hoc ipſum, quod Euangelium pollicetur. Quid enim pollicetur? homines Deorum numero locaturum, quibus in oris? non in mundi huius, quem cernimus ſuprema parte, quæ & corporea eſt & finita, & mobilis, ſed in illo cœli orbe, quem diuinum iubar fundit candentiſſimum, corpore tenuiſſimo, maximo ambitu, motu nullo. Hoc in templo iuſtæ ſanctæque animæ uoti compotes, uirtutum ſuarum donaria Deo ſuſpenderint. Hîc tota haurient beatitudinis fluenta, ex fonte manantia conſpicuæ deitatis. Hîc immenſorum obruentur gurgitibus gaudiorum, conſpicient nanque eum, qui ſolus ueram, ſolus immotam æternamque poſſidet ſubſtantiam, conſpicient uerbum illud beatificum, quo condita hæc ſunt omnia, quod ſpectaculum tantam præſtabit fœlicitatem, quantam nunquam cogitare potuimus. Etenim ſi in ſæculo iſto luctus mœrorisque pleniſſimo, in hac exule ac tenebroſa ſede, magnæ nonnunquam percipi uoluptates uidentur, tum animis tum corporibus, non ſolùm à iuſtis & bonis, uerùm etiam à ſceleratis & nocentibus, quãtæ uideri debent hæ uoluptates, quæ beatis in oris in fulgido ueræ patriæ domicilio delectis tantùm ſanctorũ ordinibus ab æterno numine tribuũtur. At parua noſtra ſunt merita. Quid refert? Arbores ipſæ paruo ſemine uberes fructus ſuo tempore mortalibus fundunt, tellus itidem obſequioſa, pauca grana paucioribus menſibus ſibi credita reddit multiplici cum fœnore: ſic uirtutes noſtræ modicæ in ſemine ingentes edent fructus cœleſti in patria ſuppeditante Deo copiamque illis ſuam ſuggerente, amplior merces fuerit officio, an non fluxerit tunc ille multitudine infinita donorum ob quædam benefacta noſtra, qui nullo hominum opere expectato ad eorũ commodũ inanima atque animata, tam multa, tam larga, tanque feracia profudit: ſtultum eſt credere eſſe aliquos, qui uberiora aſſequantur præmia quàm hi, qui Deum præ omnibus coluerint, & ſanctiſſima eius mandata cuſtodire ſtuduerint. Non enim Deus liberalitate à quoquam uincetur, qui & dare maxima poteſt & uult: idque facturum ſperamus & prædicamus. Vt igitur, qui mortalis ac terreni Principis obſequuntur uoluntati, ſperant ſe ab illo capturos præmia, mortalia tamen & terrena, ideſt exigua & finita, ſic æternis & immenſis præmijs ditari expectant hi, qui æternum & immen-

menſum Deum ſequuti ſunt: quanquam ſtudium & induſtria noſtra, uoluntasq; rectè agendi nihil Deo conferant, ille tamen, quaſi plurimum conferrent, remunerare paratus, nec quid nos ſuſcipere, ſed quid illo dignum ſit tradere, maximè animaduertit. Sed ecce de dignitate Chriſtiani nominis, & de ſupernorum ciuium gaudijs dicentē & plura dicere parantem, repēte ab orationis meæ curſu repreſſit mulier oculis oblata mentis, ſqualida facie, lugubri palla, deiecto crine, fluentibus oculis. Hanc ego intueor attonitus, uos nondum uidetis, quæritis de me, quæ nam ea? quo nomine? unde ſit? Dicat ipſa. Pœnitentia uocor inquit, iuſtitiæ proles, erumnæ ac doloris comes, ad cœlum, quod oſtentas dux. Beatus Ioannes Euangelij anteſignanus propinquante iam fidelibus cœleſti regno me populis prædicauit. Me poſtea Dominus in carne ueniens ſermonum ſuorum fecit initium, & ut à me cœpit, ita in me quoque terminauit, iubens Apoſtolis, ut pœnitentiam in omnes gentes prædicarent. Me Apoſtoli iuſſa Domini implentes lætè ſuſceperunt, & undique uocibus ſuis inſonuerunt. Me ſanctus omnis uir, & quoque quiſque ſanctior, eo magis dilexit. Terreor (inquam) ſpecie hac tua tam miſera tamque lugubri. Ne terrearis inquit, nam ad illa læta & feſtiua ueniendum eſt per grauia hæc atque aſpera. Magnus Chriſtiani hominis honos eſt, ut à te dictum eſt. Magna dignitas, ſed Chriſtiani gementis, ſuſpirantis, afflictantis ſe, & ut breuiter dicam, pœnitentis: demū ſic habeto, quòd quicunque uirtutis ſtudio, uel delendi peccati gratia horrida quædam & dura ſuſcipiūt, maximè eſſe commendandos, quia id rectè fiat. Sin autem malè fieri dicunt, quia laborioſè, reuocandi ſunt talia opinantes, ut uideant leuiſſimorum laborum ingentem mercedem. Sic forſitan commouebuntur, & de ſententia diſcedent, meque libentiſſimis animis aduocabunt. Audiſtis, quæ nam hæc ſit mulier, quid'ue loquatur. Nutu nunc ſignificat, ut ſui præconium faciam, & ſe uobis oratione conciliem atque commendem, ut deinceps uos bene cognitam ſtudioſè recipiatis. An non uobis quoq; uidetur hæc digna ſtudijs noſtris? digna, in qua operam diligentiamq; omnem impendamus? Non enim pœnitentia cogitanda ſolùm, aut prædicanda, aut exterius ſimulanda, quorum unum ignauorum hominum eſt, alterum uanorum, tertium fraudulentorum, ſed ut Chriſtianum decet, uerè & fortiter opere implenda. Rectè & ſapienter humanis corporibus proſpexit Deus; Ille quoniam inualida hæc eſſent & imbecilla, & in uarios prona morbos, medelas eſſe uoluit, quibus amiſſa ualetudo inſtauratur. Idem in animis effecit, quos quū cerneret, præſentium rerum illecebris delinitos, uitia ueluti morbos quoſdā capturos, eiſdem medicinæ loco pœnitentiam indulſit, quæ ſanaret & reſtitueret: tam & ſi inter uitia animorum & corporum morbos ualde interſit, propterea quòd hi ingruunt inopinatò, & naturalibus de cauſſis. Vitia uerò non niſi uoluntate contrahuntur, quum rationem de dominatu deijcimus, appetituique parere cogimus, non minori prodigio, quàm ſi intra nos beluam, & hominem

alere-

aleremus, & homini belua imperitaret. Veruntamen eam uim pœnitentiæ eſſe uoluit ſummus ille ac Clementiſſimus parens, ut omnem fraudem ac malitiam impiæ mentis exhaurire queat. Non eſt aliud pœnitentia,quã animi dolor ex peccatorũ recordatione ſponte ſuſceptus.Si dolea mus uerè animo peccaſſe,utemur animi dolore eã ad rẽ,cuius cauſſa mortalibus illũ cõceſſit Deus.Non enim ob aliud cõceſſit,niſi ob delenda pec cata,hoc ſic licet cõſiderare.Credibile eſt Deũ humani generis parentem non contuliſſe hominibus mordacem animi dolorem, niſi ut remedium quoddam. Remedia uerò inuenta eſſe dicendum propter eos morbos, quos curare poſſunt: non propter eos, quos non poſſunt. Veluti ſi unguentum quoddam ualeat duntaxat ad ſanandos oculos, meritò dicant omnes id ſolummodo confectum fuiſſe propter oculorum morbos, non propter ſtomachi aut iecinoris, aut alterius membri imbecillitatem. Transferamus id ad dolorem animi, mœſtitiam, triſtitiam, ægritudinem (ut eandem rem pluribus notem uocabulis) ubi inuenerimus, quòd ea nihil aufert cæterorum, quæ grauia exiſtimantur, unum duntaxat peccatum corrigit, certum erit ad huius ſublationem tantummodo datam. Quid hîc oſtendam calamitates humanas non poſſe mentis mœrore extingui? notius id quàm, ut dici debeat. Ecce tibi mulctatus eſt pecunia aliquis, afflixit ſe & luxit diutius, num ideo mulctam emendauit? amiſit ille filium, contriſtatus eſt, num mortuum ſuſcitauit? flagellatus eſt alius, uel alapis cœſus, doluit, num contumeliam reuocauit. Correptus eſt quidam podagra, calculo, uel ardenti febre, propter quod concidit animo, & in grauiſſimo mœrore uolutatus eſt, num morbum ſuſtulit? tantùm abeſt, ut ſuſtulerit, ut difficiliorem etiam reddiderit. Nihil igitur in his proficit animi dolor. Vbi autem proficit? In peccato, ubi quis affligitur, conqueritur, ingemiſcit, quòd unquam auerterit ſe à Deo, & maximis ſempiterniſque bonis exigua & caduca ptætulerit: ideo tunc aſſumendus tanquam ad hunc unum uſum datus: nam aliis in cauſſis fruſtra ſuſcipitur, & nihil plus affert, niſi quòd auget calamitatis moleſtiam. Hanc uoluit uim doloris noſtri eſſe Deus, ut per eum calamitas peccati, quæ eſt omnium maxima, auferatur. Non eum etiam, qui pereundi cauſſam ſibi præſtiterit poſt regenerationis lauacrum, perire uult, ſed uiuere reſipiſcentem. Damnentur igitur ab homine omnino peccata, ne pro peccatis homo ipſe damnetur. Eſt baptiſmus quidem criminum omnium euerriculum. Verùm quoniam hîc iterandus non eſt, pœnitentiam ſuppoſuit Deus, ueluti alteram in peccati naufragio tabulam, qua nixi euadamus. Audite quid Dominus Ezechielis uoce loquatur. Viuo ego (inquit) Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Satis erat Deo affirmare pro ſalute noſtra, quàm benignus eſſet. Ille etiam addidit iuramentum, quò magis impellat, ut credamus, & conuertamur ad ſalutem, nec in peccatorum fœditate iaceamus. Multis aliis diuinæ ſcripturæ locis clamat Deus. Conuertimini ad me. Agite pœni-

tentiam, lugete præterita, cauete futura, dimittam crimina, non recordabor amplius iniquitatum ueſtrarum. Quid plura? id petit tanto ſtudio, & tam crebro, & ſub his atteſtationibus & pollicitationibus, ut parum abſit, quin roget: & tamen ſi rogari expectamus, rogat nos pro eo Apoſtolus Paulus unus ex principibus cœleſtis aulæ. Ille ſcribens iterum ad Corinthios: pro Chriſto (inquit) legatione fungimur tāquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Ecce quomodo iſte, ut Dei legatus rogat de reconciliatione. Quanta hæc lenitas? Homo ubi læditur ab alio homine, excandeſcit, fremit, indignatur, non uult prior de reconciliatione uerba facere, ſed aduerſarii putat has eſſe partes, ut ad reconciliationem prouocet, & prouocatus ſæpius non audit anhelans ad ultionem: Deus autem offenſus ab homine uocat primus ad reconciliationem, miſericordiæ ultro pandit ſinum, obliuionem pollicetur præteritorum: ne ſic quidem audimus, nolumus ad meliora conuerti. In nullo penitus errare ac falli cuncta exactiſſimè proſpicientem Dei ſolius eſt: at crimina effugere, præſertim grauia, hominis etiam eſſe puto auxiliante Deo. At non effugit aliquis, imò deliquit, non miror hoc. Video Angelos quoque peccauiſſe, dum improbiſſimus ille dixit, Ponam ſedem meam ad aquilonem & cætera, & multos habuit ſequentes. Si peccatum in cœlo, quantò magis in terra? Si delictum in his, qui ſolo uigent intellectu, quantò magis in nobis, qui ſenſuum illecebris corporeæque uoluptatis ſuauitate titillamur? quorum mentis acies carnis onere obtunditur & prægrauatur? Itaque non miror ego (ut dixi) ſi deliquerit homo, ſed illud mirabor potius, atque adeò moleſtè feram, niſi deliquiſſe pœniteat: corrigat igitur dolore delictum: id enim homo ab homine petere poteſt, adeò tam ualde humana res eſt pœnitudo, poteſt aliquis, qui culpæ arguitur, dicere ſe non peccaſſe: ſed ſi peccauerit, nunquam dicet non eſſe opus pœnitentia, quæ ſola remedium peccati eſt. Etenim quicunque in peccato impudenter perſeuerat, non tàm in cauendo miſer eſt, quàm in iacendo poſt caſum. Nulla expectentur hac in re ſcripturarum diuinarum teſtimonia, hoc ipſum natura humanis inſculpſit animis: nihil nouit, quem huius rei notitia deſeruit. Loquitur per Eſaiam peccatori Deus. Quando conuerſus fueris & ingemueris, ſaluus eris, & ſcies ubi fueris. Quid eſt hoc? ſcies ubi fueris? niſi quia peccantium mens tantis obruitur tenebris, ut ignorent miſeri quantis in malis uerſentur. Si qui tamen ea uident, non clarè admodum uident, tunc perfectè intelligimus ægrotationis mala, ubi ſanitas eſt conſequuta, collatio unius ad alterum clariorem rei cognitionem præbet. Veruntamen quis habens aliquid hominis non intelligat, quàm ſordeat peccatum, quàm ſit fœdum, & quantùm coinquinet humanum animum. Veteres Philoſophi lumine tantùm utentes mentis, nihil in omni uita pertimeſcēdum hominibus prædicabant, præter unum peccatum. Cætera, quæ uocantur mala, uel exigua, uel nulla eſſe arbitrabantur. Quanto hoc nos diuino

diuino inſtructi eloquio ualidius ſentiemus? peccatum nanque ad uitæ deducit interitum, Dæmonum iungit conſortio, & à ſanctorum ſocietate diuellit. Itaque hi mœrent, illi exultant, quin etiam (ſi fas eſt dictu) ſancta & indiuidua Trinitas in hominis peccato tota commouetur, quando digniſſimum illud ſimulachrum Maieſtatis ſuæ humanis iniuſtum mentibus ſcelere ſentit pollutum, Etenim pater uirtutem ſubducit & fortitudinem, filius ſapientiam, peccatoremque ruere ſinunt in deteriora præſidio omni nudatum, hoc etiam amplius filius, quòd paſſionis ſuæ fructum & eccleſiarum merita non ſuſtinet illi ualere ad ſalutem: Spiritus uerò ſanctus, quàm celeri ſe aufert gradu, ubi humani pectoris ſedem, quam incolebat, è ſanctitatis templo in ſcelerum officinam uerti conſpicit? quomodo ergo quiſquam uiribus humanæ naturæ, quæ imperfecta eſt & mutila & imbecilla, quicquam aggredietur maius? quomodo confidere ſibi poterit deſertus à Deo? Nocuit Angelis peccatum cœleſti in regno collocatis. Nobis in hanc humilem & luctuoſam detruſis uallem non nocebit? At hoc ipſum, quòd huc tam miſerabiliter detruſi fuimus è ſublimi illo & florido habitaculo, primi parentis uitio, qui diuinum mãdatum confregerat, ſatis admonet quantum ueneni ſit in peccato: ſi enim alienum peccatum, quod in ipſa pallulauit humani generis radice, tantùm nocuit, quantùm proprium, quod ſibi quiſque ſponte contraxit, nocebit? Tantum autem nequitiæ & uirus eſt in hominum peccato, ut propter ipſum & tectis, & urbibus, & agris, & arboribus, & animalibus pernicies inferatur. Si cui hoc uideatur incredibile, meminerit obſecro diluuij ſub Noe facti, quod dum immitteret Deus ab hominum iniquitatem, perdidit uniuerſa, quemadmodum fuerat comminatus. Quanta enim tunc omnium rerum deſolatio conſequuta ſit, quanta illata calamitas in omnem terram, quis non uidet? nam & deletæ urbes, & tecta, & fruges, & arbores, animaliaque cuncta cœleſtia atque terreſtria: ea duntaxat ſeruata, quæ unius patrisfamilias ſtudio, diuino iuſſu in arca concluſa fuerunt. Sed & illud oſtendit brutis quoque animantibus perniciem inferri, ob hominum delicta, quod Deus protulit ad Ionam, qui nimis indoluerat, non euerti Niniuem quemadmodum prædixerat. Nam argumento dominus ſumpto ab eo, quòd circa hederam contigerat. Tu doles (inquit) ſuper hedera, in qua non laboraſti, neque feciſti, ut creſceret, quæ ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte perijt, & ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum uiginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram, & iumenta multa: Et iumenta (inquit) multa. Cur? niſi, ut oſtenderet ea pariter cum hominibus peritura, ſi non ſcelerum pœnitentiam egiſſent. Illud porrò quale eſt contrahere peccando offenſam in tantam tamque inſuperabilem potentiam? Si plebeius quiſpiam uirum alicuius nobilitatis, potentiæ, famæ, ſui amantiſſimum, iniuria uiolaſſet, quas ſolicitudines animo? quas moleſtias perferret? ne opprimeretur inimicitijs ſuſceptis à po-

 tentiore,

tentiore, atque etiam nullo huiuſmodi inſtante metu, ſi hominis adhuc aliquid in eo eſſet, amicitiam diſciſſam doleret, quæreret communes amicos, per quos rediret in gratiam, ſupplicaret, ipſius etiam, quem læſiſſet uultum ſubiret, genua amplecteretur, petens errato ueniam. Nunc quum flagitio ſuſcepto de pectore auerterimus, fugauerimus, deiecerimus, elementa cuncta moderantem & bonorum omnium largitorem Deum, nihil curamus, non commouemur? Hæc maxima nobis debet eſſe pœna, hoc uehementer nos urere, quòd tantam Maieſtatem, ſapientiam, bonitatem læſerimus. Ille Poëta, qui neſcio quid in Auguſtum Cæſarem peccauerat, & ob id in Pontum relegatus fuerat, nonne illud protulit?

> Maxima pœna mihi eſt ipſum offendiſſe, priusque
> Veniſſet, mallem funeris hora mihi. Et iterum idem.
> Nulla quidem ſanæ grauior mentique potenti
> Pœna eſt, quàm tanto diſplicuiſſe uiro.

Nos quis ſit offenſus, non cogitamus, quod maximæ pœnæ loco eſſe debebat. Poſſumus ne id negligere? Eſto, ſi non aliæ quoque immenſæ & æternæ pœnæ à tergo imminent ſceleribus noſtris debitæ: has (ut uidetur) ne reſpicimus quidem, & (ò rem miſeram nobis Diaboloque gratam) malumus in naufragio deprehenſi culpæ, tartari inuolui gurgitibus potius, quàm pœnitentiæ tabulam retentantes, uicinam aliquam rupem natando petere, ubi locati peccata, ueluti ſalſos fluctus à pectore reuomentes ſpem ſalutis teneamus. Nihil tam odioſum eſſe poteſt Deo, quàm contumax ceruix, non inflectens ſe ad dolorem peccati, & eo odioſior, ſi peccatum etiam ipſum diligatur. Primum quidem omnium inoffenſo curſu uitam tranſmittere in omni ſanctitate ac probitate. Proximum corrigere, ſi in quopiam offenſum fuerit ac titubatum. At flagitium tueri, perſeuerareque in eo; deterrimè, quod malè cœperis, iam iſtud non eſt tertium, ſed extremum malorum omnium & propriæ ſalutis demolitio, tam & ſi iſtis ſecus uideatur. Sunt autem nonnulli, quos pœnitet ſecus uixiſſe, quàm decebat, ſed ad breue quoddam tempus: nam intermiſſa uitia ardentius non multò poſt repetuntur, unde egreſſi fuerant eodem reuertuntur. Quid ita? quia non acerrimo peccatorum odio tenebantur, nec ſatis illos Zelus Dei momorderat, ueriſſimumque illud, quod eſt apud Poëtam neſcio quem. Malè ſartam gratiam, ne quicquam coire. Quæ hæc enim hominis conciliatio ad Deum, quæ tam infirmis nixa radicibus tam citò diuellitur? Ecce tibi alij, qui differunt in horas pœnitentiæ tempus, quaſi in eorum manu ſit, quàm diu uicturi, aut quo mortis genere perituri, aut etiam tutum ſit in extremo uitæ halitu pœnitentiam inducere, quæ neceſſitate ipſa moriendi coacta & expreſſa uidetur, tanquam peccata magis deſerant, quàm deſerantur. Non enim poteſt anima humanis in labris exiſtens libidines ſuas ſaturare, minus etiam ignibus proiecta ſempiternis. Quid autem differimus in craſtinum incertum, quod

quod hodie tuto licet? At uita longa erit, Ipſa longa bona ſit. Cur enim diu in malis uerſari uolumus? utique ſi longa erit, commendatior fuerit diuturnitate bonarum actionum, ſin breuis cõtigerit, benefactum, quod ad uirtutem celer facta eſt conuerſio. Multos ante canitiem, quam ſibi promittebant, ſubita mors oppreſſit. Inde propria illos iniquitas tradidit Iudici, Iudex miniſtro, miniſter, in carcerem. Non eſt ſapientis facere cras, id quod ſi etiam heri feciſſes, nimis ſerum fuiſſet: non dominamur craſtino, ununquenque uitæ diem, ut poſtremum obſeruare conuenit: & ſi non ſit, quia eſſe poteſt: quamobrem, qui heri malus fuit, proſit ſibi, quòd hodie uiuens poſſit fieri bonus, craſtinum non expectet: primò quia forſitan ſibi non illuxerit, nam ne illud notum quidem quid ueſpera ſecum ferat. deinde illud meminerit fuiſſe plures, qui dum aſſiduè dicerent cras cras, tamen illud cras nũquã illis fuit inuentum, aut ad eos uenit tanquam in extremis terræ regionibus hæreret, aut alicubi longè eſſet petendum: quò enim quiſque diutius progreditur in peccatis, arctius premitur ob longiorem peccandi conſuetudinem. Frangenda ſunt ſemel hæc uincula.

Sed propera, nec te uenturas differ in horas.
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit,

Vt præclarè Pelignus cecinit Poëta. Item alius Poëta dixit:

Non bene diſtuleris, uideas quod poſſe negari,
Et ſolùm hoc dicas, quod fuit, eſſe tuum.

Fatemur uberem eſſe miſericordiam diuinã, nullo excludi loco aut tempore: nunquam neque frequentia peccatorum neque peccantium multitudine delaſſari. Videndum eſt tamen, ne tanta lenitate abutamur, ne mora temporis, quæ ad ſalutem data eſt, fruſtra teratur, & difficultas reſipiſcendi augeatur, aut ſupremus ſubitò aduentet dies, qui non expectabatur. At ſunt, qui illud proponant in latrone, qui à fauce itineris auulſus in crucem cum Chriſto pariter actus eſt, ſeram fuiſſe pœnitentiam, nõ tamen ſeram ueniam. Cur enim uenia eſſet, aut diceretur, ſi uocata non ueniret? Nolite uos met quæſo iſtis conſolari. Fuit enim nouo more actũ illud, ut Chriſtus à uiuentibus deſtitutus diſcipulum morientem moriens & ipſe inueniret; nouo quodam genere pœna cœpit in latrone, & conſumatur in Martyre. Et diuinam quidem ueniam aduentare ſemper pœnitentibus confido: ſed uidendum eſt, an uerè pœnitentes habendi ſint hi, qui ad extremum uſque ſpiritum pertrahunt emendationem culpæ, quo tempore non peccata magis hominibus, quàm homines moriuntur peccatis. At quomodo leues quidam uidentur diuinæ nimis pietati confidere, ſic contra reperies, qui conterriti criminibus incipiant diffidere. Superiores ſpe ueniæ audacius peccant, iſti audacia peccatorum ueniam deſperant, ſed nihil æquè fugiendum quàm deſperatio: quoniam & ſummo animam affligit dolore, & Deo multùm ingrata, cuius & natura miſericors, & benigna uoluntas, & indulgentiæ ſinus redeuntibus paratus.

Hæc

Hæc autem quo uobis exemplo probauero? Sumam Apoſtolum Iudam hoc enim nemo nobis notior futurus eſt: quis enim negauerit pœnituiſſe criminis Iudam, qui pecuniam refert, fatetur peccaſſe ſe in ſanguinis iuſti traditione. At non reſipiſcentia erat illa,ſed furor quidam potius cæci doloris. Videtur Diabolus, qui cor eius antea apprehenderat, ab eo paululùm diuertiſſe,& locum dediſſe criminis agnoſcendi: uerùm ſicut muralis machina retroacta ualidius obuia diſperdit, ſic tali mercede Diabolus deſeruerat, ut duriori peccato regrediens illigaret. Nam agnito crimine præſto iterum illi fuit, & triſtitia abundantiori abſortum ad nullam ſpem ueniæ impulit. Ergo deſperans, & ſibi ipſi nimio plus diſplicens laqueo guttur ſtrinxit,& ſpiritum,quem claudere uidebatur, exire coëgit.Sic uitam ſceleſtus profudit, & eo deterius factum,quòd corporis morti grauiorem animæ interitum addidit. Magnum omnino crimen, quòd liberalem in ſe Dominum & amantem ſui magiſtrum tam multis antea beneuolentiæ ſignificationibus editis, hoſtibus prodidit nummulis correptus, ſed non eo cõtentus auget malè cœptum facinus eodem impellente Diabolo. Nunquam enim ſe ipſum de ſpe diuinæ miſericordiæ omnino depoſuiſſet, niſi illum antiquus hoſtis more ſuo circunduceret, priore facinore iam captum. Negauit Iudas omnino Deum ulla pœnitentia placari poſſe tanto in crimine, & diuinam miſericordiam uelut anguſtiorem accuſauit,tanquam latitudinem omnis peccati exorbere nequiret. Si quem igitur tenet ob multa magnaque delicta deſperatio ueniæ (poteſt enim id contingere) hortor ego, ut ſanctos & religioſos adeat uiros, omniaque cum illis conferat, uidebit eorum lacrymas, preces pro ſe fuſas audiet, ex hominũ miſeratione, qui ſecum in peccatis colloborarent,quàm latior ſit illa Dei, diſcere poterit, animum ſpe meliorum eriget, quod non fecit Iudas, qui geſſus ſuos uertit ad Phariſæos, ad conſortes delicti, à quibus contemptus & reiectus confugit ad laqueum, ſcelus quod corrigere ſanctis actionibus oportebat, ultus eſt ſcelere, ne illam ſibi quidem ueniam dedit, ut uiueret, quia nec à Deo deſperabat. Sed neminem ueſtrũ credo tactum deſperatione mortem cogitare. Illud potius aliquis ſecum uoluit. Quandoquidem plus deliqui, quàm ut mihi ignoſci poſſit: fruar uitæ huius uoluptatibus, ne amittam hoc ſæculum, quod teneo, & illud aliud, quod credo: uiuam nunc ut uolo, paſcam meas cupiditates. Iniquus ſermo, deteſtandus, hunc alterum potius aſſumat præclarum & ſalutarem. Equidem grauiter me habeo de ſceleribus meis, ſed ad quem confugio? nempe ad Omnipotentem, ad beneficentiſſimum medicum, coram quo nullus languor conſiſtere poteſt: peccator ſum teterrimus, at pro talibus Chriſtus eſt mortuus: quid ueniam deſperem, quam ille crucifixoribus ſuis patrem exorauit? Ego animo quandoque proteruo pater atque oculis indomitis fui, erraui, lapſus ſum, pœnitet, ueniam peto, ſi nemini id pollicitus, arroganter peto, ſin omnibus, quicunque ueris cum lacrymis ad te ſuſcipiunt: erige iacentem, porrige dexteram,

quam

quam ſpopondiſti, dexteram (inquam) hanc tuam cæteris rebus inuictam, ſolo peccantis gemitu ſuperabilem. Hæc eſſet oratio uerè ſe affligentis, & grauiter pœnitentis, propterea, quòd Deum ualde offendiſſet, & præ cupiditate temporalium horum & exiguorum bonorum ſempiterna illa & immenſa gaudia deſeruiſſet. In peccatis (inquies) omnem contriui ætatem. Si pœnitentiam egero, putas, ſaluabor? Valde. Vnde hoc mihi liquet? ex multorum exemplis, qui quum grauiſſimè deliquiſſent, ad pœnitentiam conuerſi, priſtinam recuperarunt gratiam & habitudinem. Dicamus de uno Dauide plurimis noto. Ille adulterio iunxit homicidium, geminum crimen & utrunque magnum, quod etiam augetur ex perſona eius, quia talia patrauit. Erat enim Propheta, multa iam præclarè geſſerat, multis à Deo fuerat beneficijs cumulatus, nec tum adoleſcens, ſed in grauiore ætate conſtitutus. His adijcitur, quòd adulteræ maritum ideſt, iniuriam paſſum, quòd amicum, quòd pro eo in acie contra hoſtes ſtantem interemit. Ergo ſiue crimen, quod commiſſum eſt, ſiue uirum, qui deliquit, ſiue eum, in quem peccatum fuit, inſpiciamus, grauiſſima hæc omnia illa in cauſſa fuerunt. Attamen quum hæc eſſent, ſperauit ille ſibi poſſe ignoſci, luxit & afflixit ſe, uidit ad uirtutem reditum patêre, uidit etiam lapſo ad meliora mutationem concedi, non eſſe immutabilem malitiæ conditionem, nec immitem & efferum eſſe eum, cui pro uenia ſupplicandum eſſet: nec uana hæc eius cogitatio: nam quũ audiſſet à Nathan Propheta, quàm ualde illa faciens peccaſſet, agnouit peccatum, doluit & reconciliatus eſt Deo. multi alij commemorari poſſunt, quibus pro eo quòd fleuerunt, mœſti fuerunt, cilicium induerunt, dimiſſum fuit peccatum: ſed protrahatur nimium, ſi id faciam, ſermo. Non igitur peccatoribus intractabilis Deus, non inexorabilis. Amplius aliquid dicam, in medio eius furore teneri poteſt. Nam quum Hebræus populus uitulum ſibi aureum conflaſſet, & ſacrificijs & alijs cæremonijs coleret, dixit Deus famulo ſuo Moſi in monte coram eo ſtanti. Valde & deſcende: peccauit populus tuus, amarè dictum populus tuus, quaſi diceret, non iam meus, & continuans ſermonem. Dimitte me (inquit) ut iraſcar & deleam populum iſtum. quid eſt hoc, dimitte me? quis eſt iſte tam magnus, tanque ualens, qui uim irati & furentis Dei non modò ſuſtinere, ſed etiam coërcere poſsit? & tanquam in occurſum illius ueniens frœnare. Certè preces lacrymæque ſeruuli impediebant, ut ſibi uideretur Deus tanquam ualentioribus uiribus & lacertis conſtrictus teneri, ne quò irrueret, ne impium populum perderet, meritaque morte mulctaret. hinc illa uox, Dimitte me: at non dimittebat ille, ſed largiores adhuc fundens preces & magis ſe proſternens arctius tenebat & coarctabat. Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro uitæ. Videte quàm ardens fuerit orantis affectus, ut diceret malle ſe cum illis niſi ignoſceretur, perire. Sunt autem nonnulli, qui rem coniectura huc trahant, & ita interpretentur Deum querentem quomodo ad miſericordiam ſe inflecteret,

flecteret, interpellaſſe Moſem ſilentio coram aſtantem, ut dimitteret ſe ad ultionem iam paratum, quò ſcilicet Moſes anſam ſermonis arripiens pro populo ſe proſterneret & ſupplicaret: quod faciunt quoque interdum patresfamilias, qui nolentes filios uel ſeruos acerbius punire, admonet ſeorſum amicos, ut delinquentes de ſuis manibus eripiant, & pro illis ſupplicent, quò in ipſis timor creſcat ſupplicii, & flagelli durities mitigetur. Sic ſibi ipſi miſericordiæ occaſionem quæſiuit tunc Deus. Nolens nanque nimia indulgentia relaxare populo licentiam iterum peccandi, oſtendit noxam illam Moſis precibus condonatam magna ex parte fuiſſe. Vſque adeò Clemens eſt, ille, ut propter iuſti alicuius merita multorum peccantium miſereatur, nam dixit ad Hieremiam. Circuite, & uidete uias Hieruſalem,& quærite in plateis an inueniatis uirum, qui faciat iudicium & iuſtitiam, & propitius eius fuero. Quin adeò mouet undiq; omnia & quærit Deus, ut à pœna liberet, ut ſi neminem inueniat uiuentium, cuius meritis condonare queat aliorum flagitia, confugiat ad defunctos, & per illos aſſerit ſe remiſſurum peccata, quemadmodum dixit Ezechiæ. Protegam ciuitatem iſtam propter me & propter Dauid puerũ meum. Quod ſi in tanta facilitate Dei & clementia Moſes tunc non ſuis, ſed alienis, non paucorum, ſed multitudinis peccatis ignoſci obtinuit, idemque poteſt unus aliquis iuſtus, non ſolùm uiuus, uerùm etiam mortuus. Quanta ſpes hinc effulgeat unumquenque pro ſe met ipſo placare atque exorare cœleſtem parentem poſſe. Scriptum eſt, ſepties in die cadet iuſtus & reſurget. Videte quomodo ne iuſti quidem nomen amittit, qui poſt ruinam reſurgit: nec moueat quenquam quòd ſcriptum eſt ſepties, nam ſeptuagies etiam ſepties deliquenti, ſi ingemuerit, peccata condonantur: firma amicitia eſt, (ut dixit quidam) idem uelle atque nolle. Quamobrem ſi peccatum noſtrum nobis diſplicet, hoc ipſum nos coniũgit Deo, quoniam id, quod illi, idem quoque nobis diſplicet. At quibus placet, amant id, quod odit ille. Sed non impune ferunt. Primùm ipſius impietatis maculam (quæ grauiſſima eſt pœna) ſuſtinent. Nihil ſordidius, nihil horribilius, nihil deformius peccato. Sin autem peccantes non ſentiunt, hoc aliud eſt ab eo, quod nunc ago. nam & ſi non ſentiunt, non ideo minus ſequetur eos peccati fœditas: tantum autem abeſt, ut fœlicitas ulla ex parte eos contingat, quia non ſentiunt, ut ſint eò infœliciores, quò ſentiunt minus: nam nec in furore poſitus ſentit furorem, & eò minus ſentit, quò furit magis, ſed fac reſipiſcentem, agnoſcet deformitatem, & eius pudebit. Verùm furenti ignoſci poteſt, quoniam furor inuoluntario contigit corporis uitio: non ſicut peccatum, quod animi uoluntario motu contrahitur. Exiſtimetur recto iudicio peccati fœditas, grauior uidebitur, & intolerabilior, quàm omnis pœna, quæ infligi queat corporibus. Hinc poëta ille, quem ſuperius docui ad Ponti hoſtia relegatum ob offenſum Auguſtum, reſpiciens ad peccatum ſuum clamabat.

Pœnitet ò ſi quid miſerorum creditur ulli,
Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo.
Quumque ſit exilium, magis eſt mihi culpa dolori.
Eſtque pati pœnam, quàm meruiſſe minus.

Sic agunt quicunque conſiderant, quàm fœdum ſit à ratione diſcedere, & prauis innecti cupiditatibus: urit eos quàm acerrimè ſuo nomine impietas & criminis turpitudo. Veruntamen ſi qui ſunt, qui hanc contemnant, quia non intelligunt, (quis enim poſſet intelligens contemnere?) ſupplicia illa ad ſenſum manantia, quæ morte obita perſoluent, re immenſa, loco acerba, tempore infinita, nunquam, ut opinor, contemnent uel eludent, quanquam etiam ſceleratos pleroſque præſens pœna diuino iudicio inflicta apprehenderit, quod tempora noſtra, ut ſcelerum, ita & pœnarum fœcunda nimis quoque teſtantur, ut nulla urgeat neceſſitas annales euoluere, & hac in re tanquam ignota uetuſtatis uti exemplis. Sed parua huius temporis caduci pœna, ſi quidem poſteriori conferatur æternæ. Equidem initio orationis meæ poſui de præmijs cœleſtibus quædam, ſed tamen ut ſcitis, duobus locis cenſentur receptacula animarum poſt mortem (ut omittam de purgatorio interim dicere) longè inter ſe diſtantia maximeque contraria, quorum unus ubi piorum iuſtorumque animæ degunt, ſupra omnia mundi corpora locatus: alter, quem facinoroſi & nocentes incolunt, profundiſſimam ſedem ideſt, medium terræ, quod centrum uocant, obtinet. In ſupremo loco uirtuti & pietati pulcherrima præmia. In infimo ſceleri & maleficio acerrima ſupplicia perſoluuntur. In ſupremo bonitas Dei affluit. In infimo iuſta ultio ſonat. In ſupremo admirabilis lux effulget. In infimo dēſiſſimæ tenebræ inundant. In ſupremo atrium ſuum Deus. In infimo carcerem locauit. In ſupremo lætiſſima Angelorum: In infima fœdiſſima Dæmonum ſocia agmina. In ſupremo pax, amor, charitas, tranquillitas. In infimo odiū, ira, diſcordia, formido. In ſupremo gaudium, lætitia, uoluptas. In infimo luctus, mœror, ægritudo. In ſupremo denique nihil deſideratur, quod non inueniatur. In infimo nihil inuenietur, quod deſideretur. Nos igitur, qui uiuentes peregrinam hanc incolimus ſedem, in medio poſiti, deligere poſſumus ſurſum ne an deorſum poſt mortem feramur: nam defunctis miſero & fatali uitæ huius curſu ſalua ſunt crimina: niſi quæ pœnitentiæ uis delerit. Itaque ſi pœnitentiam apprehenderimus, ubi ex his locis euaſerimus, optimum & iucundiſſimum; ſin aliter, teterrimum & infeſtiſſimum domicilium nanciſcemur. Non eſt quòd quiſquam deinceps iraſcatur Deo, quòd in tam infeſta ſupplicia dimittatur: Deus nanque uult ſaluos fieri, maxima nobis oſtentat præmia, & quantum in ipſo eſt, dare paratus. Quòd ſi nos met ipſos his indignos iudicamus, dum malumus illo contempto ad peccata deflectere, nec malè etiam geſtorum pœnitet, conſpicua tunc redditur Dei bonitas & noſtra iniquitas: liberos creauit, & ut liberis legem amoris ſui præſcripſit, quam

non implentes meritò plectimur. Minatur Deus æterna incendia, flammarum flumina, fœdiſſimum carcerem, indelebiles conſcientiæ morſus, infeſtiſſima ſupplicia, niſi cauerimus. O` maximam humani generis curam. O` amantis Dei uocem. Nemo incitatus odio in aduerſarium & percutere uolens clamat, caue caue, hæc uox eius eſt, qui inuitus deſcendit ad plagam, & mallet, ſi fieri poſſet, parcere: hoc exhibet hominibus Deus, iam tanto ante ſanctiſſima ſcripturarum uoce denuntians, in quæ detruſerit acerba, niſi nunc cauerimus: quid ita? quia inuitus percutit, & moleſtè (ut ſic dixerim) fert, quòd illum peccata noſtra in pœnas ire cogunt. Ne igitur cunctemur. Nunc tempus eſt ueniæ obtinendæ, dum hunc ſpiramus aërem, & actionum noſtrarum Domini ſumus. Vbi uerò hinc migrauerimus, non plus iuuabit pœnitentia, quàm medicina ægrotantem mortuum, & ars gubernatoria fracta iam naui ſubmerſum. Trahemur illuc ubi nec finis, nec modus ullus fuerit ſuppliciorum. Ille parens generis noſtri in floridum illud Paradiſi habitaculum inductus, propter unum utique delictum illinc detruſus, & tantis obiectus malis, quãta nunc cuncta eius ſentimus poſteritas. Nos uerò, qui amplioribus digni habiti ſumus honoribus; quibus iam apertum eſt cœlum, quibus concredita hæreditas cœleſtis unà cum unigenito filio, quam ueniam ſperare poſſumus, ſi non modò delinquimus, ſed ne delictorum quidem pœnitet? Adæ tunc dictum fuit, Terra es, & in terram ibis, & terram operaberis. Nobis uerò nunc, ex Euangelio non illa priora, ſed exteriores tenebræ, inſolubilia uincula, inextinguibilis uermis, indelebiles lacrymæ, horridi dentium ſtridores, igneæ fornaces proponuntur. Et meritò quidem: nam qui inter tanta beneficia meliores redditi non ſumus, iure ſumma illa & extrema tormenta experiemur. Deflenda hîc igitur peccata, ne alibi interminatam pœnam defleamus. At durum eſt cupiditates ſuas relinquere, tradere ſe luctibus, terrena deſpicere, caſtitatem & ieiunia ſibi inducere, eleemoſynas nonnullas elargiri, quid ais? hæc dura & grauia ſunt, imò facilia ac penè mollia, ſi cogitare uoluerimus, quæ ſubeant homines, ubi pro capitis reo petitur, Imperator ut ignoſcat, pecunia profunditur, maria tranſmeantur, procellarum incerta ſubeuntur, hi & illi blanditijs, precibus, muneribus, ut faueant, appellantur: timemus etiam inimicos ne id audiant & quouis modo rem impediant. Supplicatur deinceps per homines homini, & tamen incerti ſumus an ille flectatur, & ut bene ſuccedat, mors corporis ad breue quoddam tempus uitatur, & hanc animi abiectionem multi contemnent. At è dignitate hominis eſt proſternere ſe Deo, & ſupplicans miſer ille ſaltem certus eſt de indulgentia peccatorum, ſeque per eam aſſequi perpetuam animæ ſalutem, quod uel ipſa corporis morte rectè emeretur. Breui etiam res conficitur ſine pecunia, ſine impenſa, ſine reſcripto, ſine alterius impedimento. Deus etiam ubique adeſt, & præſens eſt, ne quis fortè dicat, non poſſum petere ueniam à Deo in Oriente, quia ad Occidentem profectus

eſt,

eſt, aut non poſſum in Occidente, quia in Oriente uerſatur: omnẽm implet ille locum, ut non ſit neceſſe huius rei gratia tibi de loco decedere: ac ne illud quidem dicas oportet, non noui cubicularios, per quos mihi ſit aditus, uel non habeo potentes aulæ, qui me deducant, per quos concilier, tu tu ipſe ingredi potes omni tempore ad ſummum hunc regẽ, non in luce modò, ſed & nocte: tantumq́ue abeſt, ut opus ſit internuntiis ullis, ut ne uoce quidem propria tibi ſit utendum, ſatis eſt corde ingemiſcere de admiſſis, corde ſupplicare pro uenia, quoniam internos ille quoſcunque hominis affectus proſpectat, hoc ſi durum uidetur, quid fieret, ſi primis eccleſiæ naſcentis temporibus naſci contigiſſet, quibus publicè pœnitentia peccatoribus aſperior iniungebatur? Extat Epiſtola Stephani quinti Pontificis maximi ad Aſtulphum neſcio quem uxoricidam. Quæ te inquit (malum) res impulit, ut legitimo tibi iunctam thoro portionem corporis tui gladio necares? quam non inſidiantem uitæ tuæ, neque cum altero nefariam rem facientem reperiſti: ita ne agendũ, ut filii tui te non parentem, ſed prædonem putarent? quos tam fœdè omni beſtia truculentior matre orbaſti. At parum fuit ſpiritum & lucis conſpectum miſerrimæ mulieri abſtuliſſe, niſi ſceleris mortuam accuſares, habes teſtem tecum facientem: Quid ergo? unius teſtimonium ualere debuit? non modò impedientibus legum ſanctionibus, ſed etiam aduerſus gentium ius, diuinæ uocis auctoritatem, quod ſi uni credendum fuit, num etiam ei credi debuit, qui & adulter ſit & homicida? Age pœnitentiam & miſerere animæ tuæ infœlix, ſi fortaſſis Dei clementia refrigerari poteſt, & à tanto ſcelere recreari, antequam æternis gehennæ prematur incendiis. Poſt hæc præcepit Pontifex, ſi quidem domi immorari ſuæ decreuerit, ac nolit (quod utilius eſſet & laudabilius) monaſterii clauſtris includi, ac abbatis manum relicta propriæ uoluntatis libertate ſubire, ne latus unquam enſe muniat, ne carnes edat, aut uinũ bibat, balnea uitet, conuiuiis ne interſit, à cõmunione corporis & ſanguinis Dominici præterquam in uitæ extremo abſtineat, flere uelit uberius, eleemoſynas impartiri, largius porrectusq́ue ante eccleſiarum fores ſacco indutus orationes fidelium ultro citroq́ue commeantium ſuppliciter poſtulare: denique intelligat perenniter in pane, aqua & ſale ſibi eſſe uictitandum. Satis ne uidetur iactatus peccator iſte conuitio Pontificis? ſi tamen conuitium dici poteſt uox grauitatis, conſtantiæ, auctoritatis, uox plena ſalutis: poſuit ante oculos homini Dei iudicium, terruit cruentam conſcientiam, pœnitentiam iniunxit, nemo id exiſtimet crudeliter factum. Nulla eſt crudelitas Medici, qui ferro & igne uulnus aggreditur, ut hominem ſeruet, quem perderet, ſi uulnus palparet. Itaque ut fœditate & putredine uulneris iſte aliquando careret, iuſſus eſt tenuitatem uictus cultusq́ue obſeruare, quæ multi olim uirtutis & gloriæ cauſſa in illis etiam gentium tenebris ſuſceperunt, acerbiora manerent, ſi carne poſita cum anima nuda tantam labem expiare tranſitorio igne o-

 porteret.

portet.Nec ſolùm in una hac dũtaxat cauſſa,ſed in plurimis alijs uigebat bonis quondã temporibus in eccleſia tã elegans,tãq; nobile correptionis flagellum. Nã qui inceſtu ſe macularant, qui deierarãt, qui ſacro manus admorant, hos oportebat ad ſalubrem pœnitentiæ medelam conuolare. Presbytero, qui ſe in aliqua effuderat libidine, durior adhibebatur ultio, quoniam decem annorum curricula in ſumma uictus egeſtate tranſmittere debebat, permittitur tamen gratiæ cauſſa, ut poſſit piſciculis, leguminibus, uino menſulam ſuam die feſto exornare: denique pro quolibet graui & infami crimine ſanctorum Patrum inſtitutis ſeptennio pœnitendum erat, & ita, ut per ſingulas hebdomadas bis aut ter in pane & aqua ieiunia ducerentur: quin etiam in proditum eſt de illo, qui latronem ſua rapientem aggreſſus fuerat, & huiuſmodi Diaboli membrum interfecerat,ubi commodè comprehendi poterat, ut nonnullos dies pœniteret, non erubeſcebant pœnitere,qui pœnitenda committere non erubuerant. Nunc uerò (quæ temporum peruerſitas eſt & ignauia) nulla publicæ pœnitentiæ facies apparet,omnia ſeueritatis priſcæ ueſtigia obſoluerunt. Hîc dicet aliquis, ſi reditus patet in gratiam, ubi agnoſcens peccati turpitudinem ingemui, & tæduit uixiſſe ſecus quàm decebat, cur adhuc me pœna manet? quo enim hæc reconciliatio gratiæ, quæ ita moleſta & importuna eſt,ut parta ſupplicio afficiat amicum? non reſpondebo prius, quàm eum, qui hoc dicit & cogitat, interrogem. Cur Torquatus Conſul filium aduerſus edictum cum hoſte conferentem manus, ſecuri percuſſerit? An ſimultates pater cum filio ullas? cum milite Imperator gerebat? Incredibile eſt ſine aliqua animi afflictatione ad ſupplicium ſumendum ueniſſe. Stabant in conſpectu hinc liberûm charitas illinc militiæ diſciplina. Accuſat hæc iuuenem Imperatori, excuſat illa patri, explicat hæc uirgarum faſces & ſecures, illa implicat, trahit una ad ſupplicium bellatorem, retrahit altera uictorem. Tandem illum, quem natura cogente diligebat, qui hoſtem ſingulari congreſſu laceſcentem occiderat, quem eximiæ fortitudinis nomine à cuncto exercitu commendari uidebat, uita priuauit, ne ius legum, maieſtaſque imperij illo uiuente occideret.Maluit eam reip. partem unde Ro.Imperij ſumma ſtabat,quàm hæredem familiæ uidere incolumen. Maluit ſe ipſum filio, quàm iuſtitiam orbare ſuo decore atque fructu. Quid de Zaleuco referam Locrenſi, qui quum Legislator electus à ciuibus legem tuliſſet, qua adulteros utriuſque oculi amiſſione puniebat,filiumque eius adulterij damnatum legis pœnã ſubire oporteret: eãq; pœnã tota ciuitas in honorem patris remitteret,aliquãdiu repugnauit.Tandem precibus populi euictus, unũ ſibi,alterũ filio oculũ iuſſit erui,ne publicæ uindictæ ius periret, & delictũ ſua lege damnatũ impunitum relinqueretur: partitus pœnã inter ſe & filiũ effecit, ne quid legi deeſſe uideretur: non enim aliena, ſed domeſtica corpora pœnam illam ſuſtinebant, & quamuis delinquens filius minus iuſto fuerat punitus, ipſe tamen plus, quia innocens erat. Ergo in magiſtratu hoc

fecerint

fecerint patres publicam diſciplinam priuato anteponentes dolori? Quid de Deo omnium genitore putandum eſt? à quo uirtutum omnium exempla manant: num iuſtitiæ eum ſuæ oblitum putamus aduerſus illum, qui tot eius ſalutifera mandata neglexerit, contempſerit, infregerit? nullamne ſceleri pœnam deberi putabit? Iuſtum eſt enim, ut qui ſibi cupiditatibusq́ue ſuis indulſerit, pluſquàm debuit, patiatur aſpera quædam contra quam cuperet: ſic enim res redigitur ad æqualitatem, quæ iuſtitiæ propria eſt. Non reſpuit ingemiſcentem Deus, pauentem, manusq́; ac os ad cœlũ tollentẽ, ſed benigniſſimo intuitu miſerrimũ reſpicit peccatorem. Veruntamen in tãta clemẽtiæ ubertate iuſtitiæ pariter meminit, nec in tali unquã opere inferior homine reperietur. Quid enim obtendere contrà poteſt aliquis iuſtè, cur diuina iuſſa non implerit? num quia impoſſibile? an quia obſcurè tradita? neque bene intellecta? uel num quia non habuerit adimplendum, quod temporis eſſet ſatis? uel forſitan, quia ſi ea impleuerit poſtmodum ſine præmio diſcedet? nihil horum, quid ergo aliud fuit in cauſſa, niſi quædam acris & indomita libido, qua impulſi cornua ſuſtulimus aduerſus ſanctiſſimam diſciplinam, cuius ſumma eſt, ut Deum & proximum diligamus, ad quod trahimur omnes duce natura. Nulla enim, ut opinor, tam barbara, tam immanis, tam effera eſt natio, quæ non intelligat Deum præ omnibus amandum ac colendum eſſe, quæ non ſentiat cum omni humano genere ſocietatem ſibi eſſe quandam, cuius iure alterum non lædere, ſed iuuare potius deceat. Non factum eſt id, ſed multa per iram, auaritiam, cupiditatem, ſuperbiam peccauimus, pœnitet, ueniam petimus. Quid hic Deus? ueniam concedit ille quidem petitam, per quam reconciliatio fit gratiæ, attamen iuſtiſſimi regis more maleficia ultione digna cenſet, utq́ue uirtutem hominis, pudorem, bonitatem affluentibus præmijs ditabit, ſic iuuat illum in delicto aliquam animaduerſionem noſtram uidere, quam utinam in ſæculo iſto dum licet, ſponte ad arbitrium noſtrum ſubeamus, ne deinceps corporibus elapſi alio in loco, quod debetur, duriore conditione perſoluamus. Eſt enim iſtud diuinæ prouidentiæ inſtitutum, quo iſte mundanarum rerum ſtatus pulcherrimè duceretur, ut peccatum ſemper pœna ſequatur. Hoc etenim depoſcere uidetur ratio, quemadmodum de me nuper audiſtis, & ſancti Patres literis tradiderunt, ut pro eo, quod quiſpiam egerit cupidè cum uoluptate, aliud patiatur inuitus cum dolore. Ergo pœnam delicto reſpondentem non remittit ille, idq́ue ex nobiliſſimo ſuo inſtituto, quod edidit. Sed & illud quoque cogitandum eſt, quòd ſi peccata gratis remitterentur abſque ullius pœnæ ſolutione, leuiora ea arbitraremur, & in deteriora indies prolaberemur: Nunc ſi non ob aliud ſaltem de pœnarum menſura peccatorum grauitatem magnitudinemq́ue expendimus, cautioresq́ue & uigilantiores efficimur, ne poſt hac tale quid admittamus: nec uerò ob hoc imminui & uiolari gloriam Chriſti dicendum eſt, imò potius augeri, ſi iuſtitiam ſuam ad ultionem peccatorum ualere patitur, & ignorat nemo

mo ſatisfactionem omnem, qua peccata eluuntur, in Chriſti ſanguinem referri: nam extra eccleſiam poſitis nulla pœnarum ſupplicia ad redemptionem peccatorum ſufficere notiſſimum eſt. Iſtud exemplo liquet Dauidis quod diuinæ nobis proponunt literæ, de quo etiam antea dictum fuit. Is quum adulterio homicidium copulaſſet, correptus Prophetæ uocibus ingemuit & fleuit, condonatum crimen reſeruata pœna: nam ſtatim infantem amiſſit, quem ex adultera ſuſceperat, & deinceps alium ſenſit rebellantem filium, uitæque ſuæ & regno inſidiantem. Ipſe Moſes, qui placaſſe uidebatur in monte Dominum pro uituli adoratione, tamen ubi in caſtra deſcendiſſet, circiter tria millia hominum interfecit: ſic enim peperperat Deus populo, ut eum tamen aliqua animaduerſione percuti uellet. Ergo ſi tanta fuerit interior cordis afflictatio, ut ſit ſufficiens ultio peccatis in quo illa fuerit, crimine liberatur. Sin uerò illa tanta non ſit, nec præterea quicquid geſtum eſt exterius ſancti operis ieiunando, orando, miſericordiam exercendo, quod ſatis ſit in peccati uindictam. Deus, qui & peccatorum nouit & pœnarum pondera, & hæc illis uult reſpondere, idoneum adijciet flagellum: præponderant autem nunc minimæ quæque pœnæ uoluntate ſuſceptæ his, quæ poſt alio in ſæculo maximæ neceſſitate perſoluentur. hinc nos non quoſlibet, ſed dignos admonet Euangelicus ſermo pœnitentiæ edere fructus, qua in re unius cuiuſque conſcientia cōuenitur, ut qui plura & grauiora deliquerit, acerbiore dolore mordeatur, & uitam ſtudeat futuram ſanctioribus laboribus implicare. Promittitur eodem Euangelico ſermone debitori è carcere exitus, ſed non prius quàm reddiderit omne, quod debet uſque ad nouiſſimum quadrantem: quo ſanè ſermone ſignificatur minimorum quoque delictorum luenda eſſe ſupplicia. O` uerè fœlicem, cui libuerit uiuenti uetera obruere mala, nouorum multitudine benefactorum, qui quum inſpexerit gemebundus, & ſecum reputarit, quàm fœdè iaceat, quanta ex dignitate propter peccandi uim exciderit, quomodo ueluti membrum à reliquo uitali corpore, cuius Chriſtus caput ſit diuulſum computreſcat: appetet eccleſiæ uelut piæ parentis gremio condi, ſiſtereque ſtatim ſe uolet ſacerdoti, ante cuius pedes locatus, uberrimis affluens lacrymis fatebitur quid in Deum, quid in ſe, quid in alterum admiſerit, non parens iuſſionibus diuinæ legis: euomet inquam illo loco omnis nequitiæ ſuæ uirus, deinde ubi ab eo diſceſſerit peccatorum uinculo ſolutus, diſcutiet, quid alienum poſſideat, ut reddat, tum omni ſtudio, ieiunijs, eleemoſynis, orationibus uacabit, ut pœnam perſoluat peccatis debitam, ſimulque uberiorem Dei gratiam promereatur, uirtutumque in ſe dona augeantur, nec iuuabit ſic commiſſa lugere, ut lugenda iterum committat, ſed cautionem adhibebit in poſterum ſummam ne labatur. Erit ille quidem placidus & quietus mente, ſecunda moderatè, aduerſa lætè ferens, uultusque rigorem frontis obunbrabit, ſerenitas gaudebit de mentis dolore, quem pœnitentia delictorum inuſſerit, ingemiſcet tamen, quòd nullos illo no-

mine

mine antea gemitus edebat: cum omnibus idem bonis humanitatem, pudorem, modeſtiamque ſeruabit, bellum cum uitiis unicum geret, acerrimè, nulla cum ijs pax, ne induciæ quidem. Iniquorum hominum, ſibique ipſis indulgentium familiaritates, & conſuetudines, quibus antea implicatus tenebatur, declinabit fœminarum conſortium impudicarum tanquam peſtem quandam fugerit, illarum aſpectum, tactum, ſermonem repudiabit, nec ut auis impura ad cadauera, quæ ſemel dimiſerit, reuolabit: oculos cuſtodiet ſuos, ne quid liuidè & ſordidè ſpectens, linguamque frœnabit ne uano ſermone diffluat, ferculis & modicis & uulgaribus utetur, ſibi uinum & ſe uino temperabit, quo uenerem continentiæ frigore repellat: omnia demum obſeruabit rerum, temporum, locorum momenta, per quæ refricari animus, & ad uetera, quæ damnauit, compelli poſſe uideatur. Hæc ubi præſtiterit ueteri ſqualore depoſito, nouum hominem admirabili luce fulgentem induerit, nemo tanta morum mutatione facta agnoſcat eundem: hinc nobis non rectè uidiſſe uidetur Propheta Ionas conquerens Niniuem poſt quadraginta dies euerſam non fuiſſe, ſicut prædicare à Deo iuſſus fuerat. Imò uerò O' Propheta prænuntiata uenit euerſio, uera loqueris, tecta eadem, & mœnia manent, at mutatos ſpectato mores, deleta eſt luctu & mœrore ciuitas illa uetus peccatrix, hæc noua eſt alia Niniue uirtute pœnitendi inſtaurata. Et hæc quidem ad Prophetam ſolandi gratia dicta ſint. Sin autem Dei mentem contemplamur, noluit ſubuerti Niuiuem, ſed minatus eſt ſubuerſurum, ut reſipiſcentes illi non ſubuerterentur. Vtinam Niniuitarum pœnitentiam imitari uellemus, & poſtrati uolutaremur in lacrymis, in ieiuniis, in cilicio, in cinere, non tam acerba mala urbes agroſque noſtros inundarent. Quando enim aduerſus cunctam Italiam ira Dei acrius exarſit? ualida peſtis populos exhaurit, debacchatur gladius bellici furoris uniuerſa penè metens, tellusque ipſa, quæ communis dicitur eſſe parens, ceu infeſta nobis, quòd eam toties humano cruore fœdauerimus, malignè frugum alimoniam miniſtrat, uiſitat acerrimis his flagris Deus peccata noſtra, ut eſt apud Prophetam. Quid ita? quia nos afflictionis corde & doloris oculis non ſatis ex dignitate illa uiſitamus: non enim dici poteſt modica illa & exigua eſſe delicta: nam quum fames, peſtilentia, bellum uno tempore ingruant, nonne res ipſa clamat tantos adoleſcere uitiorum morbos his in oris, ut ad illos obterendos parum fuerit unius generis hoſtem adhiberi? Illud omnino fatendum eſt, arduam eſſe pœnitentiæ uiam & laborioſam, ſicut reliquarum uirtutum, eaque de cauſſa terreri plures ne ingrediantur, ſed ſi magnum eſt bonum exui peccatis, & diuinæ reddi gratiæ, aut negligendum eſt id bonum, aut ſi aſſequi curamus, ſuſcipienda eſt omnis moleſtia, qua ad illud peruenitur. Similis eſt pœnitentia baptiſmo, quia utrunq; hominem innocentem ſtatuit, ſed diſſimilis in eo, quòd baptiſmus momento id perficit omni ſorde abluta, at pœnitentia diutinum laborem deſiderat, ut par ſatisfactio pro

peccatis

peccatis reddatur. Itaque quidam ueteres non abſurdè pœnitentiam laborioſum quendam eſſe baptiſmum dixerunt. Neminem autem tam rudem eſſe exiſtimo, ut putet de uno crimine pœnitentiam agi & ueniam præſtari, alio in delectatione retento, nec per confeſſionem expoſito: nã quem peccare adhuc delectat, bonus nõ eſt, & ſi bonus nõ eſt, non placet Deo, & quũ Deo nõ placeat, quomodo ueniã impetrauit? Mihi uerò iam hæc impietas uidetur, ſi quiſpiã nõ omnia peccata deferẽs, ſed in quibuſdã adhuc permanens, audet ſperare ab eo, qui ſummè iuſtus eſt, de omnibus ueniã uel de quibuſdã, quaſi uenia diuidi poſſit: Deus autem aut totũ dimittit, aut nihil, nec hominem partim accipit, partim reijcit, ſed eũ, qui nõ ſtat totus pro illo, deſerit; nec dignũ habet, quẽ æternæ ſalutis præmiis adornet; poteſt aliquis, qui alteri plura harũ externarũ rerũ debeat, impetrare ſalua amicitia à creditore liberationẽ unius aut duorũ ex pluribus, quæ debet. Non idem in eo, qui pluries uel pluribus de cauſſis apud eundem offenderit: ridiculus enim eſſet, qui in plurium offenſarum accuſatione unius tantùm, aut alterius peteret ueniam reliquis prætermiſſis. Simulata uideretur eſſe hæc ueniæ petitio: nam ſi uerè ex animo flueret, eandem de offenſis omnibus oportebat eſſe petitionem, quoniam eadem petendi eſſet cauſſa, quòd ſcilicet is offenſus eſſet, qui minimè offendi debuit. Simulatam igitur dico eorum pœnitentiam, quos quorundam & non omnium pœnitet admiſſorum. Scio notatos à ſanctis Patribus eos, qui patrata lugentes, iterum lugenda patrarent, tanquam ueniam non poſcerent ſubditi, ſed ſubſannarent ſuperbi. Omnino nihil fœdius, quàm canis rediens ad uomitum, & ſus ad priſtinum uolutabrum. Non enim ob hoc quis accipit ueniam præteritorum, ut exiſtimare debeat peccandi licentiam ſibi in poſterum datam, ſed interdictam. Si quis tamen quodam tempore de omnibus admiſſis uerè & fortiter pœnitentiam egerit, & poſtmodum ſimilia, uel grauiora facere aggreditur, non eſt dicendum priora crimina, quæ ſemel dimiſſa fuerint & deleta, reuerti; nouorum tamen criminum reus tenebitur, ad æterna relegãdus ſupplicia, niſi rurſus pro iſtis ad pœnitentiæ medicinam ſibi ipſi, uel peccatis potius iratus cõfugiat. Non enim ſemel tantùm pœnitentia prodeſt, ſed ſæpius, ſi quoties crimina repetuntur, toties illa repetatur. Nullum unquam peccatum indelebile pœnitentia reliquit, magnaque Dei benignitas, magnumque in eo humanæ ſalutis ſtudium, qui quoties hic hoſtis naſcitur, toties illũ hoc gladio iugulari permiſerit. Ergo ſi quis etiam ſæpius ceciderit, non deſperet de ſalute, ſed de pœnitentia confidat, & ad eius medelam confugiat. Non eſt tam graue uulnerari in prælio, quàm poſt ſuſceptum uulnus ſe ipſum negligere. Mercator & ſi naufragium fecerit, non deſiſtit à nauigatione, ſed reficit rates quaſſas indocilis pauperiem pati; atque ita priſtinas reuocare nititur diuitias. Multos etiam in certaminibus uictos cernimus coronam poſtmodum meruiſſe. Iam uerò miles, qui in acie uim hoſtium impetumque pertimuit, & fuga ſe ſe eripuit, acrior ſæpe redit

dit ad pugnam, uictorque diſcedit. Quòd ſi iſti conantur reſarcire detrimenta leuioribus in rebus ſuſcepta, quantò magis nos conuenit laborare, ut poſt multos etiam lapſus reſurgamus, & dignitatem animæ recuperemus unà cum ſalute, obtenta ab indulgentiſſimo parente remiſſione peccatorum. Iſta eſt remiſſio peccatorum, quæ tantùm fit in eccleſia ob Chriſti ſanguinem: hanc Chriſtus ſecum aduexit, & Apoſtolis tradidit prædicandam. Alijs extra eccleſiam degentibus peccatum quodcunque imputatur, quia quomodo illud deleant, non habent, nullum infidelitate nequius peccatum. Hoc uno peccato reliqua retinentur. Exiſtimauerunt olim ueteres in illis gentium tenebris crimen homicidij purgari ablutione corporis, quos unus illorum Poëta increpat dicens.

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua.

Crediderunt alii conſecrationibus quibuſdam & deuotionibus & ſacrificijs ſolutionem fore ſcelerum, ſacrificulos neſcio quos, & uates & circulatores, & nonnunquam magos adhibentes, quæ omnia malorum Dæmonum arte illis fuerant inculcata. Illud tenendum, quòd pœnitentia delictorum fidelibus duntaxat ſit ſalutaris, pro quibus Chriſtus ſuum pretioſiſſimũ effudit ſanguinẽ & mortuus eſt. Hoc unum eſt ſacrificium, quod cœleſtis parentis irã aduerſus nos iam ab initio generis noſtri commotam placauit. Hoc illud eſt, quod abluit fœditates noſtras, ſanguis ſcilicet agni illius cœleſtis: huic uni remiſſio omnium delictorum noſtrorũ debetur. Nec me latet in lege ueteri animalium ſacrificia pro peccatis oblata fuiſſe, ſed eodem res redit, quia illorum ſacrificiorum miniſterio peccata tunc delebantur, propterea quòd figuram gerebant huius ueri ſacrificii, quo ſe Chriſtus uictimam in ara crucis pro uniuerſi generis ſalute obtulit. Quemadmodum olim ſtatuæ Imperatorum ad ipſas confugientibus erant contra iniuriam ſubſidio, non quòd uis ulla ineſſet ſtatuis, nam uel æs erant, uel marmor, uel ebur, uel aliud quid huiuſmodi, ſed quia referebant imaginem principalem. Sic ſacrificia illa uetera opitulabantur, non quia ipſa per ſe eſſent aliquid, ſed quia in ſimilitudinem huius maximi & ueriſſimi ſacrificii fuerant formata, eiuſque exemplum præferebant. Natura tamen humana adhuc ueluti ægra iacebat. Nemini ante Chriſti mortem ad cœli ianuam aditus fuit. Vt enim tempore ueteris legis diligeret Deus uiros ſanctitate fulgentes, uniuerſam tamen adhuc noſtram oderat naturam, donec aduentauit iſte, qui meritis paſſionis ſuæ hanc illi conciliaret. Cæterùm ne quis tantùm credat pœnitentiam peccantibus aptam, Ioannes, qui præcurſor Domini extitit & Baptiſta, cuique ab uteri uſque materni latebris ſanctitas diuinitus inuſta fuit, ita ut capitale quicquam nec uellet nec poſſet admittere, qua tamen aſperitate uictus Iordanis coluit fluenta? eremumque inſedit? non alia ratione id uideri debet factum, niſi quia illa ad uitæ ornamentum pertinere uidebantur. At contrà Paulus gentium doctor corpus

T caſtigabat,

caſtigabat, & in ſeruitutem redigebat, ut uitiis occurreret: uoluptatem metuebat titillantem, eiusq́ue ſenſibus ſuauiter affluentem, quam ut pro ſterneret, & laborabat unus plurimùm, & uigilabat: & continuata idem ieiunia ducebat. Ex quo apparet non modò his, qui corruerunt, ſed ſi qui ſtare cupiunt & in ueſtigijs innocentiæ permanere, ſalubrem his etiã eſſe pœnitentiæ modum, quem ſancti etiam uiri, ab omni grauiori crimine agentes procul, ad illuſtrandum tamen eorum uitam arctè tenuerunt. Lætitiam uerò in cœleſti regno ingentem agitari inter Angelos ſuper peccatore pœnitentiam agente, Euãgelico ſermone patefactum eſt: ſuã igitur ſtationem, uigiliam, præcepta monitaq́ue ſalutis ſæpius ingeſta ualuiſſe, patriamq́ue cœleſtem nouo ciuium incolatu exaugeri lætantur. Vtinam eorum explere uotum tamq́ue ſancto frui conſortio, & unà in beato illo regno diuinæ Maieſtatis potentiam, bonitatemq́ue collaudare mereamur. Parum mihi uideor dicere, ſi dicam, quòd tunc regnabimus, ſed uerbi cauſſa ita dicatur. Nunc non huc intrauimus, ut regnemus, ſed ut ſub diuo trepidisq́ue in rebus duremus, & aduerſus antiqui ſerpentis inſidias, ſenſuumq́ue illecebras pugnemus, & ita uiam ad futurum regnum nobis paremus. Legi in tractatibus quibuſdam nonnullos dicere ſine lacrymarum decurſu & fluxu perfectæ pœnitentiæ munus expleri non poſſe, nulla re melius, quàm lacrymis interceptam reddi aſtruũt ſalutem, quaſi lacrymarum undæ de oculis ubertim cadentes æterna incendia peccantibus ſuppoſita reſtinguant, ſeu quaſi apud Deum, ueluti in codice annotata ſint crimina, ſpongia autem quædam animi ſit dolor, quæ fletu turgida literas noſtræ turpitudinis abſtergat. Laboraui inquit pœnitens Propheta in gemitu meo. Videte quales & quàm crebri gemitus, propter quos laboraſſe ſe dicit: non eſt ſatis, quid in poſterum polliceatur, audiamus. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. quod ſtratum? quem lectum? nempe, ut opinor, libidinis ſuæ uolutabrum. Ecce pium Prophetam irrigui lacrymarum fontibus ſordes abluentem ſuas. Ecce cuius oculi continuis noctibus à fletu nunquam conticeſcunt, donec ira, ſororq́ue & minæ cœleſtis Iudicis conticuerint. Hoc Princeps præſtitit Apoſtolorum Petrus, qui abnegato Chriſto egreſſus foras fleuit amarè, hoc & Maria Magdalenæ, quæ dolore concitapeccatorum ſuper conuiuantes ingreſſa eſt, & lacrymas Domino inter epulas obtulit. Ad has lacrymas, quoſcunque peccatores uocant, ſiue in riſu ſint, ſiue in fletu: monendo alteros, ut riſum lacrymis, alteros, ut lacrymis lacrymas, uel lacrymarum potius cauſſam commutent. Quid ego hîc afferam, niſi illud Poëticum?

Et lacrymæ proſunt, lacrymis adamanta mouebis.

Recteque Hieronymus, qui lacrymarum uim inſuperabilem, & ad omnia impetranda efficaciſſimam penès cœleſtem parentem arbitratur. Satis durus uidetur, cuius mentis dolorem grauem fluentes oculi non declarant. Veruntamen multos ſuſpicor his auditis illud Plautinarum literarum

rarum allaturos in medium, Pumex non æquè aridus eſt, ſiccoculum genus noſtrum ſemper fuit. Clamabit hîc quiſpiam, quò me uocas? quò impellor? non mihi putres poſſunt eſſe oculi, non uuidum pectus, lacrymarum defluxu, arent mihi hæc loca, num me naturæ uim afferre iubes? At illi lacrymas petendas ſuppliciter & enixè à Deo dicunt, quas tribuet ſi tanto munere dignos iudicabit, eliciet impulſus diuinus ex lapideo corde lacrymarum flumina, ſicut & eodem auctore petra quondam in deſerto Moſis uirga percuſſa euomuit ſitienti populo undarum fluenta, quod, ſi quum omnia fecerimus, lacrymula exprimi nequeat, has ſitienter appetere, harum ardore flagrare, non minoris meriti eſſe putant, quàm interdum illis abundare: quibus omnibus, & ſi aſſentior, ut quæ ab illis prolata ſunt uiris, qui & uitæ & doctrinæ ſanctitate fulſerunt, attamen iſtud, ut non contemnendum, ſic non tam magnum eſſe arbitror. Non enim ſolùm dimittuntur peccata, ſi quis luctu, lacrymis, lamentatione ſe ipſum confecerit, aut etiam ieiunijs & abſtinentia carnem macerauerit & arefecerit; ſed multis quoque alijs rationibus remiſſio delictorum in eccleſia contingit. Nam in baptiſmo & in paſſione martyrij dimitti quæcunque peccata, dubitat nemo. Similiter in eleemoſynæ largitione, dicente Saluatore, Date eleemoſynam, & omnia munda uobis erunt. ſed ſi peccata ex corde fratribus noſtris dimiſerimus, peccata quoque noſtra dimittet nobis cœleſtis Pater. Item quum peccatorem quiſpiam ab errore impietateque reuocauerit, non ſolùm animam illius, uerùm etiam ſuam ſaluam faciet. Credibile eſt etiam per abundantiam charitatis fieri remiſſionem peccatorum: nam ipſe Dominus dixit. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Et Apoſtolus. Charitas operit multitudinem peccatorum. Hoc fit ubi quis inimicum dilexerit, eumque beneficio proſequutus fuerit. Vel ſi paſtorale gerens pedum poſuerit animam pro ouibus. Arbitror quoque dimitti peccata illi, qui mala humanæ uitæ tanquam à Deo iure ſibi inflicta æquanimiter tulerit. Non enim fruſtra dictum eſt à Domino. In patientia ueſtra poſſidebitis animas ueſtras. Videtis quot & quantis modis pœnitentes redimere queant peccata: non adeò truculentus Deus, ut non multipliciter languentibus ſubueniat, licet his, uel illis uti medelis, quemadmodum occaſio tulerit: alia alijs meliora. In primis ego cenſeo (ſi quis me uti uellet conſiliario) ut uerè pœnitens propriæ mentis motus, per quos tanquam per effrœnes equos in deuia raptum & attractum ſe uidet, ſtudeat abiicere penitus ac præcidere, ut nihil illorum ſuperſit. Alexandrum magnum Macedonum regem, dum per iracundiã & uinolentiam in conuiuio familiares quoſdam ſuos & amicos trucidaſſet, poſtquam ſe collegiſſet, ferunt id factum tam ægrè & acerbè tuliſſe, quòd ſibi ipſi manus penè inferre uoluerit: quod ſi feciſſet, non cruore ſuo unà cum uita effuſo culpam eluiſſet: ſed malum facinus deteriore facinore cumulaſſet. Non in corpus ſæuiendum erat, ſed in mentis libidinem, quæ ad facinus impulerat. Debuit ille igitur per-

ſpecta & pertractata ſceleris ſui natura,odio teneri acerrimo humanæ nequitiæ & imbecillitatis,quo odio ueluti fulmineo gladio armatus uoluntatis ſuæ motus capite mulctaret, ita ut ea parte animi immortuus Alexander nihil appetere, nihil concupiſcere poſſet, ea tantùm faceret & tractaret, quæ mentis ratio, quæ diligens diſquiſitio, quæ prudentiores amici cenſuiſſent. Sic faciendum bonis omnibus, & his præſertim, qui iam offenderint, ut uoluntate propria abiecta, uel odii potius illius, de quo ante dixi mucrone tranſuerberata, nihil agant aliud, niſi quòd mandata Dei loquantur, non habere arbitrium mentis ſuæ putent, ſed operarios tantùm ſe intelligant diuinæ uoluntatis: quod minatur Deus, timeant: quod poſtulabit, tribuant: quod immiſerit, ſuſcipiant: qua ire iuſſerit, eant: quæ relinqui mandauerit, abijciant: & demum, quæ præceperit, exequantur. Multi profitentur ſe ſe mortuos eſse peccato, qui deinceps inuident, cupiunt, rapiunt, ambiunt, ſuperbiunt, iraſcuntur, quorum nihil mortui faciunt, nec facere poſſunt. At rem tam neceſſariam, tamque utilem re ipſa non nudo tantùm nomine habere oportebat. Fruſtra teritur corpus inedia, fruſtra facultates bonorum eleemoſynarum gratia exterminantur, niſi ſenſus motusque mentis noſtræ ſæculi carnisque blanditiis immoriantur. Cogitandum aſſiduè crebraque meditatione uoluendum, quàm uanum, quàm inutile, quàm fœdum, quàm inſanum peccare honorum, pecuniarum, uoluptatis cauſſa: contra, quàm honeſtum, nobile, fructuoſum ſequi toto pectore Deum, qui uirtutum omium fons & origo, qui tum ſingulis, tum uniuerſis hominibus tot & tanta dilargitus eſt, quanta & difficile eſſet cogitare, & arduum enumerare dicendo: moriamur ergo nobis metipſis: denuntiemus amicis & familiaribus noſtris nos eſſe mortuos, uitam noſtram totam iuxta Pauli ſententiam in Chriſto abditam & incluſam manere; ſi quærant, illic inuentores, eosque ut idem faciant, adhortemur. Cætera multa, quæ proponuntur ad ſalutem, partem eorum differre, partem omittere poſſumus, hoc unum à peccatis reſipiſcendi & Deo ſe ſe ipſum iungendi ſtatim & neceſſariò arripiendum, & omni ſtudio amplectendum, ita ut nunquam dimittamus, ſi modò, qui nunc terrigenæ ſumus, cælicolæ aliquando fieri cupimus: & ueræ illius immortalitatis immenſis perfrui gaudiis cogitamus.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
IN FESTVM PASCHATIS DIEM
ORATIO.

TANDEM illuxit & ad nos redijt ille dies, qui Paſchatis nomine ſignatus ad meliora aſſiduè tranſeundum docet, & gratiſſimarum nobis rerum memoriam inſtaurat, & qui dies Domino dicatus octaua quaque luce renouatus gratiſſimum ſui conſpectum mortalibus exhibet & oſtentat. Nulla rerum mentem inficere hoc tempore moleſtia debet nulla aliqua eſſe cura, quæ conturbare poſſit. Et animum, & uultum, & ſenſus, domosque totas exhilare oportet, & clariſſimum hunc diem diuino donatum munere cum coniugibus & liberis omni lætitia & comitate celebrare. Nam ſi immortalitatem animorum noſtrorum auidè complectimur, deque ea re tam libenter credimus, & audimus, quòd adueniente fato extingui meliorem noſtri partem nollemus: non minore lætitia, ac gratulatione ſpem reſurrectionis corporum noſtrorum hodierno die oblatam retinere debemus, atque haud ſcio an prope maius iſtud debeat eſſe gaudium: propterea quòd animi noſtri perenniter uiguerant, nec ad interitum peruenerant, corpora autem à morte fœdata corruptionem induerant, quæ ad officia uitæ reuocari proponuntur. Quòd ſi ante actis diebus propter memoriam Dominicæ crucis ingentem animo dolorem hauſimus, ac in acerbiſſimi luctus mœrore uerſati ſumus, piæque lacrymæ ſqualentia per ora fluxere, miſerantibus nobis, quòd innocens & æterna perſona mortalium cauſſa, & alieni ſceleris nomine tam grauia tamq; acerba pertulerit. Vberem meritò & ſummam ac inauditam lætitiam afferre debet is dies, quo Chriſtus amor delitiæq; noſtræ inferno iam exhauſto ac perdito à ſepulchro uiuum ſe efferens de uicta morte triumphauit. Fides, quæ moriente Domino unà cum illo defecerat, nunc pariter cum eodem reuixit, & quam fœda & infamis crucis mors abſtulerat, hanc ingens & inauditum nouæ reſurrectionis miraculum retulit atque etiam auxit, uberioremque multò & ornatiorem effecit. Quodque quadrageſimali ieiunio palluimus, nunc largioris uictus

remiſſione

remiſſione uti poſſumus, quin etiam ubi lucere cœpit, in ſanctiſſimis delubris, inter ipſa nitentia altaria, ante auguſtiſſimas diuorum effigies cœleſti pabulo ſaturati ſumus. Ac mihi quidem cùm feſta omnia ſumma religione ac pietate colenda uidentur, quorum initium non mortalium cogitatio, ſed diuina iuſſio attulit, tum maximè iſtud quo ad ſacratiſſimæ menſæ dapes admiſſi ſumus, ſanctiſſimum ac religioſiſſimum uideri debet. Quod ſi quotannis ſummo atque eximio ſtudio ac apparatu, atque ingenti populorum concurſu Hieroſolymis quondam hoc tempus Hebræa gens celebrabat, quò hoſtias offerre in templo & ſacrificare, & agnũ per domos ſolemni more manducare ſolebant: quanto nos ardore ſuccendi, quanta animi pietate impelli oportet, apud quos uera omnia extiterunt, quorum illi ſimulachra tantùm ac formas tenebant: quin etiam ſanctiſſimi iam ante Prophetæ, quum iſtum diem aduenientem præuidiſſent, exultauerunt, ut eximium & ſalutarem futurum. Nos qui prehendidimus & tenuimus, quo mentis iubilo, qua ſpiritus dulcedine, quæ nunc geſta ſunt, conuenit uerſare atque contemplari. Hic dies ingentem attulit lætitiam Angelicis choris, hic ſanctis Patribus de inferno lacu erutis; hic Mariæ, hic Apoſtolis, diſcipuliſque Domini; hic infinitis alijs Chriſti cultoribus ſumma pietate præditis, cum quibus nos decet gaudia copulare, non de re geſta ſolùm, ſed de illorum quoque gaudijs uoluptatem capientes. Mihi uerò non uos tantùm & reliqui fidei alumni, ſed animata cuncta & inanimata, quæ oculis menteque circunſpecto, commoueri ſe lætitia, & in gaudium quoddam prorumpere uidentur: rident templi huius parietes, hæ aræ, ridet cœlum, ridet aër, iſte puriſſimus, ridet ipſa quoque tellus uernans iam florribus, Sol quoque ipſe, qui moriente Domino obſcurior factus eſt, mihi nunc uidetur ſolito fulgidior illuxiſſe. Neque uerò ego in hoc cõuentu, qui & dignitate ampliſſimus, & frequentia celeberrimus, & iudicio eruditiſſimus eſt, mihi nunc aſſumo, ut explicem, quæ in reſurrectione Dominica ſunt geſta, quemadmodum inceſta & perfida Hebræorum gens ſepulchrum Chriſti lapide, lapidem cuſtodibus munierit, ut terremotus factus, perterriti illi diſceſſerint. Angeli mulieribus cadauer quæritantibus ſe oſtenderint, reſurrexiſſe nuntiarint quomodo deinde Chriſtus ad Apoſtolos proceſſerit, contrectandumque ſeſe præbuerit, atque etiam cum eiſdem ſeſſitarit, cibumque unà ſumpſerit, quò ad omnia certiorem nouatæ uitæ fidem facerent: hæc enim iam uobis Euangelica lectione innotuerunt. Attendere tamen licet, ne quis à quopiam ficta, uel temerè credita poſſet criminari, iccirco & à pluribus uiſum Dominum Iesvm, & ab eodem plurima ueræ reſurrectionis argumenta allata. Ille enim qui tam admirabile opus uno tempore effecerat, uariè hæſit fidelium cordibus, & mulieribus quidem cito, maribus tardius reſurrexit. At mulieres illæ, quæ cito crediderunt, ſibi multùm, poſteris parum conſuluerunt. Apoſtolorum & diſcipulorum cunctatio, & curioſa diſquiſitio calumniantium ora obſtruxit, effecitque, ut nihil erro

ris

ris interuenire poſſe uideretur in cauſſa tam diligenter ab illis cognita & explorata. Ipſum nanque Dominum quoties uiderunt? quoties audierunt? nonnulli etiam tangere uoluerunt. Non poſſum hoc uobis narrare planius, quàm ipſa Euangelica prodat lectio. Venit (inquit) Ieſus & ſtetit in medio eorum, & dixit. Pax uobis. Ego ſum, nolite timere: Et quum conturbati & conterriti illi exiſtimarent ſe ſpiritum uidere, dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda ueſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum. Palpate & uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, quæ me uidetis habere. Sed huius quoque rei Ignatius, qui tertius à Petro Antiochenam rexit eccleſiam, in epiſtola ad Polycarpum Smirneorum Epiſcopum præbet teſtimonium (quemadmodum à Hieronymo quoque relatum eſt) Aſſerit nanque ſe Chriſtum in carne uidiſſe etiam poſt reſurrectionem, & unà affuiſſe cum Petro & alijs, quum dixit. Ecce me. Palpate & uidete, quia non ſum Dæmonium corporale. Et ſtatim tetigerunt eum, & crediderunt. At non ſemel, ſed ſæpius id factum, ut dixi. Illorum ergo obtutus, noſter obtutus fuit, noſter etiam auditus, noſter quoque attactus, ſi quidem per ea, quæ tunc geſta fuere, tantæ rei neceſſariò credendæ fidem hauſimus certiorem. Hæc eſt gloria fidei noſtræ, quòd is, qui in æternum extinctus credebatur, tertio reuixit die, tanquam non mortem, ſed ſomnum induiſſet. Mortuus eſt, quia uoluit, ſurrexit, quia potuit: quorum alterum immenſæ clementiæ, alterum inuictæ uirtutis fuit, utrunque fuit in eius poteſtate. Ipſe iam antea ad diſcipulos loquens dixerat. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Mortuus eſt quando uoluit, cuius rei argumentum eſt, quòd quum emiſit Spiritum uoce magna exclamauit, quòd hi, quos infirmitas ad mortem compellit, facere nequeunt: uirtute ergo propria poſuit animam, rurſus eadem uirtute recepit. Hanc reſurrectionem ueteres Prophetæ cecinerunt: nam in Pſalmorum opere legitur. Ego dormiui, & ſomnum cœpi, quoniam Dominus ſuſcepit me. Quid? Putamus Dauidem regem eundemque Prophetam, ſicut magnum aliquid pronuntiaſſe, quòd ſomnum cœperit, & deinceps exurrexerit, quòd quotidie contingit omnibus, ſtultè profecto ita loquutus fuiſſet, niſi ad corporis mortem, eiuſdemque reſurrectionem illa uellet referre, quæ tranſpoſitis nominibus ſub imagine ſomni & exurrectionis dicuntur; nec de ſe illa loquitur Propheta, ſed per eum hanc uocem emittit homo ille, quem Dei uerbum ita ſuſcepit, ut unà cum eo fieret Deus. Et alibi idem Propheta ex eiuſdem perſona loquens. Propterea lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Hic apertè canitur deſcenſus Chriſti poſt mortem ad inferos, ut non ſit illic futurus perpetuò, utque corpus eius in ſepulchro iacens more cæterorum cadauerum non corrumpetur. Non mortuum colimus, quod olim infideles religionis

ligionis noſtræ hominibus exprobrabant, ſed uerè uiuentem, imò ipſius uitæ auctorem, qui facilius de ſepulchro mortuus, quàm alius de lecto ſurgeret ſoporatus. Non expreſſiore ullo ſigno Chriſti diuinitas comprobata eſt: Veteres Prophetæ alios quoſdam, at non ſe ipſos, & illos non in perpetuum, ſed ad breue quoddam tempus à morte reuocarunt. At ſe ipſum Chriſtus reſtituit iam mortuum in perpetuam uitam, quod effici non potuiſſet, niſi ab eo, qui Deus planè & homo fuiſſet. Hinc quærentibus quandoque Iudæis, ut manifeſtiſſimum aliquid afferret Chriſtus, quò ſe filium Dei oſtenderet, ad futuræ reſurrectionis miraculum illos reiecit, inſinuans id tunc magis, quàm proloquens apertè: dixit enim quod nullum traderet ſignum, niſi Ionæ Prophetæ, qui triduo beluæ præcordiis retentus, poſtmodum integer effuſus eſt. Rurſus ſoluerent templū illud, quod triduo ipſe reficeret: De templo autem corporis ſui ille dicebat. Ionas uerò ita fuit in uentre Ceti, ut depoſitum & non præda eſſet: Sic Chriſti corpus terræ utero receptum fuit, ut cuſtodiretur ad breue quoddam tempus, non ut etiam abſorberetur. Triduo antea pendente in cruce Domino Iudæi caput agitantes dicebant. Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce & credimus ei. Noluit deſcendere, quod poterat, ne conuitiorum dolore commotus, uideretur illud feciſſe. Nunc quid poſſit, oſtendit, nam quàm facilè non moreretur, niſi uellet, qui iam mortuus, ubi uoluit reuixit? uoces inſanas Iudæorum antea patientia, mox potentia ſuperauit. Oſtendit ſe Dei filium, non de cruce ſurgendo, quod illi quaſi uicto illudentes poſcebant; ſed quòd eſt admirabilius, de ſepulchro. Apollonius Tyanæus, quem è gentibus quidam auſi ſunt impiè Chriſto domino comparare, ob mirabilia quædam, quæ fertur effeciſſe: Is apud illos tantus, tamen non ſolùm ſe ipſum, ſed ne alium quidem quenquam in priſtinam uitam repoſuit. Sed quid unius Apollonii memini? Nunquam in gentium literis legi, quenquam Deorum ſuorum ope ab inferis retractum, ſicut in codicibus noſtris Dei ſummi inuocatione à Prophetis & alijs ſanctis uiris factum legimus. Orcum irremeabilem eſſe dicebant, & Plutonem inferorum regem inexorabilem, ut quenquā remitteret, & priori uitæ redderet: quanquam Plato finxit quendam reuixiſſe, finxit uerò, ut ex eius perſona narraret, quæ apud inferos fieri ipſe putabat; maximum certè opus reſurrectio, ſoli diuinæ potentiæ aſſignatum. Hæc paucis iſto in ſæculo contingit, quæ in fine ſæculorum omnium omnibus dabitur, ut forſitan inferius diſſeretur, Deo maximo illud peragente, Dæmonum autem, aut alterius cuiuſuis poteſtas ad eam rem concipiendam, inualida eſt penitus & inepta. Sed, ut ad Chriſti reſurrectionem redeam, uidetur ille non ſubobſcuris tantùm ſermonibus, ſed apertis prædixiſſe ſæpius Iudæis, quòd morte illata, in diem tertium reſurgeret. hinc illa addita cuſtodia ſepulchro uſque in tertium diem, ne ablato cadauere reſurrectio fingeretur. At prænuntiata explens ille tam uiuus de tumulo hodie prodijt, quàm olim de matris utero, tam & ſi inter

ter illam natiuitatem & hanc reſurrectionem plurimùm differat: natus enim cum mortali corpore doloribus obnoxio, reſurrexit cum immortali & incorruptibili, quod opus ſolius eſt Dei. Nunquam id antea factum: nunc primùm humanum corpus immortalitate circunfulgens apparuit, & in conſpectum multorum oculis ſe dedit: ergo clariſſimè nunc diuinitatem oſtendit ſuam, & ſpem etiam reſurrectionis corporum egregiam nobis tetendit. Hebræis tanta in re, quid faciant non habentibus, neque ſe rectè explicantibus. Nam ſi factum affirmant, quod nos factum pleno ore aſſeueramus, diuinitatem Chriſti reſurgentis & mortem ipſam, ut ita dicam, perdentis agnoſcant neceſſe eſt, ſin negant, quod facere uidentur, reddant Chriſtianis petentibus & omni conuitio efflagitantibus cadauer, imò re tunc recenti proferre, & uulgo oſtendere debuerunt: nam ne clam ſurripi, uel apertè eripi poſſit, tumulum obſignauerunt, horribiles armatorum cuſtodias circundederunt. Accidit peroportunè, quòd nemo antea illo ſepulchro conditus fuit, ne qua dubitatio naſceretur, quiſnam illorum ibidem ſitorum ſurrexiſſet. In petra etiam exciſum illud monumentum, nam ſi humatus Chriſtus fuiſſet, exacuentes ingenia Hebræi fingerent fortaſſe diſcipulorum quoſdam ſubterraneos ad tumulum egiſſe cuniculos, ſuffoſaque humo per ocultos meatus auertiſſe. At enim milites (inquiunt) illic poſiti nobis renuntiarunt ipſis dormientibus ueniſſe diſcipulos, & clam corpus tuliſſe. O' præclaram ueſtram reſponſionem Hebræi, riſu publicitus eiiciendam. Quid eſt hoc? Dormientes teſtes producitis. Verè ipſi magis dormiebatis, quum ſomniculoſis hominibus cuſtodiam delegaſtis, nunc etiam ſtertitis, qui poſtulatis iis credi, qui in ſomnio uiſos ſibi diſcipulos in ſepulchro uerſari retulerunt: nam uigilantes, ut dicitis, illa non uiderunt. Quid præterea illa uolunt ſibi linteamina & ſudarium illic relictum? An non facilius potuit à diſcipulis, ſi furtum meditarentur, corpus uinctum unà cum linteis auferri, quàm moram ſibi ipſis nectere in ſoluendo? quum furum ſit properare, ne deprehendantur. Adde quòd ne facilè quidem forſitan fuiſſet auelli linteamina à corpore myrrha & aliis unguentis delibuto, ſicut erat tunc mos Iudæis ſepeliri. Tota igitur res commētitia nullo probabili clauditur exitu, quòd ſi de fraude diſcipulorum adhuc querantur, mirabor, ſi miſericordia ducti in illos animaduertere noluerunt, qui inuiſum cadauer tot cuſtodiis ſeptum furto amoliti dicerentur. Quam pro ſe uocem poteſt ueritas fundere clariorem? Chriſtum mortuum eſſe omnes uiderunt: nam mors eius publicè ſpectaculū præbuit. Itaq; nō poſſūt Iudæi dicere, quòd clā alicubi uiuus occultatus morte ſimulata triduo poſtea tanquā rediuiuus prodeſt, quin etiā ſepultum fuiſſe, negare non audent. Nam Ioſephus & Nicodemus uterque ex hebræa gente, ambo iuſti, ambo cogniti, illud pietatis munus impleuerunt, denique ipſi, ut ſepulto cuſtodiam addiderunt, mox die tertio ſepultus reſurrexiſſe palàm nuntiatur. Quid facere oportebat eos, qui fidem eleuare huius reſurrectionis uellent? Nonne

proferre in medium cadauer ſepulti, qui de uulneribus, deque tot plagarum ueſtigijs facilè agnoſci potuiſſet, uel ſi qui furto ſubduxiſſe uiderentur, nonne tanti criminis reos ad magiſtratus ſuos producere, iudicio perſequi debuerunt? Cur non compulſos ipſum fateri furtum, atque adeò prodere, ludibrio habuerunt, uel potius exterminarunt? Quum nihil horum hi fecerint, qui religionem iſtam extinctum iri cupiebant, quod facilè factu fuerat, quum ciuitatis eſſent Principes,& magiſtratus obtinerent: res ipſa indicat reſurrectionem uerè factam, cui nemo aduerſariorum, niſi nudis uerbis repugnare ualeret. Cur autem id diligentius exquirere & examinare noluerunt? Illud profectò in cauſſa, quòd timuerunt, ne hæc reſurrectio,tanto certiorem fidem caperet,qnanto uehementiori ſtudio explorata fuiſſet. Itaque ſilentio & obliuione eam tegere & paulatim euaneſcere malebant; ſed non id paſſi Diſcipuli, non Apoſtoli, qui iuſſi à Domino fuerant hanc reſurrectionem cunctis gentibus prædicare. Teſtimonium ferebant illi undique, quòd Chriſtus reſurrexiſſet, nam poſt crucem, poſtq; triduanam ſepulturam uiderant uiuentem: Res autem euenit ipſis contrà, quàm putabant, quin perpeſſi ſunt, quod perpeti ſolent plerunque hi, qui diuinæ prouidenttiæ reluctantur: nam per quæ reluctantur, ijs prouidentia ſibi locum facit: ſicut in his, quæ circa Ioſeph olim geſta fuerunt, apparet. Venditus fuit à fratribus ne illum adorarent: at ea uenditione factum eſt, ut adorationi præuiſæ eſſet locus. Sic iſti nolentes reſurrectionem fingi, monumentum ſignauerunt, cuſtodes adhibuerunt: at ea fuit cauſſa, ut nullo modo ficta uideatur: nam ſi neglectum fuiſſet, & incuſtoditum cadauer, potuiſſent altiloquo ſermone dicere fuiſſe illud furatos diſcipulos & occultare, idque illis fuiſſe facilè non ſignato lapide,nullo adhibito cuſtode. Nunc tam diligenti ſolertia armantes ſe aduerſus diſcipulos, nihil in illos obijcere ualent, & relinquitur illud factum, ut reſurrexerit Dominus, cui rei latiſſimum Apoſtoli & certiſſimum perhibebant teſtimonium,ut potè quod ipſi uidiſſent & tetigiſſent: & quanuis uniuerſa non crederet multitudo, crediderunt ex Iudæis tamen plures, nam quum Petrus Apoſtolus concionatus apud eos eſſet de hac reſurrectione, uno die tria hominum millia, altero quinque millia ad Chriſtum conuerſa ſunt. Ioſephus quoque Hebræus, qui uel ijſdem temporibus, uel non multò poſt fuit, in duodeuigeſimo antiquitatis Iudaicæ libro Ieſum fuiſſe Chriſtum in lege prænuntiatum fatetur, eiuſdem prædicans reſurrectionem: nam hoc maximum miraculorum omnium fuit, idque Chriſti diuinitatem potiſſimùm, ut dixi, oſtendit: commodius fuerit ipſius Ioſephi uerba recenſere, deſcribens nanque ea, quæ in Iudæa ſub Tiberio contigerant. Fuit (inquit) ijſdem temporibus IESVS ſapiens uir (ſi tamen uirum eum appellare fas eſt) Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorum hominum, qui ueritatem libenter audiunt. Multos quidem ex Iudæis, multos etiam ex Gentibus ſibi adiunxit. Chriſtus hic erat. Hunc quum accuſatione primorum

morum noſtræ gentis uirorum Pilatus in crucem egiſſet, non deſeruerunt hi, qui prius eum dilexerant. Apparuit enim eis tertio die iterum uiuus, prout hæc & alia plura de eo ſtupenda Prophetæ diuinitus efflati prædixerant. Videtis ne quemadmodum iſte doctrina & ingenio præſtans inter Hebræos ueritate compulſus, non potuerit tacere aduentum Chriſti, & quomodo eiuſdem reſurrectionem palàm aſſeueret, quam etiam præ uiſam dicit & Prophetarum ore prænuntiatam. Dicebant Apoſtoli Chriſtum reſurrexiſſe: Dicebant unà cum his plures alij, qui uiderant: (nam ut alias eius manifeſtationes omittam) ſemel uiſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul, res occultari nullo modo poterat, credita ab his tantùm, quibus datum fuit deſuper, ut crederetur. Hanc Chriſti reſurrectionem, quod maximum eſt miraculum, & fidei noſtræ caput, tanti fecit eccleſia, ut Iudæorum ſabbatum remouerent, & primùm hæbdomadæ diē, quo Chriſtus reſurrexit, ſummis cæremonijs, ſummaque animi pietate omnem per annum celebrari mandauerit: hoc enim die ad templa properamus, Euangelicam repetimus lectionem, cœleſtique interſumus ſacrificio. Donique feſtum hunc diem læti agitamus uacuis animis omni ſeruili opere remoto; nec manſit uetus nomen: nam qui erat gentibus Solis dies, nos qui illum Domino conſecrauimus Dominicum appellamus: ut uel ipſa appellatio nominis nobis diem ipſum commendaret. Nihil æquè Apoſtoli poſt mortem Chriſti prædicabant, quàm hanc reſurrectionem. Quomodo quod dicebant incredibile uideri poterat Iudæis? penès quos Phariſæi optimum & populare ſacerdotum genus hanc corporum reſurrectionem ponebant. Saducæis tamen reclamantibus, ita ut nō mediocri inter ſe odio iracundiaque certarent. Nobiſcum commodius agitur, quibus non quiduis, ſed aliquid unum pro certo tenendum. Etenim ut multa alia, quæ ſunt magna, pulchra, admirabilia, ita & carnis noſtræ reſurrectionem fixo & immobili dogmate profitemur: & quod alijs pugna fuerat, nobis fidei eſt articulus. Num etiam Philoſophorum aliquis lumine utens rationis, de hac reſurrectione uerba fecit? Democritus quidem fertur & plerique alii, ſed premitur Democritus conuitio Philoſophorum urgentque in primis illum omnes hac interrogatiuncula, cur non reſurrexit ipſe? Vellem idem Philoſophi adeſſent, ut intelligerent aduerſus Chriſtianos nihil hac argumentatione concluſum. Chriſtus caput & norma fidelium reſurrexit: idem nos ſectatores, & qui huius capitis membra ſumus, exſpectamus. Quemadmodū Chriſtus hominibus ſimilis effectus eſt olim mortali in corpore aſsūpto, ſic homines ſimiles efficientur poſtmodum Chriſto immortali in corpore reaſumpto. Homines naſci & mori notiſſimum erat, quod aſſiduè cernitur, reſurgere nunquam morituros difficillimè credebatur, quia exemplo carebat. Ecce præceſſit Chriſtus in hac reſurgendi uia. Ille corpus oſtendens glorioſum erutum de mortis laqueis dicit omnibus dandum, quod ſibi ipſi iam dedit. Si ſimulachrum, ſi exemplum tantæ rei quæritur, non deeſt. Mor-

tuus eſt Chriſtus poſt multos, reſurrexit ante omnes. Quid ita? quia quod cuncto humano generi naturæ lege impendebant, ſatis erat quandocunque ſubire. Sed quod effici non poteſt, niſi diuina ui & fieri non poſſe multis uidebatur, eratq́ue ſi fieret, magnum & glorioſum, id ipſe Princeps opere impleuit, nec mirùm uideatur, ſi ipſe primus ſit tanto donatus munere, quoniam ipſe quoque primas laborum omnium & dolorum partes tulerat, ut humanum genus à peccatis erueret, & ab exilio ad patriam reuocaret. Legimus Apoſtolum Paulum, quum Euangelicum ſemen per orbem terrarum ſpargeret, ut fidelium multitudine tanquam ſegete efflorescente illam deinde tam pretioſam annonam in cœli horreo collocaret. Sed illum Græciæ oram peragrantem legimus Athenas florentiſſimum diſciplinarum omnium domicilium diuertiſſe. Illic uir cœleſti doctrina imbutus cum Philoſophorum gregibus pedem dicitur contuliſſe. Idem ad populum productus nouas res audire cupientem, quum Chriſtum à Deo miſſum pro mundi ſalute diceret crucifixum, hunc uerum eſſe Deum & colendum aſſeueraret. Athenienſes mirari, & Paulum dicere nouorum Dæmonum inuentorem, nec iniquo tamen animo talia audiebant aſſueti colere multitudinem Deorum? At ubi unumquenque con ſurrecturum è tumulo, & ad carnem ſuam rediturum, atque ita oſſibus, neruis, uenis compaginatum, artuatum denique, ut tunc eſſet futurum oſtendere cœpit, enimuerò ſubſannabant alii, & ſimul diſcedentes de hac re, te (inquiunt) aliàs audiemus, alij contineri non poterant, quin ſtomacharentur, uel apertè irriderent. Homines Græci humana tantùm luce præditi hanc nouam corporis inſtaurationem non tulerunt: nos ſacer Dei populus diuinis præmoniti oraculis, quanuis mortalem carnem circunferimus, de eius tamen immortalitate præſumere audemus: Etenim quòd collapſo cadauere nobis uidetur eſſe cinis in ſepulchris, id humana eſt caro Dei notione: non enim mirandum eſt, quod perito unum, aliud imperito uideatur. Veluti ſi quis rudem aliquem & imperitum adduceret inter eos, qui uenas montium rimantur, increparet forſitan illos, quòd terræ effodiendæ gratia tantos exciperent labores, at qui effodiunt, non terram, ſed auri, argenti, uel æris metalla eruere ſe intuentur. Sed non quicquid tantùm de humanis corporibus in puluerem collapſum eſt: Sed quicquid ignis rapuit, fera abſumpſit, humor eliquauerit, aurarum ſpiritus exhalationibus collegerunt, reddetur omne Deo ſummo qualia ea ſint internoſcente, & ſingula quæque ad loca propria conglobari iubente. Arduum opus prorſus ſi ab homine ac non ab omnipotente Deo factum diceretur. Mirum uideatur ſi emortua corpora ope diuina ſublata in ueterem formam redigantur. At arbores uidemus exciſas iterum pullulare, & eaſdem hieme aridas, uere ineunte reuireſcere, quis credat niſi uſu edoctus malum, quod ſterile uiderat inter pruinas, mox alio tempore ueluti ubertate quadam iuuentæ reuocatum iri: quod primùm gemmis turgeſcet, deinde ornabi

tur

tur floribus, ueſtietur & frondibus, poſtremò pomorum fœtu exuberabit, atque ita in priſtinam redit faciem ſolitumque nitorem. quòd ſi hæc mirà reſurrectionis ſpecies in arboribus humani uictus cauſſa inducitur, quo tandem ſtudio uitam corporibus noſtris elapſam Deus redditurus eſt, & priſtinam ſpeciem conceſſurus? Quid granorum ſemina, quæ mortali manu ſparguntur in agros, non'ne prius putrefiunt intra ipſius terræ uiſcera & corrumpuntur, ſed uiuificantur poſtmodum: nam radices primùm emittunt, in uirentem herbam deinceps conſurgunt, & in ſegetem mox eſfloreſcunt, & tandem in ariſtarum culmos euadunt, & per tot circuitus exhibent ſe grana, qualia prius fuerant: nec minor de humanis corporibus cura Deũ tenebit, nec plus naturam per ſe infuſam rebus, quàm ſe ipſum ualere patietur. Et forſitan id rationi uidetur conſentaneum, ut animis propria reddantur corpora, è quibus ui detruſi eiectique fuerunt: animorum enim proprium eſt hærere corporibus: ad hoc enim creati fuerunt, ita etiam primo tempore collocati: urgentur deinceps fatali quadam neceſſitate deſerere ſuas ſedes, deſtituere carnis ſocietatem, poſcit animorum cauſſa, poſcit, ut aliquando eò reſtituantur, unde decedere coacti ſunt. Nullum enim uiolentum, (ut quidam dixit) perpetuum. Hinc aliud quoque argumentum futuræ reſurrectionis ducitur, ſi quidẽ ponimus, quod negat nemo, quòd ſapiens hoc & ſolers & prouidum animal, quod homo uocatur, non ex animo ſolo, nec ex corpore ſolo, ſed ex utroque ſimul iuncto conſtituitur, equitis inſtar, qui pariter ex duobus ideſt ex uiro inſidente & equo componitur. Si igitur animis à corpore iam ſeiunctis corpus iterum non reddatur, non erit amplius homo ille, qui prius fuit, iam dimidia tantùm ex parte animal iſtud relinquetur: quod ſi abſurdum eſt dimidiatum eſſe animal & non integrum, ſocietatem carnis animis reſtitui dicendum: quemadmodum & equum latrocinio ablatum quilibet diceret equiti reſtituendum, ut munere ille ſuo fungatur. Falſum igitur illud magni Poëtæ, qui quum morientem quendam in acie bellatorem deſcriberet, addidit: In æternam clauduntur lumina noctem: imò quiſquis ille fuit, ſi modò fuit, priſtinis aliquando hauriet oculis lucem, quin etiam cruorem omnem in acie fuſum recuperabit. An non perſuaſum eſt uobis capillos capitis ueſtri eſſe numeratos, ſicut Euangelicus fert ſermo? Si capilli numerati ſunt, puto facilius in numerato eſſe oſſa, & dentes, & reliquas corporis particulas: fruſtra autem numeri ratio haberetur, ſi aliquid ita pereat in corpore, ut non idem reddatur. Saluator de inferno loquens dixit. Vbi eſt fletus & ſtridor dentium. Erunt igitur illic corpora animis iuncta. Ego enim nunquam uidi aut audiui, quòd animus dum nudus ſpiritus eſt fleat, aut dentibus ſtrideat. Veniet (inquit Saluator) hora, in qua qui in monumentis ſunt, audient uocem filij Dei, & procedent. Audient ſcilicet auribus, procedent pedibus. Cætera ſcripturarum teſtimonia quid refert colligere, quum uulgo nota ſint, & tam clara etiam & aperta,

ut

ut nec mea nec alterius interpretatione indigeant. Nonnulli tamen ex noſtris hominibus è Philoſophorum ſcholis prodeuntes huic uno articu lo de corporum reſurrectione tardius adhibent fidem, quam negant naturalibus rationibus comprobari, quaſi potens ſit uſque eò Deus, quò ad naturæ rationes, quas ille rebus indidit, ferant, & eiſdem finibus & cancellis circunſcriptus ſit, de cuius uirtute & immenſitate illud uerisſimè dictum eſt, Deum eſſe locum omnium, & omnia non eſſe locum Dei. Hîc tu mihi quæris rationes plauſibiles, & ad naturæ partes ualde accom modatas, quibus oſtendatur futurum, ut reſurgant corpora. Quid? ſi nullas habeo, ideo ne minus erit reſurrectio? quàm multa herbarum & radicum genera, quàm uaria animantium membra ad medelam apta & leuationem ægritudinum? quorum tamen cauſſa & ratio, ſi diſquiratur, nulla inueniri poteſt. Fontes perhibentur eſſe nonnullæ admirabili natu ra, quarum una in Aphricæ ora meridie gelida, ſole oriente & decedente referueſcit. Altera quicquid mergitur lapideſcit, & ad ſilicis rigorem per ducitur. Fuit & tertia in Dodone, quæ incenſas faces extingueret, extinctas incenderet, his de fontibus plures auctores tradidere. Quis ſcit, uel ſcire poteſt unde hæc fiant, & plurima alia, quæ diuerſis in locis miranda conſpiciuntur? Illis nos uoluit uti Deus, cauſſas, quæ illa mira parturiunt abdidit, ſed nulla cauſſarum ignoratio facit, quin uim ſuam illa re tineant & prodant, Nec ob hanc ignorationem commouemur, ut ea falsò literis prodita opinemur. Similiter reſurrectionem à Prophetis præuiſam, ſacrarum literarum eloquio exhibitam atque monſtratam amplecti debemus, etiam ſi in illius proſpectu deficiat omnis humana ratio. Nam ſi naturam intelligimus occulta & ignota mortalibus uia progredientem multis locis, magnis in rebus ad mira quædam peruenire. Cur non hoc magis ui diuinæ uoluntatique tribuatur? Etenim tanta res, quanta reſurrectio uidetur, humanam rationem ut uincat, diuinam nunquam ſupera bit. Cœlum terram, mare, oculorum acie, at quomodo quum antea non fuiſſent, ſubito emerſerint, ne mentis quidem lumine uidemus: Vnde enim hæc deducta? quomodo fabricata dicemus? quum nulla materia præ iaceret, nulla rerum forma ſpecies'ue extaret. Hæc cœli tanta pulchritudo, quam interdiu ſol flagrantiſſimo lumine incendit, & noctu uarij aſtro rum ſplendores exornant, quibus effici potuit machinis, ferramentis, uectibus, miniſtris, ſunt hæc tam uaſta & grandia, ut humanis nequeant exa minari ponderibus. Ne ſit igitur cœlum, nec terra, nec mare, nec mundus denique ſit ullus, quoniam hoc opus, quomodo & unde tam repente emerſerit, neſcimus, quum antea non fuiſſet. Nemo ea hominum fieri uidit, nemo ratione perſpicere ualet, quomodo de nihilo aliquid effici poteſt. Quòd ſi dicis ſolo Dei uerbo condita, ſicut ſanctæ ſcripturæ docet auctoritas, & fides habet cunctorum, aſſentiar libenter, & illud addatur poſſe Deum eodem illo uerbo corpora mortua excitare, & ad ueterem formam reuocare, ſi quidem maius eſt nulla ſubiacente materia omnia condere,

condere, quàm quædam condita, mox dilapſa componere, & ad partes ſuas reuocare. En illud eſt, quod ſæpius eſt dictum, & ueriſſimè dictum, nos non tam magnis quàm nouis & inſolitis commoueri. Hanc orbis ſpeciem, hunc ornatum, hæc elementa nemo ab ipſo ſummo Deo facta miratur: maximum ſanè opus & admiratione digniſſimum, ſed huic aſſueuimus. At ubi reſurrectio corporum proponitur ab eodem formanda Deo, admiramur, & forſitan tunc animis pendemus, non quòd maior ſit res hæc reſurrectio, quàm illa fabrica: ſed quia alterum iam factum eſt, & aſſiduè oculis occurrit, alterum nondum contigit uidiſſe. Cogitate quàm iniqui æſtimatores rerum ſumus, & quàm abſurda ſæpius fiant. Nam ut communem reſurrectionis cauſſam relinquam, ſi nunc unum aliquem eorum, qui à uita deſierant, reuixiſſe dixero, idque poſſim oſtendere, quantum id uideretur omnibus? quàm admirandum? quanta omnium prædicatione celebraretur? quum tamen interim tot homines, qui antea non fuerant extare, & uitæ limen ingredi nota dignum non ducatur: & tamen operoſior uideri debuit hominis creatio, quàm inſtauratio. Ego ingenuè fateor mihi magis admirabile uideri, quomodo humanus animus, qui omni prorſus caret materia, huic tam graui terrenæque moli potuerit illigari, quàm quomodo diſſipati illi, (ut ita dicam) numeri, qui compoſitione ſua hominem antea faciebant, rurſus ad eandem ueterem ſummam explendam redire cogantur. Facilius quippe fuerit ſemel inſtitutum opus contexere, quod defluxerat, quàm diuerſiſſimæ ſubſtantiæ res duas nodo uno copulare, & tamen iſtud, quia aſſiduè fit: (homines enim naſcuntur quotidiè) contemnitur: alterum de reſurrectione, ſi fieret, magnum quiddam & præclarum uideretur, & ſi minoris ſit operæ, quia rarò factum. Nos autem (ſi ſapimus) recto utemur nunc iudicio, æſtimabimusque artificis potentiam & magnitudinem, non ubi fiunt noua, ſed maxima: deinde illud uidebimus eum, qui maiora præſtiterit, poſſe minora, ubi uiſum fuerit, præſtare. Quanquam hîc mihi uideor errare uerbis, qui de Deo loquens facilius aliud, & aliud difficilius, maius opus & minus pono: habet enim Artifex iſte latiſſimam poteſtatem nullis circunſcriptam finibus, ut eadem facilitate ab eo cuncta tractentur: Solo enim nutu tractat, & annuere non opinor difficilè, nec impoſſibile quicquam, quod ille poſſe uoluit. Verùm illud eſt: nos enim uitioſo quoddã more ex humana facultate diuinã ſæpius metimur: modica, breuia, anguſta, temporalia conferimus his, quæ ſunt maxima, latiſſima, immenſa, æterna. Videmus inter ipſos homines quantùm periti diſtant ab imperitis, nam quod illis facilè eſt factu, iſtis non modò difficilè, ſed impoſſibile redditur. Similiter à uiris plurimùm diſtant pueri, quia quod ipſi præſtare nequeunt, ac ne cogitare quidem poſſunt, illi præſtant facillimè: Sic quodcunque impoſſibile eſt hominibus, id facillimum Deo, imò uerò nõ ſic, quia maiore interuallo diſtat ab hominibus Deus, quàm inter homines ab imperitis periti, & à pueris uiri. Occurrat igitur

illud de reſurrectione cogitantibus non fieri illam humana ui, ſed diuina, quæ ſpecimen ſui præbuit in condendo hoc opere uniuerſo, quo continemur in creandis cunctis animantibus, quæ uidemus. Simon magus, qui baptiſmo ſuſcepto crediderat, poſtea à fide deſciuerat, contendit Romæ cum Apoſtolis Petro & Paulo reſurrectionem mortuorum prædicantibus, nec contendit modò uerbis, ſed etiam libris ſuper ea re editis. Verùm ut Dionyſius tradit in libro diuinorum nominum, dementiſſimè ſentiebat, quamuis ſapientem ſe exiſtimaret: non enim oportecum, qui rectè ſentiat, manifeſta ſenſuum ratione pugnare contra omnipotentiſſimam rerum cauſſam, ſed omnia ei concedere, ubi de uoluntate non dubitatur. Eſt reſurrectio quidem mortuorum contra naturam hanc ſcilicet rebus creatis inditam, ſed non contra diuinam naturam: ipſi enim nihil contrarium. Habet reſurrectio ſufficientem ſui demonſtrationem, immenſam ſcilicet promittentis poteſtatem. Omnes inimicos Chriſtus ſuis ſubijciet pedibus, ſiue homines ſint hi, ſiue Dæmones, omnes perduelles domabit: nouiſſimum autem omnium hoſtem mortem deſtruet. Enimuerò animi non impiorum modò, ſed illorum quoque, qui ſplendidè uicerunt mundum, & nunc fœliciter cum Chriſto regnant, mortuorum hominum ſunt, nullus inuenitur, qui non ſpoliatus fuerit corpore, quem denique mors non uicerit; omnes tyrannidi adhuc mortis ſubiiciuntur, hanc proſternet, euellet, diſſipabit Chriſtus redditis unicuique propriis corporibus. Sic hoſtis hoſtem glorioſè uincit, ubi illum iugulans ſpolia ante amiſſa recipit. Poterat Chriſtus mortem ſiſtere, eiusque curſum frœnare, & efficere ne quenquam poſt eius crucem attingeret, ſed quò magnificentior ſplendidiorque foret uictoria, permiſſa eſt mors abſorbere omne mortale genus, ut ſic deinceps ex eius rictu omnes eruerentur. Maioris enim uirtutis iam ab hoſte captum atque detentum ſe explicare, proſternereque iam uictorem, quàm intra pſæſidia caſtrorum ſtantem, aut loco tuto ſe tenentem incolumitate potiri. Peccatum Adæ corporis mortem (ſicut noſtis) cunctis intulit. Hoc peccatum quum Chriſtus morte ſua deleuiſſet, tandem mortem quoque, ut opus ipſius peccati ſoluet, nec plus Adæ peccatum, quàm ſui gratiam ualere patietur, ergo reſurgent pii & impii receptis ſuis corporibus: ſed pii ad præmia, impii ad pœnas: licebit his, qui uocati ſunt ad æternam uitam, illo die ſplendidè exclamare, Vbi eſt mors uictoria tua? Vbi ſtimulus tuus? Chriſti morte mortua es ò mors, certè iam in nos nihil habes imperii, non iam amplius tui iuris ſumus. Et ita quidem noſtra habent ſe dogmata. Quòd ſi ad Philoſophos ueteres res reuocatur, eorumque iudicio ſtandum aſſeueratur, dico id fieri minus oportere, quoniam illos à diuinorum myſteriorum cognitione procul poſitos fuiſſe ſcimus: & nihilominus ſi humanam conſulamus rationem, probabile magis, quod à nobis, quàm quod ab illis dicitur, uideri debet. Excellentiſſima auctoritate inter Philoſophos Pythagoram & Platonem fuiſſe conſtat, & poſteriores

riores, qui horum diſciplinam tenuerunt: reliqui horum ſplendore obſcurantur. Iſti animos hominum poſt mortem elapſis aliquot annorum ſpacijs aſſeuerarunt reuolui in alia corpora atque alia, non hominum modo, ſed etiam beſtiarum, & hunc circuitum aſſiduè procedere, ut ex uiuentibus fiant mortui, & ex mortuis uiuentes. Suſcipiunt iſti iſti in hoc quæſtionis genere, id quod difficillimum eſt animos ſcilicet reuerti ad corpora, reliquum eſt, ut diſcutiamus hoc ſuſcepto, utrum credibilius ſit reuerti eos ad propria ſemel, an multoties in aliena. Sed quis tam mentis inops, ut non uideat concedendum magis eſſe, ut ſuum, quod depoſuerant repetant, & regrediantur unde diſceſſerant, quàm ut quicquam noui moliantur, idque honeſtius, ideo potius credi debere, præſertim quod hoc diuina oracula, illud ora protulerunt humana. Ariſtotelici hanc corporum reſurrectionem nulla ratione concoquere ualent. Putant neceſſariò conſequi: mortuus eſt, igitur non reuiuiſcent, quoniam à priuatione non ſit reditus ad habitum. O' ſtultitiam ſingularem, hoc argumento contendere aduerſus Deum, qui ſæpius cum per ſanctos ſuos multos, tum per Dominum Ieſum cæcis uiſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, & mortuis demum (ſi hoc audire expectant) uitam reddidit. Prælusit ille (ut mihi iam uidetur) reſurrectioni omnium futuræ, dum quoſdam è mortali hac uita elapſos in eandem reſtituit uitam, & priſtinum eis munus reſignauit. Mortuum (inquit) ſemel eſt corpus, ideo non reſurget, imò niſi mortuum fuerit, non reſurget exemplo frumenti, de quo antea dictum eſt, quod in terras ſparſum moriatur prius neceſſe eſt, ut in lætam ſegetem reſurgat. Memini, quòd quum olim adoleſcens, de his, quæ in fide traduntur, uerba facerem cum Ariſtotelico quodam homine erudito & prudenti, dixit ille nobilem, grauem, elegantem ſententiam, dignam, quæ in quolibet conuentu audiatur, ideo eam uobis notam eſſe cupio: Dixit enim non oportere, nec debere, nec fieri omnino poſſe, ut ad fidei myſteria naturales rationes adducantur: proprijs enim & ſuis argumentis unamquanque rem eſſe exquirendam & demonſtrandam. Hæc autem diuina, quæ à mortalium ſenſibus poſita ſunt procul, percipi & cognoſci diuinitus uel applicatione puræ & caſtæ mentis ad Deum, uel ſacræ ſcripturæ teſtimonio, quæ prodita fuit ad tardiores quoſque edocendos. Quicquid illic tradatur de Deo qualecunque ſit, id pro certo tenendum, quoniam nihil refert utrum Deus loquatur, an is, qui Dei correptus fuerit ſpiritu. Deum autem pro arbitrio quæcunque commouere, flectere, inuertere, qui omnia condidit, cunctis inſidet rebus, qui de ſe uniuerſa pendentia uidet. Ad hunc modum, quem ſolidum eſſe & uerum & germanum cenſebat, dixit fidei dogmata inueſtiganda, errare autem & delirare, obliquoque & deuio itinere progredi, quicunque his manufactis ad illa uolunt deuenire, poſſumus tamen, (inquit) in his etiam diuinis naturæ pariter adhibere ſignificationes, ſicut doctiſſimi olim patres fecerunt, ſed non ut illis innitamur, uerùm

quò facilius ueluti quibuſdam gradibus ſcandentes ad maxima illa tollamur. Inſunt nanque in rebus his creatis ſimilitudines quædam diuinorum illorum myſteriorum, ſed rudes & impolitæ, & imperfectæ denique, uerùm ab his imperfectis ad perfectiſſima illa ſcandere ualemus,nam ſi in naturalium rerum progreſſu mira quædam effici ſæpius cernimus, quid de diuinis exiſtimandum? Hæc illum dixiſſe memini, mihiq́ue perſuaſit, etenim neminem noſtrum ad tam diuina tamq́ue altè petita myſteria per ſomnum euehi poſſe, aut quòd de Ganimede Poëtæ tradunt, raptu Aquilæ conuolare perſpicuum eſt. Opus eſt proiecto corpore, contemptisq́ue terrenis aſſiduè meditari diuina, hisq́ue toto ſeruire pectore, demum diuino numine afflari, ſic forſitan ea per nos ipſos inſpicere quoquomodo poſſemus. Si tales ſumus, rectè eſt, ſin aliter, habenda his fides, qui inſpexerunt, ne incredulitatispœnas luamus, quæ enim excuſatio obtendi poterit?Nos de his, quæ longinquis in oris poſita non conſpeximus ipſi,aliis credimus, qui uiderunt, & quamuis ſint talia, quæ à regionis conſuetudine procul abhorreant, adhuc tamen talibus fidem noſtram mandare æquum putamus, nec ſolùm noſtrorum, ſed etiam alienorum corporum ſenſibus plurimum ſcientiæ noſtræ additum fatemur, quid de his, quæ animis ſentiuntur: eſt enim etiam illis ſuus ſenſus, unde ſententia nomen accepit, nonne ſanctos uiros audiemus? quorũ mentes diuino colluſtratæ lumine illa maxima & admirabilia perſpexerunt, nec perſpexerunt tantùm, ſed ſicuti ſolent orbem peragrantes, quæ noua & ſingularia penès exteras nationes apprehenderunt, ſcripto perſequi, & memori manu notare, ſic illi, quæ flante Deo acceperant, uel in illo clariſſimo uniuerſitatis ſpeculo deprehenderant,literis mandauerũt. Reſurrectionem corporum Prophetæ prædixerunt, Apoſtoli prædicauerunt, quin Chriſtus ipſe pollicitus eſt: Illud uerò iam opus non uerba, quòd prior ipſe exempli gratia reſurrexit, & cum eo unà plures. Hæc ſacris mandata literis credere dubitamus? ſi teſtimonia hominum accipimus, quantò magis diuina, quæ grauiora firmioraq́ue ſunt? quòd ſi de præteritis futura æſtimare uolumus, ſicut illa iam impleta ſunt, ita & iſta implebuntur. Quicquid ad Chriſti conceptum, natale, uitam, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem pertinet, prædictum eſt antea & impletum credimus;prædicta ſunt eccleſiæ tempora,quòd reges & populos primùm iratos haberet, mox fauentes. Vtrunque impleuit, & Martyrum infinita pœna, & quæ ſequuta eſt orbis ad fidem conuerſio, prior ætas pro idolis aduerſus Chriſtum, poſterior pro Chriſto aduerſus idola pugnauit. Non tacuerunt prophetæ, quòd eccleſia domeſtica hæreticorum ſeditione laboraret, quod nunc etiam fieri oculata tenemus fide,prædicta quoq; corporum reſurrectio in mundi clauſula, uenturumq́ue iudicium, quo digna dignis tribuentur: & boni bene, mali malè excipientur: tam id nõ deerit, quàm nec priora defuerunt. Si quidem eiuſdem ſpiritus afflatu pronuntiata ſunt omnia. Ergo reſurrectionem corporum crediderunt,

qui

qui nos præceſſerunt fideles, & credimus, qui nunc ſumus, & credent poſtmodum, qui conſequentur. Hæc reſurrectio credita effecit, ut minus timerent Martyres in eculeos, in ardentes laminas, in ungues ferreos, in flammas, in cruces, in quoſlibet demum cruciatus ire. Videbant enim ſantiſſimi illi, nunc etiam fœliciſſimi, quò d corpus proprium, quod tunc patebat ad laniatum carnifici, aliquando reciperent, non incolume modò, uerùm etiam grandi dote ornatum, & eò ornatius, quò tetriora fidei cauſſa perferrent. Huius reſurrectionis fides illud etiam præſtat, ne in chariſſimorum morte nimio mœrore defluamus. Quis ueſtrum non aliquem ſibi chariſſimum defunctum eluxit? Hic parentes, propinquum alius, alius amicum: nemo non alicui morienti lacrymas doloremq́ue ſuum præſtitit, atque haud ſcio an non rectè: non enim amiſiſtis, ſed breui temporis curriculo à uobis dimiſiſtis. Noſtis nanque animos noſtros poſt mortem ſupereſſe, & immortales manere. Caro eadem illis aliquando reponetur, ita, ut nihil deſideretur. Quamobrem eoſdem habebitis, eoſdem ſuis rigentes neruis, propria obductos cute uidebitis. Non enim mors corpus occidit, ſed medium tantùm quoddam ſpacium occupans priorem eius futuramq́ue uitam diſcriminat, quaſi ſomnus quidam nocturnus inter heſternum craſtinumq́ue diem coniectus. Itaque inualuit in eccleſia conſuetudo de ſacris ducta literis, eos, qui de hac uita deceſſerunt, dormientium uocare nomine, quaſi iterum cum corporibus ad uigiliam alteram ſuſcitandi ſint. Gentes quoque olim de mortuis pari ſermone utebantur, ut dicerent eos ſomnum cœpiſſe; ſed eum unicum atque perpetuum: non enim reſurrectionem expectabant. Tale illud eſt. quod legitur penès Virgilium.

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Et apud Horatium illud quoque lego.

Ergo Quintilium perpetuus ſopor Vrget.

Rurſus alius Poëta cecinit

Nox eſt omnibus una dormienda,

Huiuſmodi plura in Gentium literis reperiuntur, quæ tamen minus propriè ab illis dicuntur, nam ſi nulla eſt corporum reſurrectio, & erepti ſemel ſenſus corporis nunquam reſtituuntur, non eſt dicendum homines in morte obdormiſcere, ſed animo tantùm ſuperſtite animal ipſum concidiſſe: ſed ſi ad proprium redditurus eſt corpus quicunque hinc à nobis diſceſſerit cum immortali animo, ita ut priſtino more copulatus uigeat & ſentiat, tunc uerè exiſtimandus ille non occubuiſſe moriens, ſed dormiſſe, tanquam ſenſus corporis non fuerint ei erepti, ſed ueluti ſomno intercepti, & conſopiti. Hinc Saluator in Euangelio, de puella mox ſuſcitanda dicebat: Non eſt mortua puella, ſed dormit. Eadem ſignificatione dixit. Lazarus amicus noſter dormit, ſed uado, ut à ſomno excitem eum. Apoſtolus Paulus, idem quod ipſe nunc proponebam perſequens,

cenſet non eſſe lugendos mortuos ob ſpem reſurrectionis, eosq́ue dormientes uocat. Nolo (inquit) ignorare uos fratres de dormientibus, ne contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent: Hæc in epiſtola priore ad Theſſalonicenſes. Alijs locis paſſim uocat mortuos ſub dormientium nomine. Et Chriſtum appellat primitias dormientium in reſurrectionis myſterio, quòd primus omnium reſurrexit. Intereſt tamen inter hunc ſomnum & uigiliam, quam quotidie induimus, & id quod tunc fiet, quoniam hæc duo nunc alternant, & ſibi ipſis inuicem ſuccedunt: nam de ſomno ad uigiliam, & de uigilia ad ſomnum tranſimus; at ubi ſemel cum corpore reuiuiſcere, & reuigilare (ut ſic dicam) cœperimus, nunquam deinceps amplius dormiemus. Vos igitur ad ſepulchra adhuc flebitis? non facietis, ſi memineritis illa eſſe cellaria, è quibus chariſſimorum rediuiua corpora proferentur. Hoc ſic habere, uel unum illud, quod circa Iob geſtum eſt, acutè cernenti oſtendit: nam quum huic uiro Deus ob ſingularem patientiam eorum, quæ antea poſſederat, duplicia omnia reddidiſſet, oues, camelos, boues, aſinos, & reliqua, filiorum tamen numerum non duplicauit, ſed eundem reſtituit, quaſi quos prius habuerat non amiſiſſet, ſed ad reſurrectionem præmiſiſſet. Nemo tamen exiſtimet commnni uita tunc uiuendum eſſe, & unicuique ad lares proprios & ſua ueluti poſtlimnio quodam eſſe repedandum, ſicut olim in terra Mediolanenſi contigiſſe dicitur, nam illic quidam lætali ægritudine detentus, quum impelleretur à Monachis, ut propriam domum eorũ eccleſiæ legaret, negauit ſe facturum, quia nollet, quum reſurgeret aliena tecta, mercede habitare. Hæc ille aut credidit, aut finxit crediſſe, cum ſummo omnium, qui aderant riſu. Quando igitur hæc fiet reſurrectio? quid'ue tunc agetur? Non obſcurum eſt id euenturum in ipſa penè temporum concluſione, quandoquidem non multò poſt uniuerſus hic rerum ſtatus, totusq́ue mundus, uelut rogo illatus ardore deflagrabit, tunc uiuorum & mortuorum Iudex Apoſtolico Senatu comitante Chriſtus ſedebit. Illo tempore, quum reſurrectio corporum deſinet mira uideri, quoniam æquè omnibus continget, ad beatiſſima cœlorum præmia iuſti & pij uocabuntur, reliqui impij, nocentes, qui aut in ſe, aut in alterum, aut in eum, quem ſibi iratiſſimum præſentem facinorum uindicem uidebunt Deum, iniuſti quicquam perpetrauerint: nec ea crimina pœnitendo deleuerint, æternis flammis incendijsq́ue tradentur. Dubitate etiam nunc ſi poteſtis reſurrectionem futuram, nam quum ad diuinum iudicium uniuerſis ſpectantibus progredi neceſſe ſit, nonne idem homo exhiberi debebit? equidem quum nouiſſimum illud tempus ante oculos pono, exhorreſco: fiet enim tunc acerrima diſcuſſio de ſingulorum factis atque dictis: non enim quæretur, utrum huius urbis domus, quas ueluti teſtas quaſdam ad nos contegendum compegimus, ſaluæ futuræ ſint, ſed figulus ipſe rebus omnibus nudatus in extremum diſcrimen pertrahetur: ne illud quidem poſcemur, ut dicamus, cur cœ-

lum

lum contrario motu aliter atque aſtra feratur. Cur flumina perpetuo curſu manantia, per multa terrarum ſpacia in mare deinceps omnia tanquã in immenſum laticum quendam uentrem diffundantur: quæ ſidera in cœlo, feræ in ſyluis uoluantur. Illud dicendum potius quàm pij, quàm religioſi fuerimus, quot pereclitantes fame ſaturos dimiſerimus, quot teximus nudos, quot collegimus uagantes, quot ſubleuauimus iacentes quot demum egenos opis & conſilij, fraterna charitate recreauimus.
Multa nũc honorant, quæ tunc forſitã grauiter premẽt, ueluti diuitiæ, genus, amicorũ cunei, populi fauor, magiſtratus, imperia, ingenij uis, memoriæ fœlicitas, doctrina ingẽs, & exũdans eloquentiæ fons, hæc inquã tunc fortè lædant, quibus nunc iuuari uidemur, quia uel ea malè cœperimus, uel non ita uſi fuerimus, ut oportebat, & diuina eloquia flagitabant.
An putatis, quòd in illa turba gloriabuntur ſic homines? Ego in ſæculo agens tot iugera terræ poſſedi. Alius, at ego Philoſophus excellens. Tertius, at ego, quod ſuperat omnia: Pontifex maximus fui. Nemo hæc pro ſe efferet, niſi dum haberet, ſpectauerit in his, & Dei laudem, à quo ſuſcepit, & hominum ſalutem, quibus auxiliari tenebatur. Olim fuere multi, & nunc forſitan ſunt nonnulli, qui diuinam de rebus auferũt prouidentiam, uel de ea malè exiſtimant, dum uident manſuetè, & caſtè & iuſtè uiuentes calumnijs premi, inuadi, torqueri, diripi, lacerari, & eorum plurimos uix neceſſarium uictum habere; ſæpe etiam morbo longo & graui macerari, & demum omni carere ſubſidio. Et è diuerſo maleficos & pollutos homines planeque flagitioſos affluere diuitijs, deliciari, nitidis ueſtibus amiciri, longam clientulorum cateruam poſt ſe trahere, magiſtratus gerere, multa à regibus dona pruilegiaque referre. Hæc ubi uiderint, indignabundi exclamant. Vbi nunc eſt prouidentia illa? Vbi iuſtum iudicium? Sobrius & innocens malè agit, intemperans & ſceleſtus fœliciter. Hic uenerationi eſt omnibus, ille contemnitur, hic uarijs fruitur uoluptatibus, ille ſummis affligitur angoribus. Horum omnium ſic clamantium ora obſtruit ſupremus ille reſurrectionis dies, in quo & lætiſſimis iuſti præmijs, & triſtiſſimis iniuſti afficientur ſupplicijs. Non enim res humanæ æſtimandæ ſunt ſolùm ex his, quæ in hac uita contingunt, ſed ex illis multò magis, quæ in altera, propterea quòd diuturnior eſt, uel potius fine omni carebit. Præſentia ſunt iuſtis uiris certamen & ueluti ſtadium quoddam angoris luctuſque pleniſſimum. Futura uerò, quæ? nihil tale, ſed horum contraria, præmia, coronæ, gaudia, honores. Itaque oportet illos ut athletas hîc & in ſudore, & puluere, & æſtu multo, & uarijs in laboribus ærumniſque uitam agitare, & cuncta perferre uiriliter; exiſtimantes pro his immenſa ſibi repoſita fore munera & ſtemmata. Si quos uerò impiorum conturbat præſens & momentanea fœlicitas, hi perpendant quales & quantas in poſterum daturi ſunt pœnas. Enimuero & hîc uidemus fures, latrones, ſiccarios, falſarios, prædones, antequam ad Iudicem trahantur, multis perfrui delicijs iam locupletes &

abun-

abundantes ex aliorum calamitatibus effecti: at ubi uincti audiunt Iudicis ſententiam, & extrema excipiunt ſupplicia, miſeros illos & infœlices iudicamus. Sic qui nunc uidentur fœliciter agere impiè uiuentes, ubi unigenitus ſederit Dei filius nouiſſimo die, cunctoſque mortales ante illud horribile tribunal adducet: cernemus iſtos falſa nunc fœlicitatis opinione corruptos, ſummis calamitatibus ærumniſque premi, dum cunctorum exortes bonorum in flammas proiicientur ſempiternas. Nemo unquam extitit tam uehemens diuinæ prouidētiæ accuſator, qui non apertiſſimè tunc intelligat cuncta conſilio gubernari, quum uiderit rectiſſimo iudicio & iuſtos poſt graue certamen coronari, & impios poſt illicitas uoluptates affligi. Hoc præſtat cuique nunc intelligere, ut iam uideat, quid magis expediat, & ſimul ne audeat impium quicquam aduerſus Deum proferre: nam rem factam ſtultus etiam intelligit, tunc quum nihil admodum prodeſt intellexiſſe. Illud uerò egregium, quod nihil omnino latebit eorum, quæ aut ritè aut perperam dicta fuerint, geſta, cogitata, palàm erunt omnia, etiam illa, quæ in tenebris & ſolitudine tractantur. Quid ita? quia non peregrina aduerſus nos proferentur teſtimonia, ſed nudati ipſi ante omnium ora ſiſtemur, unuſquiſque conſcientia ſua tantùm pro tegmine quodam utetur: non uacabit tunc alia de re diſceptare aut alteri ſuffragari: cauſſam inſpiciet quilibet propriam, & de ea ſolicitus erit. De Iudice dictum eſt: Iudicabit enim iſte reſurrectionis noſtræ auctor, & qui in ipſa reſurrectione nos tam longè præceſſit, demum, qui & homo pariter et Deus eſt, cuius ſanè iudicium nemo aut pecunia corrumpet, aut acumine circunueniet, aut mendacio fallet, aut ui perfringet. O miſeros illos, & pluſquam dici poteſt miſeros, quos premet conſcientia ſui ipſius accuſatrix. Illo ſupremi Iudicii die miſeri illi & infœlices fugient uultum iratiſſimi Iudicis, nec tamen effugient; nihil erit in illis, quod non horrore, formidine, trepidatione quatiatur, nuſquam conſiſtere poterunt, pauebunt undique: ne furorem quidem diuinæ iræ, quo torquebuntur, audebunt deprecari, ac ne optare quidem, ut remittatur. Quid deinceps fiet, quum Iudicis tanti ore in loca ultima, tetra, formidoloſa detrudentur præmij loco pro facinoribus ſuſceptis? ubi uberrimi fletus & lamenta ſonant immenſi doloris, ubi ſupplicia nec modum nec tempus norunt, ubi nulla fatigatio, nec tormenta, nec tortores tenet, nec tortus deficit: quid hîc aliud, quis dixerit, niſi in uita illa mortem eſſe acerbiſſimam, morte tamen carentem. Hoc triſte eſt & ſeuerum quoddā orationis genus, quo forſitan tam læto & celebri die uti non debui: quanquam nō omnia protuli, quæ infœlices peccatores in infernis perferrēt, nam uel illud peſſimè eos uret, quòd uidebunt ſe à conſpectu Dei longè latèque proiectos uero bono caruiſſe & in æternum carendum eſſe. Sed iam deſino. Illud admoneo ſic fingendos nunc mores & componendam uitam, ut non quolibet reſurgentes, ſed non niſi in bonorum grege collocemur: hoc enim ualet non ſolùm ad fugiendum moleſtiſſima illa, ue-

rùm

rùm etiam ad aſſequendum beatiſſima. Nam ſi in bonorum parte ſteterimus, illud primùm aderit, quòd uenientem Iudicem non modò non metuemus, ſed inter nubes ſublati tenuatis corporibus in occurſum eius ueniemus. Attendite nunc & conſiderate, ut inualidus & imbecillus humani corporis ſit ſtatus: quem morbus deijcit, uis & ferrum labefactat, mors diripit, labor atterit, dolor affligit, fames ac ſitis aſſiduè uexat, ipſa denique dies poſt medium ætatis culmen imminuit, ac per ſingula penè carpit momenta. quid hæc craſſitudo terrena, num mediocriter in corporibus offendit? quæ ab omni luce muta, tarditatem motus conſequuta, in imum deprimit, ut nos, quorum gratia hic mundus & cœleſtis ignium ornatus effectus eſt, ne ſideribus quidem, quantùm ad corpora attinet, ſimus pares, quæ immenſo fulgore nitida & leuitate ipſa ſublimia incredibili celeritate mouentur. At Beatorum corpora ubi conſurgent, ſi ſplendorem quærimus, ſole ipſo lucidiora, ſi ſubtilitatem, uim aſſequentur ſubtiliſſimorum corporum; ita nec erunt oneri, & per quælibet denſa facillimè introrumpent, quid dicam de agilitate, propter quam penè ſubitò, ac penè ſine temporis interuallo uniuerſum cœli ambitum tranſmittent, ut ſtultum ſit tigridis curſum, ſagittarũ auiumque uolatum, & ſi quid his fugacius, conferre. Ad hæc nihil laborioſum, nihil aſperum, nihil contumelioſum patientur, nec ullo cibo potu'ue egebunt, quo corporis ruina fulciatur, quia incorruptibile fuerit & immutabile, animi tantùm noſtri cibum & potum requirent, qui fuerit illis in Deo paratiſſimus, hoc reficientur, de hoc uluptatis fonte potabunt. Non celebrabuntur nuptiæ, quia nulla noua proles ſupponenda fuerit nemine moriente, & omni humani generis numero ad ſuã ſummã perducto. Poſtremò nulla intercurret uetuſtas, quæ pulcherrimus corporum illorum ornatus dilapſus occidat. Illa erunt corpora cœli digna habitaculo, illo ſe gaudebit animus domicilio collocari. Eſt natura quidem inſitus amor nobis erga corpus, isque minimè nequit auelli, adeò ut ſanctorũ animi Dei intuitu iam beati adhuc appetant carni ſuæ ſociari, illiusque ueluti reddito connubio lætitiam ſuam perfici. Nunc uerò quis noſtrum odio corpus ſuum proſequitur? Non enim ſi minus illi indulgemus, & laboribus aſſuefacimus, id ullo fit odio, ſed ut corpus ipſum obſequijs animi reddamus habilius, quòd ſi etiam ſunt, qui dicant ſe malle omnino carere corpore: ij non ſentiunt, quod loquuntur: non enim corpus, ſed imbecillitatem huius & grauitatem deteſtantur. nam ſi interrogarentur an corpus agile, nullis obnoxium offenſionibus habere uelint, ſcio, clamabunt omnes id eſſe, quod optabant, tale autem reſurgentes habebimus in iuſtorum partem traſlati, quale ne poſſemus nũc quidem uoto melius optare & ſermone fœlicius depingere. Vidi pleroſque mirari corpus cuiuſdam mulieris, quaſi omnem pulchritudinis legem teneret. Tale olim Venus habuiſſe dicitur, quòd quum Momus culpare non poſſet, ne tamen & ipſa ſine reprehenſionis morſu diſcederet,

eius

eius fertur culpaſſe ſandalium. Helenam Iouis & Ledæ filiam tradunt fabulæ mulierum omnium fuiſſe pulcherrimam, ut meritò propter tantam pulchritudinem Aſia atque Europa uenerint in certamen, diutinoque bello conflixerint. Sed quid hæc pulchritudo ad illam, quam iuſtorum recipient corpora illo ipſo reſurrectionis ſuæ die? Non'ne quicquid pulchritudinis hîc in corpore haberi poteſt, uile erit & exiguum, & turpe quodammodo, ſi ad ingentem illam beatorum corporum pulchritudinem cōferatur? Si cui pulchritudo curæ eſt corporum, iſtam præuidere animo & proſpectare debet, & dare operam diuinis parendo nunc mandatis, ut poſtmodum reſurgens in ſe ipſo aſſequatur: non enim magnum eſt aliena mirari bona, ſed magnum, ipſum ea poſſidere. Rectè loquutus eſt, quicunque dixit, omnia diligentibus Deum cooperari in bonum. Corpus mortale, quale nunc nos gerimus, & ſi ſit oneri, adiuuat tamen gloriam noſtram, dum in tali corpore uirtutis opera exercemus: mortuum nihil uiuat, ſed exonerat animum, quem premebat, ſuſcitatum delectabit, nec amplius oneri erit: nam regentis animi imperio facilè obſequetur. Sunt nonnulli, qui in propoſita reſurrectionis materia quæſtionibus ſe ſe inuoluunt & impediunt. Quomodo (inquiunt) infantes, qui deceſſerint? Quomodo iuuenes? quomodo ſenes reſurgent? an una in ætate omnes? Ergo recipiunt aliud, quàm quòd fuerunt, uel ſi in diuerſis reſurgunt ætatibus, erit in infantibus & ſenibus aliquid infœlicitatis. Dicendum his ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, quòd in ætate perfecta erit reſurrectio, pulcherrima nanque futura ſunt Beatorum corpora quemadmodum dictum eſt. Nihil indecens his fuerit aut ineptum, quin ſi qua antea fuiſſet deformitas, hæc auferetur, nec dici poteſt recipere eos aliud, quàm fuerunt, ſi qui in infantia uel ſenectute diſceſſerint, in iuuentute reſurgent, quoniam ſenes iam antea iuuentute fuiſſe conſtat. Infantibus quoque aderat iuſta illa ætatis magnitudo ueluti in ſemine, licèt nondum per articulos temporis euoluta. Quo præterea (inquiunt) dentes ſi nihil cibi molendum? quò ſtomachus ſi nil concoquendum? quo genitalia ſi matrimonia non ineunda & proles non ſuſcipienda? quaſi uerò non præmij id ſit loco, quòd is membrorum officijs carebimus, quæ nunc etiam multi probi uiri nituntur non implere, uacantes ieiuniis & caſtitati. Nec exiſtimandum ea corporis membra fore ſuperflua, quæ faciunt ad uitam & figuram humani corporis: nam eos etiam, quibus execta ſunt genitalia minus habere ſpiritus, & uigoris, & facilius extingui perſpicuum. Quærunt quid opus ſit dentibus, ſtomacho, inteſtinis, genitalibus, ſi neque cibis, neque concubitu utemur? Ego contrà quæro, quid opus fuerit cibis & concubitu, ſi reſurgent incorrupta corpora, & iuſtam ſortita magnitudinem, & humanum genus quoto numero conſtare debuit, hunc fuerit aſſequutum: ut delectemur (inquit aliquis) atque ita his delectationibus beatitudo illa perficiatur: hoc nimirum eſt illud, quod hanc pugnam commouit, quia plerique nimis corporis ſenſibus dediti ſumus, & nullas

ferè

ferè nouimus uoluptates præter eas, quas corpore percipimus, in quibus hæc ciborum & uenereorum uoluptates præcipuum obtinent locum. Quapropter Iudæi & Sarraceni harum uoluptatum copiam reſurgentibus ſuis pleno ore proponunt. Nihil de uanitate huius ſententiæ dicam, niſi quòd ridiculum eſt quærere corporeas oblectationes, in quibus nobiſcum animalia bruta communicant: ubi expectantur maximæ aliæ uoluptates, quæ nobis cum Angelis fuerint communes. non enim etiam Angelos imperfecta dicent frui beatitudine, propterea quòd careant uoluptatibus, quas ſenſus corporei miniſtrant: certè melior & ordinatior uita eſſe debet illorum Beatorum, quàm ea, quæ hîc ducitur. At uitioſum eſt nunc cibum uel concubitum ob ſolam oblectationem, ac nõ alterum petere corporis ſuſtentandi, alterum prolis ſubſtituendæ gratia: natura enim his in rebus, quæ neceſſitas uitæ huius requirit, uoluptatem immiſit, ut hac illecti agamus quæcunque agenda ſunt in talibus, non autem ea nos agere uoluit, ut uoluptuemur. Et ut ſummatim dicam harum rerum actio non inſtituta fuit propter uoluptatem, ſed uoluptas propter actionem. Itaque temperantiæ uirtus in his elucet, qui abſtinent ab eſcis & uenereis, nec plus appetunt quàm quantùm fas ratioque permittit, quòd ſi ita abſtinemus tanquam hæc altero in ſæculo habituri copioſius & paratius, iam nulla eſſet uirtus temperantia, uel non eſſet ſyncera uirtus ſi quidem hac ratione & impudica caſtitas, & guloſa eſſent ieiunia. Et de his quidem ſatis. Vellem datam mihi fuiſſe longiorem temporis moram perſcrutarer omnes quæſtionum ſinus, diſcuterem libenter ſingula & pro uiribus explicarem. Nunc miſſa facio, ne abuti uidear aurium ueſtrarum facilitate. Multa enim iam dicta ſunt, uidendumque, ne tædio ſit orationis prolixitas, ſed quicunque hæc & talia quædam (incidunt, ut uerè fatear, in quæſtionibus plurima) ſcire expetit, ne in errorem dilabatur, aut hæreſim, ne'ue animum ſuum in rebus leuioribus agnitum ad hæc excutienda minorem incaſſum delaſſet: Theologos cenſeo adeat, qui nimis acri ſtudio hæc ſibi inueſtiganda duxerunt, quibus etiam multa diuinitus innocuerunt. Non enim hæc tanta humani ingenij luce perſpici poſſunt, & tam multa ambiguè & obſcurè in ſacris literis elata ſunt, ut non mediocrem curam, diligentiamque requirant. Atque ego haud ſum neſcius, quia initio orationis meæ dixerim omni iucunditate hunc diem eſſe celebrandum, quin multi domum reuerſi obruant ſe uino & epulis, præſertim quòd tam diu à carnium eſu abſtinuerunt, atque ita accipiant ſe iucundè uixiſſe, perinde atque illi, qui quum ornatè intellexerint procedendum eſſe feſto die, auro atque purpura nunc fulgent, quaſi uerò magnum ſit ornari eo, quo & ſimulachra manufacta teguntur, & parietes ueſtiuntur. Verus eſt enim hominis ornatus uirtutum quidam decor, qui in animis poſitus non niſi animo cerni poteſt. Vtinam mortalium oculis pateret, non tam hunc externum & aduentitium quæreremus nitorem, quem & ſi ego non aſpernor, in uiris præſertim ſummæ dignita-

tis, uberioris fortunæ, attamen intelligendum eſt, ſi tam ſacrato die mundi lautique corpore eſſe debemus, id in animis multò potius requiri. Nunc etiam priores illos appello & rogo ne me exiſtiment uentris & gutturis patrocinium ſuſcepiſſe: & ſi iucundè dixerim modo eſſe uiuendum: intelligo enim iucunditatem eſſe ſuauem quandam animi motionem, nihil ſanè ad corporis ſenſus attinentem, quam lætitiam & gaudium & uoluptatem apello, propriè an ſecus, nihil ad nos, neque ad hoc tempus: Grammatici uiderint, quorum eſt ſuperbiſſimum, ne dicam uentoſiſſimum iudicium, qui ne tam bono quidem die à litibus abſtinuerunt: illud inter ſe certantes, an Paſcha uel phaſe dicī debeat, quum tamen apertè diuina ſcriptura multis locis eorum ferulas contemnat, mihi ſatis eſt, quòd uel hoc, uel illo nomine tranſitum ſignificari intelligo, ſiue quia Chriſtus de morte ad uitam tranſierit reſurgendo, ſeu ueteris feſti nomen retinere placuit, quod quum Chriſtus eſt paſſus, celebrabat Iudæorum gens ob eius temporis memoriam, quo Moſe duce Aegyptum Pharaonemque fugiens medium pelagus ſiccis ueſtigijs altrinſecus retentis fluctibus perambulauit, & ad alias orbis partes penetrarit. Rex ipſe Aegyptiorum profugos inſequens eodem pelago coëuntibus rurſus aquis cum uniuerſis copijs interceptus ſæuitiæ & arrogantiæ ſuæ meritas pœnas dedit. Hieronymus autem hoc nomine ab Hebræis factum illud notatum putat, quòd quum Angelus Domini percuteret primogenita Aegyptiorum, uidens tinctas agni ſanguine Iſraëlitarum fores, eos pertranſierit, nec unà cum cæteris percuſſerit, hoc cauſſam nomini dediſſe ille autumat, quod ſacræ quoque nos docent literæ. Habuiſtis per quadrageſimale hoc tempus, quod iam effluxit, diuini uerbi concionatores, homines & religione & ſacra doctrina imbutos, qui ſæpius detonarunt, & aduerſus multorum delicta uelut enſe ſtricto infrenduerunt, ego nihil huiuſmodi nunc facere meditor, audebo tamen uos ardentes, ut ſpero, ad ueram uiuendi normam & rectum uirtutis iter adhortari pro frequenti conſuetudine horum temporum, quibus multi inueniuntur nihil facere & omnia præcipere. Etenim ſi homines muneris huius tuendi gratia natos eſſe & in lucem editos conſtat, ut Deum toto pectore diligant, ueriſſimum bonorum omnium fontem; cur non id implemus, quum id fieri noſtra interſit? & eò magis, quòd ab illo ad hanc præclaram uim amoris excitati ſumus, qui noſtri cauſſa carnem induerit, uerſatus ſit in terris, & aræ crucis ſe ut hoſtiam obtulerit, peccataque gentis ſuſtulerit. Si nos tam mirè dilexit Deus, cur nos malumus amare mundum? ſi amare piget, ſaltem perſpecto illius in nos amoris igne libeat redamare. Ille ſalutem nobis dedit, ſemel cum uniuerſis, quum humanum genus peccato originis oblitum, & Dæmonum conſtrictum cathenis ſupplicio uulneribusque ſuis redemit. Poſtea ſingulis ſæpius atque adeò nuper, quum peccantes, & diuina illius mandata contemnentes, quia ingemuimus, & confeſſi ſumus, reſpexit in gratiamque recepit, neque illorum, quæ

impiè admiſimus memorem fore pollicetur, atque adeò non memorem, ut cœlum etiam daturus ſit. Si pergimus lædere, ſi redemptos adhuc peccare iuuat, quæ tanta improbitatis, turpitudinis, inconſtantiæ poterit eſſe defenſio? Etiam ne cœlum ab illo oblatum recuſamus? O` cœca mortalium pectora. O` Dæmonum artem. Cœlum inquam & antiquam illam ac beatam patriam pãdentem iam ultro limina, & ad ſe ſe uocantem ſpernimus; & his falſis, caducis, mortalibus bonis inhæremus. Nonne etiam hodierno die Chriſtus animi noſtri tecta ſui præſentia luceque inuiſere dignatus eſt, hoſpitemq́ue ſe nobis præbuit? hoſpitem dico? imò & in epulum ſe ipſum dedit. Rem ſanè nouam, atque omnibus ſæculis inauditam: matres pleræq́ue filios, quos in utero laborantes enixæ ſunt, non ſuis, ſed aliarum nutricum uberibus tradunt alendos. Non ſic Dei filius, non ſic, ſed quos ipſe in baptiſmo genuit ſibi filios, hos proprio paſcit corpore & ſanguine, ut eos ſibi quàm maximè coagmentaret. Non illum mouerunt ſordes peccatorum noſtrorum: uenit antea cum peccatoribus mortali in corpore manducare, nunc immortalis factus uenit à peccatoribus manducari. At qui ita uenit manducari, ut ſit idem conuiua & conuiuium: comedens, & comeſtus, comedit nanque is cibus epulatorem ſuum: & non ſe illi, ſed illum ſibi aſſimilem reddit. Hoc eſt purum & immaculatum corpus, quod ſummæ illius diuinitatis eſt particeps, quod in terris agens multa edidit miranda, quod humanum antea mortuum genus uiuificauit, quod inferorum ora abſtruxit, & cœlorum ianuam fidelibus reſerauit. Quanto igitur munere affecti ſumus, quòd id nobis in cibum præbuit? Iam uerò, quòd à mortuis reſurrexit, quid aliud facit, quã quòd monet, ut nos itidem à uitijs reſurgamus. Videte quàm inter hæc non multùm interſit, & ſi non eſt mei propoſiti conferre cauſſas, ſed ille impijs aduerſus patibulum corpore ſuſtinuit; nos grauiorem animorum mortem induimus à uero bono auerſi. Ille exanguis mandatur tumulo, ſatellitibus circunſeſſus armatiſq́ue cuſtodibus. Nos grauitate uitiorum inferno addicti, ab impia Dæmonum multitudine obſeſſi tenemur. Vnũ remedium ſalutis, quod Paulus ad Romanos ſcribens, præcepit, ut omni ueteri nequitia reiecta nouum hominem induamus, & unà cum Chriſto reſurgamus. Antea terrena & mortalia cogitabamus, nunc diuina meditemur, & in diuinis ſemper ſimus, quamq́ue mentem ambitio inflauerat; odium efferauerat, luxuria coinquinauerat, hæc eadem caſtitati, patientiæ, humilitatiq́ue dedatur. Incontinens erat aliquis, nunc eſt pudicus: Auarus, nunc eſt miſericors: Inflatus, nunc humilis: Truculentus, nunc manſuetus. Hic facta eſt reſurrectio, illius ſcilicet futuræ præuia. Sed ita reſurgere conemur, ut nunquam poſt hac cadamus, ideſt peccemus: Stipendia enim peccati mors. Si reſurgemus à peccatorum morte, immortalis ſit hæc reſurrectio, quemadmodum & Chriſtus ad immortalitatem reſurrexit, & noſtris quoque in corporibus immortalis futura eſt reſurrectio. Vbi audimus ab Apoſtolo nouum hominem

induendum, intelligamus multam illic uitæ mutationem magnamq́ue innouationem requiri. Ego ab obſequio ſui ipſius, indulgentiaq́ue diſcedatur. Seruiamus Paradiſi gloriæ, denique nihil æſtimemus antiquius rectitudine & ſanctitate uitæ. Sic imis relictis ſupera petemus. Sic reſurgenti Chriſto aſſociabimur. Sic illo nouiſſimo die corpora, iampridem poſita humiq́ue demandata, mira ſpecie pulchritudineq́ue decorata reducemus. Immortales toti effecti ſumus diuino munere, ſiue animos ſpectare libeat, ſiue corpora, & utrique parti immenſæ dotes additæ, quicquid autē ægri & mali acciderit, id culpa acciderit, propterea quòd iniuſtus terrenorum commodorum amor fœdaq́ue corporis uoluptas ſui ſcabie illexerint, noſq́ue haud repugnantes duxerint ac deprauarint. Aliis gentibus & nationibus ignaris diuiuæ legis, nec reſpicientibus in tanta præmia, quid'uis dicere & facere, facilius conceditur; nec mirandum ſi poſtmodum contingent iis triſtia, quibus extra eccleſiam ſtātibus non eſt ſalus. Populum uerò Chriſti aberrare fas non eſt, quem Dei ſapientia inſtruxit, nec præcipitari ad infera decet, cui ſupernæ regiæ fores patent. Vos autem, qui huc conueniſtis, quos nam dicam? Num animantia rationis expertia? Mentiar. Barbaros? qui poſſum in hac urbe genitos? at infideles? contumelioſum eſſet ita uocare. Contra habetis ſummas, ut opinor, gratias Deo, quòd homines genuerit, quòd in Italia, quòd in fide Chriſti: ſed quid refert, ſi deterius infidelibus, imprudentius Barbaris, immanius beluis uitam agitamus, nec cogitamus quàm fœdum, iniquumq́ue ſit homines natura genitos inhumanos ſcelere inueniri, & fideles Baptiſmo effectos ingenio eſſe infideles, & in Italia natos præter leges fasq́ue agere, & Chriſtiani demum nomine retento Chriſto opere reſignaſſe. Reſurgamus ergo à uitiorum ſepulchro quot quot peccatores ſumus, atque ita duplicis reſurrectionis diem feſtum agitabimus: unius, quæ in animis noſtris, alterius, quæ in beatiſſimo Chriſti obtigerit corpore, bina hæc erunt gaudia, fient trina cogitantibus, quòd reſurrectionem hanc animorum noſtrorum illa poſtmodum glorioſa corporum ſequetur, quæ in extremis mundi huius ruinis, æterno illi & ſpecioſo cœleſti triumpho animos corporaq́ue ſimul conſecrabit; & quia perfectiſſima illa erit reſurrectio, unicus tantùm eius feſtus dies, ſed perpetuus agetur. Sed iam ceſſandum eſt, finisq́ue orationi noſtræ imponendus, ſi prius pauca quædam, quaſi de fama mea dixero. nam ſi antiqui Oratores ingenio maximo præditi, uſu & exercitatione robuſti, & ad forenſis dictionis genus penè facti, quum morralium cauſſas agerent; ſæpe metu exalbuerunt, atque omnibus artubus contremuerunt. Ego, qui non tanta eram peritia, & qui diuina, & quæ in diuinis erant maxima, tractare inſtituebam, iuſtius commoueri debebam, & de rei ipſius euentu animo pendere, ne temere tantam cauſſam, quantam nemo unquam antea populari oratione attigit, ingreſſus uiderer; niſi fortaſſe magis confidere potui, quòd non ut ueteres illi cupiditate laudis, aut alicuius pecunia aut gratia adductus, huc uerba

factùrus

factурus proceſſi:ſed quia & pietati meæ & religioni ueſtræ conuenire credidi, ſi quam materiam huius diei celebritas requirebat, hanc ipſe oratione exponerem, auribusq́ue ueſtris infunderem. Nec me tamen eius latebat profunditas & amplitudo, ſed hoc, quod terrebat, ne tantum munus ſuſciperem, idem, ſi ſuſceptum minus commodè expleſſem, ſpem ueniæ pollicebatur: quod enim magis uenia dignum, quàm ingentia complecti uoluiſſe & nequiuiſſe? Eſt etiam in honeſtis rebus eiſdem magnis conatus probabilis, quamuis ad ſummum non perueniatur, nec ſanè tam læto tempore in tanta animorum ueſtrorum hilaritate quicquam infauſti, ac ſiniſtri à uobis mihi fuerat metuendum, quod etiam re ipſa ſum expertus. Vobis enim magnæ agendæ, maiores etiam habendæ gratiæ, quòd quam diu uolui & potui dicere, me ipſum benignè & diligenter audiſtis. Quæ dicendi poteſtas ſi ſæpius fieret doctoribus uiris, meliora noſceremus, quàm nunc noſcimus: animosq́ue noſtros facilius à uitiorum labe teneremus.

MARCI

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

De fuga ſæculi & religionis ſtudio,

SEV DE CHARITATE DEI,

Ad nouitium monachum.

L I B E R.

QVVM humanæ uitæ curſus bipertito ſindatur, alijs humana, alijs diuina tractantibus, quorum unùm in turba fit, frequentiaque populorum, alterum ſolitudo perſequitur, non poſſum iudicio tuo non eximiè gaudere: qui id poſterius uitæ genus ſequutus es, quod & ſalubrius, & fructuoſius & portuoſius, & quod (ut uerè dicã) dignitate & amplitudine meritorũ maximè antecellit. Nam Ciſtercienſis ordinis Monachus effectus reiecto retrorſum cũ ornatu uano delitijsq; fallacibus ſæculo, iure contempſiſti mortalia, quando immortalitati eras natus: iure affectas cœleſtia, poſtquam terrena tibi non debentur. Quòd ſi in ſæculo elucerent iuſtitia, pietas, fides, religio, continentia, liberalitas, fortitudo, reliquæ uirtutes, laudabile foret te humanis relictis ad diuina contuliſſe. Nunc eò fœlicior, quòd offuſis undique tenebris, dominante latè uitiorum turba, non prudenter tantùm optima ſuſcepiſſe, ſed etiam hæc quæ ſunt peſſima ac prope deplorata, diffugiſſe uideris: qua enim in ciuitate, qua in gente uideas probitati, induſtriæ, pudori, rectis artibus relictum eſſe locum? Non'ne ambitio, ſcelera, fraudes, atque doli uirtutum præmia occupauerunt? quàm immenſam uideas hodie feruere in principibus quibuſdam auaritiam? nec ſolùm ut ſua tenaciſſimè retineant, ita ut nuſquam ullum liberalitatis ueſtigium appareat, quod tamen ipſum quoquo modo concedi poſſit, ſed etiam prædonum in modum rapiunt, quæ poſſunt. Illud facilius toleratu, quòd quæ non poſſunt, fœdo affectu concupiſcunt. Quid non erit illis uenale, penès quos officia omnia & magiſtratus appenſo palàm auro diſtribuuntur. Si Principes tales, quid de comitatu ſperandum eſt? aurum enim ubi imperarit, nunqnam ægre ferret, ſi in eius curia argentum iudicabit. At crudelitas quanta? Non'ne offenſo

offenſo qualibet de cauſſa Principis animo carceres, cathenæ, tormenta ſonant? exilium imminet & publicatio bonorum? Quid de eccleſiarum dicam paſtoribus, quos in ſuis ouibus nihil deceret, niſi paſcua & cubilia meditari, at nonnullos uideas, qui præter lac & lanam in ipſis nihil quærunt: ſed clericorum quoque reperiuntur plures, qui non mediocriter ſtudent numiſmati, nec mirum, admonet crucis imago, quam deuotè complectuntur: eccleſia capere aurum dicitur, non ut teneat, ſed ut eroget, honeſta ſanctio: quid enim honeſtius eſſe poteſt ea lege, quæ clericum iubeat moderato uictu contentum, reliqua in egentium uſum conferre? hanc legem amplectebantur, antiquitus penè omnes, ut non lex illorum hominum eſſe uideretur, ſed temporum, quid nunc? ualet hæc lex penès quoſdam, quos ut in magna laude pono, ſic improbo eos, qui ſacras opes uel cuſtodiunt tenaciter, uel abſumunt turpiter, Hæc quæ dicta ſunt de Pincipibus urbium & eccleſiarum paſtoribus & reliquis Sacerdotibus, non de omnibus dicta intelligi uolo, ſed de quibuſdam duntaxat, ſicut poſui: nec ea de cauſſa ordines inſector, licèt cupiam eos, qui delinquũt ad monitos emendari, cur autem inſecter? Stultum eſt enim ob quorundam delicta totos ordines ſumma ratione inſtitutos exterminari uelle. Non etiam de me quiſquam conqueri poteſt, ſi generaliter uitia carpo: nam generalis ſermo neminem tangit, niſi eum, qui de ſe prius fateatur, & talem ſe eſſe agnoſcat, quod quum fecerit, conuenit ipſi meliora ſectari, non alium accuſare: Denique (ut dicam cum Poëta quodam)

Hunc ſeruare modum noſtri nouere libelli,
Parcere perſonis, dicere de uitijs.

Sed iam iſtis omiſſis ſpectemus reliquos. Vos uos appello Virgunculæ, quæ in teneris adhuc annis crinem fingitis & uultum, & oculorum flagrantiam circunfertis, & libertate ſermonum congaudetis, quæ hæc cura placendi alienis uiris? Cur non pudicos mores potius perſequimini, qui magis placerent incorruptis animis? ſed uos eos non geritis incorruptos, nec habitat in uobis uirgineum pectus, ideo pudorem proieciſti, & ſignificatis inuitas & nolentes pati caſtitatem. Has, quæ inceſtos amores de tenero meditantur ungui, quiſquam credat maritis iura thori intemerata ſeruare? Erat matrum officium imbuere filias optimis & caſtiſſimis moribus: hoc enim non ſolùm eis profuiſſet, uerùm etiam uiris, quibus nupſiſſent: nec ſolùm uiris, ſed etiam liberis, quoniam fieri uix poteſt, ut iuſta ſoboles degeneret à uirtute parentum. Nunc per quot gradus ruina deuoluitur, dum illæ teneræ adhuc & ſequaces ad omnem fingentis habitum malè inſtituuntur. Multa tunc peccant, & hinc magis progrediente ætate, ubi matrimonio fuerint copulatæ. Non illis lex dicta eſt ulla, nec maritus unus, nam eum, qui legitimo nodo copulatus fuerat, uos fide pacta matronæ deſtituitis. Aut enim pretio palàm dato ſuperatis, aut clanculum imponitis, aut in eodem hæſitantem luto contemmnitis. Vidi nonnullas fœcundiores calices uiris ſedulò propinare, quo illos uino deponerent,

rent, & putres oculos ad arbitrium illuderent. Ludus nunc uidetur Virgines conſtruprare, adulterijs nuptas inquinare, quoniam tam crebrò patrantur, ut hæc quodammodo licere exiſtimentur, peccantium multitudo peccandi licentiam ſubminiſtrauit. Vtrum deteſtabilius nudum ambulare, an ſtupra & adulteria committere? nemo dubitat, quin hoc illo peius, & tamen ſponte audet nemo nudus ambulare ignominiam ueritus: ſtupra uerò & adulteria committere audent omnes, nec audent modò, uerùm etiam exoptant. Vnde hæc uarietas? niſi quia conſuetudo nuditatem corporum non admittit, recipit autem ſtupra & adulteria, quæ adeò in quotidiano ſunt more, ut penè pudeat ea non admiſiſſe. Et de his quidem, quæ cum fœminis geruntur, minor querela, ſed maiora portenta ubi mares mutuos in amplexus inardeſcunt, quum inter ipſos nullam natura corporum copulam eſſe uoluiſſet. O` miſeram puberum illorum conditionem, qui maſculi nati fœmineæ ſortis patiuntur uices, & peragunt nihilominus ſecundum id etiam, quod nati ſunt, quomodo hos appellem neſcio, niſi quod ambiguum quiddam in illis cerno. Sunt penès Grammaticos nomina, quæ illi incerti uocant generis, propterea quòd maſculinum & fœmininum ſuſcipiant genus, ſic iſti inter homines in incerto ponendi uidentur genere, utraque ſede proſtantes, & utrobique uerſatiles, dum & auerſi maribus ſuccumbere & aduerſi fœminis incumbere norunt, nec dum tamen ad extremum uenit libidinis ſcabies, quum alia ſuperſint impudicitiæ exempla, tetriora quidem & turpiora, quàm ut pudenti lingua liceat nuncupare. Sed ne diutius ſingulis nimis immorantes prolixiorem edamus tractatum, tendamus ad reliqua. Volo enim iam ſcire, quibus nam artibus diuitiæ comparentur. Licitum eſt iure ciuili contrahentibus ſe inuicem circunuenire, & quod pluris ſit, minoris emere, & quod minoris, pluris uendere: num id tamen officium boni uiri eſt? minimè, imò ne leges quidem id permittunt, ſi calliditate quis & dolo alterius deceptus fuerit, quæ præterea hæc eſt peruerſitas non agere, quod probetur, captare tantùm, ſi in aliquo humanæ leges ocij conſeruandi cauſſa conniueat. Decebat quidem hominem uel hoc ipſo, quòd homo eſſet, non inferre alteri homini iacturam, nolle quicquam iniuſtè in ſe nec in alium admittere: ſed (O` nimis acrem, nimiſque uiolentam diuitiarum cupiditatem, imò uerius. O` nimis ſtultam diuitiarum admirationem) Vix reperies iſta tempeſtate, qui contrahentem ſecum nolit ferri præcipitem, imò qui non in errorem ſi poſſit impellat, nihil iam in hominum commertiis bona fide geritur, nec quid æquum bonumque uelit, ſpectetur; ſed quid in præſens utile apparet, quiſque augere queat rem familiarem. Non pudet humanæ ſocietatis iura diuinaſque ſimul leges uiolare: id naſcitur omne ex immodica (ut dixi) diuitiarum admiratione. nec mirum ſi quicunque conſtituerunt ſibi ſolùm illum finem, ut plurimùm habeant, nihil deinceps referre putant unde habeant. Dicitur mercatorum explorata eſſe fides, attamen quam

quàm multa iſti inculcant mendacia lucelli ſui cauſſa. Si quid appendendum eſt & metiendum, ut in eo ipſo fallunt? Hæc fraudem & fallaciarum germina in tantam eunt latitudinem, ut per ſingula diſcurri nequeat. Quis enim ſingula hominum & artificia & negocia memorarit, etiam ſi mille corda cum totidem linguis habeat? omnibus, qui arripere nequeunt, antiquiſſima ſemper cura fuit fallere: ſi qui autem rapere poſſunt, minus curant callida commenta. Ergo, aut ui, aut fraude res geritur, præterquàm à fœneratore. Nam hic non fallit: non enim diſſimulat improbum ſe quæſtum petere, ſed profitetur, ac ne diſſimulans quidem lateret, uim autem nullo modo adhibet, ut qui de mutuo dando ſoleat rogari, ac ultrò peti, & tamen ob fœnus magnam ad ſe ſe trahit pecuniam, fit celeriter multarum ædium & plurium fundorum dominus. Non locatur nunc quidem argentum mutuum fœnore palàm, uerùm huiuſmodi contractus, ut nihil, aut non multùm differant à fœnore. Emptio, conductio, depoſitum celebrantur, atque inter hæc tam præclara naturæ nomina, dum aliud uerbis agi uidetur, grauiores re ipſa uſuræ extorquentur, & egentium facultates miſerorumque abſorbentur. Ita lepidè ſe rem quærere putant, quaſi uſurarum nomen ac non factum ipſum ſit deteſtabile: quærunt etiam prouidi uiri, qua ratione uſuræ prohibitæ: non enim æquum erat illorum iudicio. Si Euangelica lex præcipit, ſi delapſus in terris Deus illud edidit ueritatis oraculum, gratuitum fieri pecuniæ mutuum oportere: quid quæris amplius? non tanta te cohibet auctoritas, rationem magis flagitas. Quid ergo? tu te hominem arbitraris, qui ex alterius hominis neceſſitate tam auidè prædaris? quantò illud æquius, recipe quod dediſti, nihil amplius, & beneficium tuum incolume maneat. Quòd ſi non tam, quid humanitas ſuadeat, quàm quid natura poſtulet conſiderandum eſt, iſto acquirendi modo non minus natura uiolatur, quàm humanitas: non enim natura nummus nummum parit, ac ne ob id quidem inductus, ut pater fieret, ſed ut commutaretur pro rebus, & pretium eſſet omniũ diſtrahendorum. Multæ prohibendi cauſſæ, ſed haud ſcio, an maxima illa ſit & iuſtiſſima, quòd pecuniæ uſus ſub fœnore menſtruo uel annuo non ſubleuat, ſed atterit potius inopiam. Itaque ubi ornatum aliquem patrimonio uideris uſuris ſe ſubieciſſe, (licet enim uidere quotidie plurimos,) inſuſurrare ei id potes, quod Flaccus in amatorem detorſit. Ah miſer quanta laboras Caribdi, res omnis abit à ſe exulatum, non ad lenonẽ, (ut Plautinus ille conqueritur adoleſcentulus,) ſed ad auarũ diuitem. An leue auaritiæ crimen ducam, cuius nomine rei capitalis diuino in foro damnamur? Quodque Apoſtolus Paulus non inferiori loco & ordine inter peccata duxit, ut plerique uulgari ſenſu, ſed altius ille incedens oppoſuit primo præcepto decalogi, quo alienos habere Deos uetamur, dum auaritiam idolorum aſtruit eſſe ſeruitutem. nam quod quisque amat uehementius, plenoque animi affectu, id illi eſt Deus, præcipuè autem illo ſermone uidetur Apoſtolus notare eos, qui-

Z bus

bus non uſus placet nummorum, ſed forma, nam qui ſignata numiſmata, qui monetata æra altius animo ſuo inſeruit, quaſi religio ſit illis carere, quid aliud quàm idola, ideſt, ſimulachra & ſculptilia uenarari credendus eſt? quemadmodum autem idolatra non audet idolum ſuum tangere, nec mulctatum eum capite aut aliquo membro uidere uult, ſed eius potius cultum exaggerare conatur: ſic nonnulli ubi ſemel æra ſignata arcis incluſerunt tanquam idola auaritiæ ſuæ, non audent deinceps manus inijcere, ut utantur; nec imminuere audent ea, ſed ſumma addita aſſiduè augere moliuntur. Iam uerò quid nephanda pecuniæ cupiditas pariat, longum eſſet memorare, & fortaſſe ſuperfluum, quis enim uberrimam mali meſſem de huius cupiditatis ſemine ſurgentem neſcit? Quo enim proditiones ſpectant? quo latrocinia? Quo iniuſta iudicia? Quid porrò ſibi ſiccæ & uenena uolunt? Quid teſtamentorum ſuppoſitiones? Quid falſa teſtimonia? nempe cogit in hæc mortalia pectora auri ſacra fames, ut Poëta dixit, quæ ſi nulla eſſet iſtis temporibus, ne crimina quidem eſſent illa, quæ paſſim uigent: effecit hæc ueſana plus habendi libido malis cuncta replens, ut ciuitates nihil ad habitandum ſolitudine ſint meliores. Decreueram de furto tacere, ſed commouit me quino capite prodiens monſtrum: Primum eſt furtum ſimplex, quod eſt paupertatis cuiuſdam & indigentiæ. Proximus huic decus & titulus ſummatum peculatus, ſequitur durius longè & grauius ſacrilegium, quartus paſtoralis ipſe abigeatus, ad extremum plagiatus, ut non ſit mediocriter mirandum, uel dolendum potius uni improbæ rei tot nomina, tot gradus, tot capita addita, atque inuenta fuiſſe. Faciunt hæc, ut ſibi proſint, ſed num prodeſſe eſt ſe ipſos perdere, & in extrema dimittere ſupplicia? Quid enim ait Euangelium? Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Horret animus hanc tractare ſententiam, & hunc uerſare dicendo locum. Nam ſi in ignem mittetur ſterilitas, quid ſibi ſperet rapacitas? ſi ſic ardebunt, qui deſides nullum fructum extulerint mortalibus, quid recipient; qui proximis damna & pauperiem per fraudes intulerint? Si iudicium ſine miſericordia reddetur in illos, qui non fecerint miſericordiam, quid erit eis, qui fecerint & ſæuitiam? Si maledicti uocabuntur extremo iudicij die, qui eſurientem non aluerint, qua aſperitate notabuntur, qui maleficio ipſi & ſcelere paſcuntur? Si in æternum ire ignem iubentur, qui nudum non ueſtiuerint, quomodo: qui ueſtitum nudauerint excipientur? Hæc cogitat nemo uel uanè chartis Euangelij illita credunt. Itaque ſi ullo unquam ſæculo, hoc certè magna prædandi cupiditas humanis pectoribus inſedit. Nonnulli illud afferunt pro excuſatione ſe parum quid rapuiſſe, quaſi uerò uoluntas non ſit in crimine. Nemo modica contentus eſt præda, ſed eam nihilominus intercipit, ne fruſtra maiorem expectet: quicunque inuadit æs alterius, libentius aurum & argentum diriperet, ſi poſſit. Spolians latro uiatorem pauperem quantò auidius graſſeretur in diuitem, ſi eius ſibi fiat copia? Quæ

deinceps

deinceps eſt hæc excuſatio accuſatione digna?Ita ne uerò diluitur crimen non ex propria innocentia, ſed ſi oſtendatur modicitas delicti, & dicatur alios peiora feciſſe?Rectè ſancti & religioſi uiri admonent à leuibus cauendum eſſe peccatis: nam ſi leue etiam peccatum ſit, non tamen nullum, leuè quippè comparatione dicitur grauioris, atque haud ſcio an leue dici poſſit, quod contra diuina præcepta admiſſum animam interimit, æternisq; tradit incendijs.Ita enim quod interdicitur,tranſgredi mors eſt,ſicuti facere,quod iubetur eſt uita. Viſu & guſtatu nihil uidetur eſſe leuius aut inanius. Veruntamen ille primus generis noſtri parens in ſublimi cõſtitutus Paradiſi ſede, quia uetita guſtauit, in hæc ima detruſus, ſeque & poſteritatem totam magnis incommodis affecit. Vxor uerò Loth, quia reſpexit unde uetebatur, uerſa eſt in ſalis ſtatuam. Non igitur tam ponderandum eſt quantum ſit, quod præcipitur, quàm quantus ſit, qui præcipit, & ita intelligetur præceptum nullum, quamuis minimum neglectui habendum. Nondum opere completur ſcelus, & iam animus de cogitatione fit reus: quòd ſi cogitatio tenetur in crimine, quid ubi uel modicum additur opus, dicendum? quicunque fratri dixerit, fatuè, damnatur de ſententia Saluatoris. Si ſermo non eſt innoxius, quomodo ſecurus quiſpiam impellet manu alterum, & de loco detrudet? quantò minus licebit colaphum incutere? quantò adhuc minus ungue cutem lacerare? & quum hæc, quæ uidentur eſſe leuia, atrociter puniantur, quid fiet grauioribus, quæ paſſim admitti à ſingulis conquerebar? At ſi priuatis peccatur in domibus, reſpublica ſaltem commodè adminiſtratur. Age, expedi, qui ciuitatum ſtatus, quæ forma rerum publicarum. Nulla Italiæ ciuitas, quæ in factiones non ſit ſecta duas, quarum uera pudet referre nomina: ſed perinde res eſt, ac ſi alteri albos ſe dicerent, alteri nigros diſcretionis notandæ cauſſa. Eſſet bonorum ciuium illud agere, ut patria opibus firma, copijs locuples, laude glorioſa, uirtute eſſet honeſta. Iſti uerò triſtiſſimis contentionibus & grauiſſimis odijs inter ſe afflictantur, & alteri alteris ſupereſſe cupiunt, ut queant arbitrio ſuo res ducere, nec certamina iſta æquitate ulla, ſed funeribus exilioque multorum ſæpius diiudicantur. Nam qui armis plus pollent, ex aduerſarijs alios necant, tanquam nimis tardante lethi neceſſitate, alios expellunt profugosque eſſe iubent, tanquam anguſtus ibi ſit ad manendum locus, atque ita ſummam rerum tenentes libertate populis erepta licentiam facinorum omnium fautoribus ſuis tradunt. Vidi quandoque in ora aliqua factionem alteram eiectam,quid facerem non habebam; ingemui tamen, carebat nobilis urbs magna nobilium parte, carebat populoſa ciuitas magna popularium manu, hoc qui è rep. factum dicunt, illud quoque dicant fieri ex uſu nauis, ut dextrum ſiniſtrumque remigum latus inter ſe concertent, utrum ipſorum remis impellere nauigium debeat, quaſi cõmodius agatur alterutris eiectis; & non ſi in remigando conſpirarint. At qui tantùm prodeſſe concordiam, quantùm obeſſe diſcordiam dictũ

eſt ſæpius , & forſitan ab omnibus cognoſcitur . Illud tantùm dicam bre-
uiter, melius eſſe paruæ ciuitati , quæ concordes habeat ciuium animos,
quàm magnæ, quæ diſcordijs agitetur : illa enim creſcet aſſiduè, & è par-
ua fiet magna ; hæc imminuetur in dies , & è magna uertetur in paruam .
Illa ſufficiet ciuibus , hæc deficiet. Quodam tempore Athenienſes , qui
tunc Principes erant terræ Græciæ , ciuilibus ſeditionibus & domeſticis
malis afflictabantur . Venit ad eos Leo quidam Bizantius à ciuitate miſ-
ſus , Philoſophus (ut aiunt) egregius , cuius tamen corpus nimia adipe
mirum in modum exuberauerat. Itaque ubi ſuggeſtum conſcendiſſet le-
gationis exponendæ cauſſa , mirari primùm populus formam hominis
tam obeſi , & in tantùm dilatati , poſtea tacitè cum gaudio ſpectare , tan-
dem cachinnos tollere, quo animaduerſo, ille, quid eſt inquit Athenien-
ſes? quid ridetis ? An quòd in hoc homine tantam corporis copiam uide-
tis? at qui domi uxorem habeo bis tanto corpulentiorem, quàm ego ſim,
cõcordes tamen lectulus unus ambos capit,diſcordes,ne domus quidẽ to
ta.Parum ne declarauit uir prudens in tempore coniunctis animis quæli-
bet grata & magna, diſiunctis ingrata omnia & irrita fore: at tantùm hoc
diſcordiarum malũ,quod efficit anguſta quæcunqeu,etiam quæ latiſſima
ſunt, reperire nunc eſt undique in ciuitatibus . Quid hæc bella à Carolo
& Franciſco potentiſſimis Regibus iandudum ſuſcepta, nec dum confe-
cta, quam calamilatem, perniciem, miſeriam, tum ſingulis, tum uniuer-
ſis non intulerunt ? Credo uidiſſe Deum ſcelera delictaque noſtra, & uel-
le , ut poſterior quæque hora antecedente ſic calamitoſior. Tunc irarum
nubes collectæ ab his, quos modò memoraui regibus, in hac Italiæ parte
diſciſſæ ſunt, & increpuerunt hybernum. Etenim uaſtati agri, urbes dire-
ptæ, ædificia incenſa, fana ſpoliata , uirgines ingenuique pueri uiolati,
alij uitam pretio redemerunt, plures gladio finierunt ; uidit hæc ætas tot
mala, ut ludus uideatur fuiſſe ſuperiorum temporum calamitas, & ſi plu-
ra quis dixerit, adhuc tamen ſupereſſe ſibi ſentiet orationem, uincit om-
nem ſermonem procellæ magnitudo. Hac miſeranda bellorum ſorte;quæ
iam per tot annos uiſceribus inſedit, huius ciſalpinæ Galliæ pulchritudo
deformata eſt, fœcunditas exhauſta,robur exciſum. Non agam argumen
tis , ſed ut in iudicijs ſolemus , teſtes citabo . Teſtes igitur ſententiarum
mearum Mediolanum , Papia, Alexandria, Nouaria, Aſta , Comum, ur-
bes olim florentiſſimæ,nunc penè urbium cadauera : Videmus proſtratas
paſſim domos, uacuas ciuium uias, incultos horrere agros, feracium cam
porum deſertas latitudines,rara ſtabula,pauca pecora temerè oberrantia
& agreſtium inopiam . Superfudêre ſe quondam Italiæ , tum uariæ , tum
feræ gentes ab extremo orbis cardine reuulſæ, quæ per multarum ſibi ur-
bium excidia has ſedes parauere . Si reuiuiſcerent tempora illa perpeſſi ,
ſimilem ferè nunc Italiæ ſquallorem agnoſcerent. Illud uerò egregium ,
quod bello aliquando ex his oris depulſo & tranſalpes immiſſo , ualida
peſtis conſequuta eſt, quæ plures extinxit, nec pepercit his , quibus bel-

lum

lum pepercerat. Supereſt annonæ penuria, quæ minimè defuit, quæ res ſanè indicat tantos uitiorum adoleuiſſe morbos his in regionibus, ut ad illos obterendos non ſufficeret unum hoſtium genus, ſed plures fuerint diuerſo in genere immittendi: ruunt omnia, ut ruant peccata, quæ tamen in plurimis, non niſi cum uita extinguuntur, nulla ex pœna emendatio, imò quaſi ex calamitatibus malitia hominum prouocetur, creſcit quotidie, quod puniatur. Denique nihil mitigat malatiam noſtram, nondum tot flagellis meliores effici poſſumus, magis autem nolumus. Non defuerunt, nec deſunt quidam uiri ſancti, qui populos quotidie admoneant in concionibus, & exhortentur, ut ſe à ſceleribus reuocent, & continentiæ, iuſtitiæ, pietati, reliquiſque uirtutis tradant partibus, ſed non audiuntur. Illi uerò contempti ingemiſcunt: quorum ſanè gemitus Deum pulſat, qui ſtatim prouolans contemptores legatorum ſuorum corripit acerbius immiſſis triſtibus, nec aliter agitur, quàm ubi pedagogus nihil proficiens ad monitionibus in puero uocat nutritium, uel patrem, qui deinceps ſeuerius puerum aggreditur, & docet illum malo ſuo, quanti ſit padagogo non parere. Ergo egregiè ipſe & ſapienter feciſſe putaris, quòd ut tantam hãc ſcabiem & colluuionem morum ac temporum uitares, in monaſterij clauſtra declinaris: laudarem etiam, ſi feruidas arenas, ſcopuloſas rupes, denſiſſima nemora uaſtæ & ſpacioſæ ſolitudinis perſequutus eſſes, ne hæc, quæ fiunt quæque impendent, uidere uel audire cogaris: quanquam altior quædam (ut arbitror) ratio mentem impulit tuam, ut te totum monaſticæ uitæ mancipares. Illud enim inſtitutum eſt tuum, ut humana ſepoſita ratione Angelicam uitam duceres in terris, ideſt quantùm fieri poſſet te à corpore ſagregares, mentiſque acie Deo copulares. Etenim Philoſophi ipſi profitentur ſapientem, ſi liceat totam uitam in contemplatione poſiturum. Nam reliqua, quæ ſibi uendicant homines, ſunt illis penè cum mutis animantibus & rationis expertibus communia, in quibus ſi non uirtutes ueræ & ſolidæ, inſunt tamen ſimulachra quædam uirtutum, ut in Leonibus magnanimitatis, in Elephantis prudentiæ, in apibus ciuilis ſocietatis, in turturibus uolucribuſque quibuſdam temperantiæ. Quis non miretur feras, dum longioris inopiæ metu eſcas recondunt, & latibula parant in plures exitus diſparentia uitandi periculi cauſſa? at ubi inter ſe ipſas dimicant diſſidio hoſtili, non'ne norunt ſua tela? norunt diſſidentium partes? nec ſua tantùm callent commoda, uerùm etiam hoſtium aduerſa? ſciunt occaſiones legere & temporum & locorum, per quæ aduerſarius facillimè uim patiatur. Denique negabimus ſimile aliquid rationis illis in eſſe, quæ ipſos homines inſequentes uarijs ſæpius artibus illudunt. Sed hoc intereſt, quòd anima tota beluarum proiecta ad corporis ſenſus affectu quodam cœco ducitur impellente tãtummodo natura ad uitam tuendam & propagandam, & ad alia quædam famulantia uitæ officia. At hominis mens per ſe tota erigitur, quemadmodum & corpus, cuius non eget aſſiduè inſtrumento, ut placita, & concupita ſpeculetur, quin potius eluctatur

ctatur cum ſenſibus ipſis & natutæ corporis repugnat. Itaque hoc propriũ uidetur hominis frui mentis acie, quàm diutiſſimè, quæ ſola diuina eſt in nobis. Sed ad quid, & quomodo hoc proprio noſtro bono utemur? Venit enim in mentem Anaxagoræ, qui Solis uidendi cauſſa natum ſe dixit. Inflarunt alij reſonantius, qui ſe in hanc uitam ueniſſe aſſerebant, ut totius mundi ſpectaculum caperent, ei usque & quæ in eo eſſent, uias, progreſſus, rationes non ignorarent. Hæcque primorum Philoſophorum erat prouincia, ut perſpicerent unde quæque orirentur, quo'ue recederent, ſtudioseque ſiderum traiectiones, magnitudines, interualla notabant, & quæ Poëta ait decantata in conuiuio, hæc perſequebantur.

Vnde tremor terris, qua ui maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, rurſusque in ſe ipſa reſidant.
Quid tantùm oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, uel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Laudandi ſunt omnino antiquiſſimi illi ſapientes, qui Philoſophandi uiam nullius antea ueſtigijs impreſſam cæteris aperuerunt, non tamẽ perſpexiſſe uidentur totum id, quod perſpiciendum erat: nam quum conſtans rerum ordo perennisque earum uiciſſitudo admonere poſſet, non hæc fortuitò nata, ſed arte quadam & ſapientia perfecta, alterum illum mundum, qui in mente ſedebat artificis, ut meliorem iſto & digniorem contemplari potius & magis celebrare debuerunt. Deinde cogitandum erat, ſi hæc tanta, quantus ille, qui fecit, quoniam nemo artifex eſt, qui non ſimulachris ſuis & operibus ſit longè præſtantior. His gradibus peruenire ad Deum potuerunt, ſine quo manca eſt omnis cognitio ignorato rerum Auctore & Moderatore. Nam ubi res iam apparet, & uenit in medium, non ſolùm quærendum eſt quomodo facta ſit, ſed primùm quis fecerit, deinde quare & quorum cauſſa fecerit. Tum illud eſt poſtremum, ut quæratur quomodo: cauſſa enim, quæ reſpicit facientem, & cur quodque fiat, præcedit dignitate & tempore eam, quæ circa materiam uerſatur & formam. Res perinde ſe habet, quantùm ad iſtos Philoſophos attinet, ac ſi quiſpiam in ſolitudine aliqua inter nemora & arenas ſub dio diutius educatus nunquam domum uidiſſet, oſtenſa deinde ſibi maxima & ornatiſſima domo cum miniſtris plurimis uarij generis & artificij, quales ſolẽt eſſe Principum & Regum domus, exiſtimet, ſe ſcientiam domus tenere, propterea quòd ſciat domum illam è cæmentis, lignis, lapidibus, auro, marmore compactam: & eius domus membra alia eſſe rotunda, alia quadrata, alia oblonga, alia triangulata. Sed cui non apparet hunc magnã ignoratione domus teneri, ſi hæc duntaxat ſciat? neſciat autem, quo conſilio conſtructa ſit domus, quis conſtruxerit, uel conſtruendam mandauerit, quis præſideat domui, quis regat familiam, quis illic cuncta diſponit, & pro arbitrio quæcunque conuertit, hæc inueſtiganda ſunt omnia & per noſcenda ei, qui ſcientiam domus profitetur, turpis autem eſt ignoratio ſi neſcit, & turpior adhuc ſi adeò neſcit, ut quum uideat illic homines & iumenta

iumenta certis fungi miniſterijs, certis quoque locis & temporibus pute illa caſu fieri, & nulli domino ſeruire. Eiuſdem ignorationis rei tenentur Philoſophi, qui illud modò nouerunt mundum hunc elementis quatuor conſtare, & quid ſola, quidque ſibi ipſis commixta efficiant, tenuerunt: ſed præſidem mundi & rectorem Deum non intellexerunt, qui hæc tanta, tamque mirifica opera, prouidentia excogitauit, uirtute conſtituit, ratione perfecit, nunc eadem ſpiritu ſuſtentat, poteſtate moderatur. Adeò autem non intellexerunt, ut uel hæc ab æterno ſic ſtetiſſe credant, uel nata fortuitò. Mundanum hoc (inquiunt) opus magnum atque præclarum, fateor, ſed multò tamen maior & præſtantior, qui condidit & moderatur; quæ ſunt igitur partes meæ? hæ, ut opinor, non ut opus ipſum tantùm ſequar & admirer, ſed illud magis, ut artificem ipſum, qui infinitis partibus dignitate, præſtantia, uirtute cuncta antecedit; præſertim quum opus hoc, quod admirantur cum eximia ſignificatione erga homines beneuolentiæ procrearit. Illud quanti eſt, quod regit, ſuſtinet, portat, moderatur? An parua res eſt regere & moderari? non in domo certè (ut aliquid de his minoribus inducam) ac ne in nauigio quidem. Num ſi iſti Philoſophi nauigarent, nauem tantùm amplecterentur, propterea quòd ſummo eſſet artificio fabricata, ac non potius humana ingenia unde illa ortum feciſſet. Quid ſi ſecundum curſum tenuiſſent? remotiſſimas gentes adiuiſſent? ſpectaculum multarum magnarumque rerum cœpiſſent? tunc in honore nauem haberent, quod illius ornamentis nauigaſſent, tan quam nunquam animaduertere potuiſſent, quis fuiſſet ille, qui quiete ſedens medios inter fluctus clauum temperaſſet, rectam nauem præbuiſſet: id fecerit Poëta is potius, qui in exilium actus à Cæſare ſummis attollit præconijs nauem, qua deuectus ponti ſubijt oſtia: nihil ingeniis hominum aut operæ tribuit, cui omnia erant tribuenda, ſed Poëtis concedi quidlibet poteſt, quorum unum eſt opus hominum aures canendo mulcere. Iſti autem ſapientiæ ſtudium profeſſi turpiter aberrarunt, dum mundano affiguntur operi eo dimiſſo, qui nutu temperat, qui uerbo portat omnia, cui ſoli reuerentia omnis & gratia debetur. Quanquam tenuiter nimis mihi nunc agere uidear, qui Deum uniuerſa regentem comparem rectoribus domus uel nauigii: nam paterfamilias, qui in domo regit pars eſt familiæ, cuius eſt caput; ſimiliter gubernator nauis pars eſt nauigantium: non enim extra nauem poſitus moderatur. Iſti ergo rebus his continentur, quibus præſident, Deus autem nulla pars eſt mundani operis, ita continet omnia, ut non contineatur; ita intra res eſt totus, ut extra eas etiam ſit totus: nullo includitur rerum factarum ordine, ſed ſupra mundum eſt, & ſupra omnia, quæ condita ſunt: nec uno tantùm contrario differt à reliquis rebus, quòd hæc creata, ipſe increatus, ſed aliis plurimis: nam hæc mutabilia, ille immutabilis, hæc finita, ille infinitus, hæc temporalia, ille æternus, hæc compoſita & multiplicia, ille incompoſitus & ſimplex; quomodo igitur dici poteſt iſtos Philoſophos

cœpiſſe

cœpiſſe rerum notitiam ignorato eo, qui non dico pluris eſt, quàm reliqua omnia, ſed qui ſolus uerè eſt omnia : nam cætera quodammodo non ſunt, ſi illi comparentur, à quo effigiem ſuam & ſpeciem ſumpſerunt, ſicut pictus homo quodammodo non eſt, ſi pingenti comparetur, uel ei cuius imaginem præfert. Etenim quum recipiant creata omnia motum, finem, tempus, mixtionem, non poteſt eorum natura, niſi manca eſſe, debilis, impura, imperfecta, quæ ſi aliquibus magna uiſa eſt, id contigit ignoratione eius, quod uerè eſt magnum, uelut argentum uideatur magni inter metalla eſſe momenti ei, qui ignorat aurum : at prolato auro eiusque ſplendore & pretio perſpecto nonne uile quiddam argentum exiſtimabit? Similiter lunæ & reliquorum fulgor aſtrorum potuit magnum quid nobis uideri, ſi candentiſſimus ſolis orbis perpetuò latuiſſet, nunc iſta ad illum collata ſplendorem omnem ſuum, & quicquid antea dignitatis & gratiæ habuerant, amittunt. Sed iam miſſos Philoſophos faciamus, à ueritatis documentis alienos, aduerſus quos longius & ualidius inſtituerem certamen, ſi ſtarent, ac non iampridem fugati campo ceſſiſſent. Nunc ad te unum mea tendit oratio, qui ſtemmata familiæ tuæ ampliſſimæ tanquam magnam ignobilitatem, & florentes diuitias, quibus abundabas, tãquã ſummã paupertatẽ cõtẽpſiſti, quò nobilior fieres uirtute, & ditior morũ ſanctitate: quæritur enim illud in primis in eo, qui ſe religioni addixerit, uitæq; monaſticæ, ut quantũ humana patitur imbecillitas, Deũ mente ſequatur, huic totis uiribus hæreat, totis uiſceribus diligat. Hoc ut aſſequatur, cogitandũ quanta Dei ſit maieſtas, uirtus, præſtantia, dignitas, potentia, qua de re nũc aliquid breuiter perſtrinxi; nam plura dici potuerũt uberius. Sed nihil æquè prodeſt ad inflammandum diuino amore pectus, quàm ſi crebrius & attentius cogitemus, contemplemurque, quanta ille munificentia, largitate, bonitate tractarit humanum genus. Noſtri cauſſa supernè cœlum extendit, Solem & Lunam & tot flammantes ſiderum oculos accendit: terram ſolidauit, aërem tenuauit: mare diffudit, immotas quatuor anni temporibus leges dedit. Iam uerò animalia omnia ſiue ea repant, ſiue gradiantur, ſiue natent, ſiue uolitent, uſibus ſubſeruiunt noſtris: nam uel eorum carnibus ueſcimur, uel ueſtimur uelleribus, uel dorſo uehimur, uel medemur morbis de ipſorum membris, uel uenatu corpus exercemus. Quid de arboribus dicam? quarum nulla eſt, quæ uel non cibos ſuppeditet, uel umbram, uel odorem, uel liquorem, uel materiam ad ignem, aut fabricam. Idem ſermo maneat de herbis, quæ opitulantur remedijs contra morbos, & pabulo contra famem. His additi flores colore & odore præcipui ad uoluptatem & ornatum, nec nõ & gemmarum auri & argenti nitor. Hæc quum ad humanos uſus parauerit & protulerit ſummus ille parens, nonne eum ſummo generis noſtri amore teneri dicemus? At ipſum hominem, cuius cauſſa reliqua condita, quantis muneribus inſtruxit & ditauit? Mitto præſtantiam formæ uniuerſi corporis, partium ſingularum, oris articulatum & diſtinctum ſonum,

fabulatri-

fabulatricemque linguam. Illud quanti eſt, quòd homini mentem dedit, qua & cogitare, & ratiocinari, & uiſa effingere, & ſpecies rerum percipere, & reminiſci ualeret, in quibus elucet ſimilitudo eius, qui dedit. Cur ad id proceſſit? non enim homo conferre aliquid poteſt Deo, quo ſit ille beatior, ſed bonitas eius diffluebat. Excutiat quilibet diligenter cauſſam ortus ſui, hoc eſt unde habeat hoc ipſum, quod homo ſit, & prodierit animal mente pollens, & uideat, ſi inuenerit aliam cauſſam præter hanc, quam dixi diuinæ bonitatis, ſed non inueniet: nam hactenus, quicunque aliquid aliud dixerunt, ridicula dicere uiſi ſunt. Bonus igitur erat Deus, nemo autem bonus eius ipſius boni, quod in ipſo eſt, inuidet alteri, ſed commune facere paratus, hoc ille commotus effigiem ſuam nobis impreſſit, mentisque ornauit lumine, quo ſanè munere non aliud potuit eſſe præſtantius. Quid enim tantùm eſt in terris, quod cum humanis animis conferri queat? quorum ea uis eſt & potentia, ut præſentia intelligant, præterita meminerint, præuideant futura, quorum in reliqua animantia luce illa diuina orbata cadere nihil poteſt. Multarum quidem rerum ſenſus nuntios habemus & miniſtros, ſed cunctorum arbiter animus, qui qualia ſint, & quomodo ſe habeant, quæ ſenſus accipiunt & renuntiant, diiudicat adeò, ut eos ſæpius coarguat falſitatis. Nam ſolem ipum iudicat infinitis partibus eſſe ampliorem, quàm uideatur, cuius etiam radiata ſpecies & rotunda uideri pulchra non poſſet, niſi pulchritudinis antea notas quaſdam & leges comprehenſas animo perceptasque teneremus: ſed reliquas quoque eius efficientias, quas annuo ille curſu conficit, cognouimus. Reliqua animantia ſplendorem uident ſolis, ſentiunt calorem; ſed quis præter hominem noſcit, quòd ſol ſit? quis perſpicit quantam utilitatem & gratiam rebus afferat? hæc luna eſt; quis uultum huius mutabilem breuiſſimumque curſum explorauit? Hoc eſt cœlum; quis circuitum eius, ortusque cœleſtium ſignorum atque obitus contemplatur? hoc eſt mare; quis nauigandi rationes in eo inuenit? hæc eſt terra, quis cultui & ſationi aptam animaduertit? hic eſt ignis, quis eum infinitis uſibus applicauit? Hæc omnia nonne à ratione, quæ diuinitus nobis collata fuit, profecta fuere? affinitas igitur & cognatio quodammodo nobis contracta eſt cum Deo propter rationis præſtantiam, quam ille hominibus non inuidit, quod quum ita ſit, quomodo tantam Dei bonitatem præterire poſſumus negligendo, ac non inducimur potius redamare colendo? Quid, quod idem uoluit humanæ mentis clauſtra libertate, firmare, quam nec ferrum, nec ignis, nec Dæmon ullus, nec Angelus diuellerent, uinci, inflecti, detorqueri hominis uoluntas, niſi à ſe non poteſt: ſola ſui arbitrium tenet & moderationem, nullis neceſſitatis uinculis aſtricta, omni nexu ſoluta. non cogit ad aliquid immenſus ille pater, ſed hominem in manu reliquit ſua, quò rectè factis propoſita iure eſſent præmia, & ſupplicia peccatis. Hic iterum recurrit affluẽtia diuinæ bonitatis, quæ nuda hominis delectatur uoluntate, quã idem

primo excitauit, deinde ope ſua comitatur, nam ubi ad opus arrectos uidet, præſtò eſt, adiuuat, nec deſerit impigrè laborante, ſed ſtatim auxiliaturus occurrit. Ipſe enim Deus caſſæ uoluntatis ex alto miſeratus affectum impartitur uim hominibus cœleſtem, & in alijs quidem diſtillat; quorum ſcilicet perexigua in rectis operibus uoluntas, at quorum dilatatum propoſitum, in his pleno gurgite redundant fluenta uerarum magnarumque uirtutum de cœlo ubertim diffuſa, ita ut non ipſis ſolis ſufficiant, ſed ad alios quoque nec finitimos modò, ſed etiam longinquos perueniant; ſed non quemadmodum in re gerenda uoluntas eſt à nobis, perfectio operis à Deo, ſic quum peruenitur ad ferendum præmium, uoluntas dicitur eſſe noſtra, opus alienum, ſed ſuſcipimus à Deo pro utroque præmium, ideſt pro uoluntate bona & opere bono, quia præſidium ille ſuum nobis non imputat, nec improperat, quod dedit, ſed perinde coronat in nobis ſua munera, ac ſi noſtra eſſent merita. Eum igitur, qui tam longè fluit in muneribus & præmijs, hoc eſt in tribuedo & retribuendo, qua proſequi beneuolentia oportet, ſi modò ingratitudinis culpam effugere decreuimus? non enim ſi referre gratias non poſſumus (nam non eget noſtri ille, ſed nos illius) ideo non conuenit non habere, quas poſſumus, & non aliquas amoris uices rependere. Amat nos Deus, præuenit beneficijs, prouocat ad amandum, tum his, quæ dedit muneribus tum maioribus alijs, quæ daturus eſt: cur in amore non reſpondeamus? præſertim, quàm id non illi, ſed nobis profuturum ſit: nec hoc etiam ille appetat ſua cauſſa, ſed noſtra: ipſe enim ſummum eſt bonum, nullius egens, cui uno tantùm amoris nodo copulari poſſumus. nam amor ipſe præſertim uehemens & flagrans tantæ eſt potentiæ, ut animam appetentem, in rem, quæ appetatur, ualidiſſimè inducat: & ita connectit, ut penè cum amato amans unum atque idem efficiatur. Coniunctio igitur eſt hominis ad Deum, quæ hîc amoris ui fieri incipit, poſtmodum in cœlo perficietur, quum iam non in ænigmate illum, ſed ſicut eſt, ſpectabimus: non erit illud bonum Dei, ſed hominis ſic ſpeculantis, ſicut nec bonum eſt lucis, ſed oculi, quòd oculus eam uidet, nec bonum eſt fontis, ſi quis de fonte biberit, ſed bibentis. Ergo Deus uel hoc, quod iubet ſe præ omnibus diligi, maximè oſtendit, quòd nos diligit, quum dilectione noſtra nihil illi, ſed nobis omne bonum acquiratur. Eſt enim ille huiuſmodi, ut præcepta ſua ad noſtram quietem, ſalutem, gloriam componat, ac ne ſua quidem, quæ à nobis proficiſcuntur, in ſuum uſum conuertit. Non dubito quin ſuperiora omnia crebrò meditata atque uentilata, qua decet animi pietate, excitent in nobis amoris flammam erga Deum, quẽ cognoſcimus beneficiorum teſtimonijs magnam erga nos amoris uim & copiam profudiſſe: nam quemadmodum ignis igne, ſic amore amor concipitur. Quòd ſi patrem colere, uenerari, diligere denique debet filius, non ſolùm quia genuit, uerùm etiam quia multùm amat, quantò magis à nobis amandus eſt Deus, qui nos tam ſummo amore dilexit, etiam antequam

tequam eſſemus? Nec dum tamen proloquuti ſumus, quod primum eſſe debuit, quemadmodum mortalem hominis naturam ſuſcipere uoluit ſalutis noſtræ cauſſa, qua in re æſtus quidam diuini amoris erga homines oſtenditur, quòd altitudo illa & immenſitas ad infima hæc noſtra & anguſta uenerit, ita ut eſſe id uellet, quod nos ſumus. Ita'ne uerò ad humana deſcendit Deus? Quid in cauſſa? nihil habeo, niſi, quod illud quæſiuit, ut homo aſcenderet ad dinina. Videbat humanum genus regno cœleſti depulſum, illuc reuocare eos uoluit uerbo, exemplo, morte denique ſua. Deus homo factus eſt, magnum uidetur. An magnum, quia durum, ſed exiſtima, quod amabat, & nihil amanti durum, quid deinde? Factus ille homo, ſic inter homines uerſatus eſt, ut unus de multis: nam nullo ditior fuit, aut potentior, attamen præcepta ſalutis aperuit, regnum cœlorum docuit: myſteria legis ueteris impleuit. Poſtremò ut labem humanæ genti inditam deleret, ſe in cruciatus ſponte dedit. At quos cruciatus? Reuolue quæſo animo ſpeciem Domini morientis. Aſpice confixas manus utrinque ſtillantes cruore. Aſpice terebratos pedes, quos beati rigat ſanguinis unda. Aſpice cruentum pectoris latus immiti apertum cuſpide: quomodo autem tanta & tam tetra mortis imago inuaſit fontem uitæ? horret ſpinea uallatum caput corona, defluit feſſa ceruix, ſquallent regiæ genæ, arent diuina labia, reliqua corporis nudata membra liuent flagellis. Hæc cur ſuſcepta, niſi ardore humanæ ſalutis? hunc ne obſecro ardorem exiſtimas leuem fuiſſe? an uerò tantùm, ut dicendo nequeat explicari? quis enim pater filio dedit unquam tale, ut culpam eius fluuio ſanguinis luere uellet? Hic non iam ſua Deus, ſed ſe ipſum pro nobis impendit. Omnia illa ſupplicia debebantur nobis, quæ in ſe recepit. Quis non exiſtimet ferrea illorum eſſe pectora, quos ſacer ille cruor tanto ardore profuſus commouere nequit ad amorem Domini, qui tanta pro ſe tulerit? Etenim ſi friges, rimare perforatum Chriſti latus, & tantæ pietatis pectus ingredere, & quum uideris totis uiſceribus & præcordiis ardere humanæ gentis ſalutem, illius appulſu caleſces. Magnum beneficium eſt, quòd creauit nos Deus, mauis, quòd redemit, non ſolùm quia naſcimur ſine ſenſu, conſeruamur cum uoluptate, ut inclitus ait Orator, ſed quia naſcentibus uitã tribuit, redemptis beatam uitam. Hîc nos met ipſos nobis tradidit, illic ſe ipſum dabit: hîc militia eſt, illic militiæ præmium. Quòd ſi homo debet ſe totũ Deo, quia ipſum fecerit. Quid addet pro eo, quòd refecerit. Non enim tam facilè refectus, quàm factus, fecit illud uerbo Deus, ſicut reliqua omnia: ſed in reficiendo multa dixit, atque adeò geſſit, & eò deuentum, ut dura plurima & acerba perferret. Magni igitur exiſtimandum refectionis beneficium, tum quia per ſe ſummum eſt, tum quia ſumma erga hominis Dei charitate profuſum: hoc tam præclaro redemptionis munere humanam naturam non modò extulit ille iacentem, uerùm etiam amplificauit, cuius eſſe pretium uoluit & præmium. Non Angelos & Archangelos (inquit Apo-

ſtolus) ſed humanam naturam apprehendit, in quo duo maxima fecit,& quòd ipſe in imam humilitatem ſe detruſit, & hominem ad ſummam ſublimitatem euexit: Eſt enim ipſe caput omnium fidelium, quod ſanè caput tantùm eſt, ut ſupra omnia excelſa longo interuallo collocatum ſedeat ad dexteram parentis; & illud omnes Angelicæ turmæ uenerentur. Quamobrem quæ tanta illa erit ignauia ſi tantùm caput negligimus, ac non in ipſum potius totis amoris uiribus feramur? Non debet autem uideri redemptionis beneficium minus,propterea quòd redempti cum uniuerſis ſumus: nam non ideo minor contingit ſalus, nec æquum eſt aliorum ſaluti inuidere: quanquam (ut egregie ait Chryſoſtomus in commentarijs ad Galatas), non recuſaſſet Chriſtus eadem perferre, uel ſi unus tantùm eſſet redimendus, pari namque charitatis iure ſingulos amplectitur, quo uniuerſos, neminem negligit, cuius rei argumentum præbet ouis illa de Euangelio, quæ à nonaginta nouem aberrarat: hanc unicam non contempſit paſtor bonus, ſed quæſiuit, inuenit, & inuentam gaudens collo imponit,& ad paſcua ſua reportauit. Et ſubdit Saluator ſimilitudine hac propoſita, nolle patrem cœleſtem, ut uel unus de puſillis pereat.Victima quidem pro tota oblata eſt natura,& ſufficiebat omnibus ſeruandis, ſed tamen non eſt uſui omnibus, ſed ijs tantùm, qui credunt, & uitam puram, integram,piamq́ue proſequuntur. Sed non modò quum blanditur muneribus & allicit pollicitationibus Deus, uerùm etiã quum minatur, terret, iraſcitur, percutit, amor in cauſſa: quoniam cupit eſſe ſaluos. Nos illum ſæpius offendimus peccatis obuoluti, & quiduis potius, quàm ſanctiſſima eius mandata implentes. Auerſamur uocantem. Ille quemadmodum feruidi amatores ſolent, qui & ſi contemnuntur ab his, quos diligunt, permanent tamen, nec ab amore recedunt, conatur deuios ad ſe retrahere. Itaque benigno frequenter afflatu mentem commouet, ut redeamus,ſæpe etiam peccandi occaſiones ſurripit,nec his contentus mittit ſanctos uiros ueluti legatos, qui increpat, moneant, minentur, & demum adhortentur, ut præteritorum pœnitentiam agamus, & in poſterum melius uiuamus. Quòd ſi hæc deſpicimus omnia, ne ſic quidem deſiſtit, ſed flagella admouet, ſi forſitan in his reſipiſcamus. Non nunquam, ut amans nimio æſtu percitus conqueritur, merita proponens ſua, quò duritiem flectat noſtram, & ad mutuum amorem impellat, quale illud Micheæ ore prolatum aduerſus Hebræum populum. Popule meus quid feci tibi? aut in quo te contriſtaui? Reſponde mihi. Num quia eduxi de terra Aegypti, & de domo ſeruitutis liberaui? & reliqua, quæ ſequuntur. Terroris autem uerba ſunt plurima: ueluti quum de omni ocioſo uerbo reddendam rationem dicit: & ei, qui uel fatuum fratrem appellarit, gehennam proponit. Iuſtum autem terret, quum acerbiſſimi fœneratoris more ſortem ſe ab eo cum uſuris exacturum minatur; propoſita ſimilitudine ſerui illius, cui talentum fuerat commiſſum, idq́ue defoderat. Diuites uerò quomodo percutit? dum ait, Facilius eſſe camelum ingre

di

di per foramen acus, quàm diuitem in regnum cœlorum: dum illos duos ueluti contrarijs ex partibus introducit, epulonem diuitem, & mendicum Lazarum, & quid in uita & poſt mortem utrique euenerit, deſcribit. Horribiles ſermones, attamen ſalutis noſtræ cauſſa ſuſcepti ne præcipites eamus. Nemo poteſt dicere ſe non cohortatum, non præmonitum, non bene comminatum fuiſſe. Subſeruit gehenna quodammodo humanæ ſaluti, dum plerique eius metu temerarias frœnant cupiditates, & ad ipſum ſalutis auctorem reuertuntur. Multùm ualet in humanis animis cõminatio: multùm ſuppliciorũ terror: multùm illa admonitio: hîc eſt fouea ſerua, ne incidas. Quũ cuperet Deus ſaluam fore Niniuem, miſit Ionam, qui eius euerſionem prædicaret. Hoc Niuitæ audito mutarunt ueſtem, fleuerunt & ieiunarunt, conuerſi ſunt ad Dominum, & non perierunt: tantarum fuit uirium illa prædictio. Ex quo intelligi etiam poteſt quàm ſolicitè cuncta tentet Deus peccantium gratia, nolens eos perire: & de terroris quidem uerbis hæc dicta ſint, quæ certè ab amore proficiſcuntur. nam ne pater quidem filio ſemper blãditur, ſed ſi uidet ruentem, terret & minatur; & ubi his nil proficit, uirgæ quoque non parcit. Illa ſunt uerba ſolantia, quòd quicunque dederit in nomine eius calicem aquæ frigidæ, recipiet mercedem. Credo quòd magis recipiet mercedem dans calidam, ubi lignorum ſumptus accedit: quantò adhuc amplius quoties quis non de flumine aut puteo, ſed de penu aut arca dederit. Illud etiam non parùm oblectare poteſt, quòd ſi dimiſſerimus peccata fratribus, noſtra quoque ſe nobis dimiſſurum pollicetur. Et quòd ſi quis fratrem conuerterit ad ſalutem, utriuſque animam ſaluabit. Hæc omnia ut dicat & faciat Deus, impellit amor, qui non iccirco in partes ſcinditur, quia ad plures deferatur. Fertur enim totus in ſingulos, quos genuit: nam mortales parentes, ſi unicum habent filium, amant acrius tanquam cordis ſui oculũ; ſi alter additur, ut duo ſint, iam ueluti bipertita cura amant minus ſingulos: ſi quatuor erunt, multò etiam minus, ſin alicui quinquaginta contingant liberi, ueluti Priamo & Danao, tunc neceſſe eſt tenuari amorem tot riuulis diductum: & hæc quidem mortalibus contingunt, qui aliundè capiunt amorem, Deus autem ipſe amor eſt. Si igitur frangi, ſcindi, diuidi Deus poteſt, eadem opera & amor eius poteſt, quod quoniam nephas eſt dictu, ſequitur, ut unumquenque quem diligit, toto amore foueat: at immenſo quidem ſi toto, quoniam & ipſe immenſus eſt. Adde quòd hunc tantum amorem non negociorum occupatio interpellat, non requies, non ſomnus, floret ſemper, uigetq́ue nec unquam ueluti fatigatus remittitur. O diuine amor, quem ſemel iure complexi nunquam dimittamus. Tu cuncta de nihilio creaſti. Tu fœdera pacis mundo ſeruas. Sine te res ipſæ ſubſiſtere nequeunt. Magna hæc, ſed illa maiora, quòd Deum homini copulare, quòd ſupplicijs tradere, quòd cruci affigere potuiſti. Effluis tu quidem liberè de fonte diuini arbitrij, ſed eo impetu & tàm copiosè fluxiſti, ut torrentis in morem ui quadam rapi uidearis. Hæc & talia quædam

dam mi pater curricula erũt meditationum tuarum, cum his habitantem pernoctantemque curis ciuitas omnis colemus. Vt enim miſeros & infœlices dicimus, quos aut libido mulieris, aut ambitio honorum, aut pecuniæ cupiditas incendit: Sic fœlices illi, quorum præcordia Chriſti amor præacuto iaculo uulnerauit, hi nihil animi ſui cauſſa gerunt, ſed omnia referunt ad nutum diuinæ uoluntatis, quam quocunque trahat, aut retrahat ſequuntur; quod etiam mortalium amicitiæ pariunt, ut nulla ſit diſtractio, ſed ſumma ſit & omnis inter duos pluresue mutuò amantes conſiliorum, uoluntatum, ſtudiorumque conſenſio. Etenim mulier flagrans amore uiri ſic mores, opinor, temperaret ſuos, quemadmodum ſe illi poſſe probare confideret, ne ſi offendat, diuortio excludatur: ſic animus hominis erga Deum ſuccenſus, omnia perſequitur, quæ illum uelle arbitratur, ne ſi ſecus fecerit, diuinus ipſum fauor deſerat, non diuitias quærit, quibus affluens ornetur, non opes appetit, ut colatur à multis, non gloriam, ut à cunctis laudetur, non honores, ut præter cæteros conſpiciatur, non corporis uoluptates, ut per eas diſſolutè lætetur. uident ſanctiſſimi uiri maioris eſſe uirtutis talia contemnere quàm quærere, præſertim quum illa & ſi non ſemper, at ſæpius, quod ſi non ſæpius, at certè plerunque ſunt inſtrumenta uitiorum. Cauentq; illud in primis, ne uberior ille & uehementior erga Deum perceptus amor uitietur, ſi uel paululum in hos riuulos humanorum commodorum diffluere cœperit, quinimo maiorem adhibentes cautionem, quũ præſentium rerum illecebris & ſpecie ſenſus deliniri poſſe uiderentur. Optimum factu uiſum eſt ſæculo relicto, intra monaſteriorum ſepta ſe ſe concludere, ſicut ipſe feciſti: aut eorum uitam uaſtitati ſolitudinique terrarum mandare, quod ueterum Monachorum inſtitutum fuit. Sic ne ſi illa quidem uiderent, facilè eis poſſe carere intelligebant. Eſt enim ferè tota oculorum libido. Corpus reſtabat, quod neque abijcere, neque relinquere ualerent, quippe, quod ſit animi ipſius ueluti uas quoddam & receptaculum. Illud ergo, quia inſolens eſſe poteſt & petulans in carnis motu, ieiunijs, uerberibus, uigilijs, frigore, æſtu, & alijs crucis partibus frangunt, ut tam malè habitum affectumque corpuſculum, uix audeat inſultare, & ſibi quicquam molle ac delicatum depoſcere: quemadmodum enim Tarquinius priſcus, quum capitolium ſummo Ioui conſecrare uellet, multitudine Deorum repletum, concedentibus tum cæteris dijs Ioui, Terminus & Iuuentus de loco migrare nollent, poſtquam eijcere illinc non potuit, ſimulachra eorum depreſſit & obſcurauit, ut uix apparerent: eadem ratio eſt iſtorum, qui mentem cõſecrant Deo tanquam templum, ut quos eijcere nequeũt motus carnis, turpes & laſciuos, hos comprimant, deijciant, obſcurent, & quodammodo extinguant. Si quis (inquit Saluator) uult uenire poſt me, tollat crucem ſuam & ſequatur me. Suam (inquit) noli dicere quorundam more, Chriſtus mortuus eſt pro me: nihil mihi supereſt agendum: poſſum quomodocunque uiuam, conſequi uitam æternam. Fallax ſpes,

ſpes, nam propria quoque crux unicuique tollenda, qui in partibus uelit eſſe Chriſti: quod ipſum quoque Paulus admonet. Quicunque (inquit) Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum uitiis & concupiſcentijs ſuis. Dic dic illud. Chriſtus mei cauſſa mortuus eſt, & ego pro illo mori debeo. Chriſtus quæcunque mei cauſſa dixit, fecit, pertulit. Ego quoque ut uicem reddam, omnia illius cauſſa dicere, facere, perferre debeo. Duæ cruces: una Chriſti, communis electorum omnium: altera uniuſcuiuſque propria: iunge duas has cruces, & quæ crux Chriſti eſt, fiet tua: & quæ tua eſt, fiet Chriſti. Hæc una ſanctorum uirorum eſt prouincia, hic totus mentis eorum cardo uerſatur, ut cohibitis peculiaribus, domeſticisque affectibus, omne ipſorum uelle & nolle ad diuini ductus regulam referatur. Iſtud eſt enim humanos ſenſus deponere, diuinos induere. Quòd ſi orationibus precibusque infinitis, multoque fletu profuſo & ipſius Dei beniguitate & miſeratione aſſequantur, quæ tanta calamitas, tanta laborum uis mentem eorum poterit à propoſito reuocare? quin cruciari, uri, torqueri Dei cauſſa optabunt, ut in tali certamine fortitudinis, patientiæ, conſtantiæ palmã referant: ſed & quæcunq; accident illis incõmoda, & aduerſa (cui autem non accidunt?) hæc ſibi importata diuinitus arbitrãtur, tanquã tentamenta uirtutũ, quò indies proficiant, uel ut luant in ſæculo pœnas admiſſorum, quas alia in parte, alio in tempore duriores haurire erat neceſſe. Hinc læſi iracundia non efferuntur, quin oſoribus ſuis potius opera benignè faciunt, non irritantes peccantium nequitiam, ſed piè magis ſubleuantes, & ad pœnitentiæ fructum, ſi fieri poſſit, adducentes. Quòd ſi etiam ingrati erunt hi, in quos beneficia maxima contulerint, adeò non ægreferent, ut etiam noua impendere non deſinant, quòd ſi ægrè, diceret his Deus: Si fratres ueſtros, quos ut ſimulachra quædam mentis meæ ſpirantia effinxi, quorum etiam ſcelera cruce deleui, ut ſpem caperent cœleſtis hæreditatis potiundæ, uos illos re, oopera, conſilio iuuiſtis, mercedem laborum & benefactorum ueſtrorum ab hominibus expetentes: quid uobis leuius? Sin mea cauſſa omnia, nihil illorum feciſtis, ego me uobis gratum uel gratiſſimum potius præbebo. An ego beneficiis, liberalitateque uincor, qui tanta & tam multa antequam rogarer dilargitus ſum uobis? plurima etiam & maiora (niſi uos non uultis deſides capere) daturus. Qualem in me ingratitudinem, qualem paupertatem denotaſtis? quoniam me dimiſſo beneficiorũ ueſtrorum gratiam ab alijs repetitis, ac non à me potius, qui illa impendi per uos uolui, & uniuerſa hæc nomina cum uſuris de me exigere. Mea certè dona influunt uberrimè in ſingulos homines, & dum hic in ſæculo agunt, & ubi illud reliquerunt. Hæc cœleſtis eſſet parentis oratio, qua pro beneficijs in homine hominum genus collatis à ſe cuncta expectari iuberet. Illud enim intelligendum eſt, ſecundum Deum diligendum eſſe proximum, ſicut nos met ipſos. Proximi autem appellatio hic homines quoſcunque complectitur, propterea quod exiſtimandum eſt non eſſe alienos,

lienos, ſed ueluti neceſſitudine quadam coniunctos eos, qui nobiſcum eiuſdem rationis ſunt participes, eandem incolunt terram, eiſdem terræ ueſcuntur frugibus, eundem habent dominum, eaſdem cœperunt leges, & ad eadem bona inuitantur. Non igitur iactandum illud Comici. Quis tu es? Quis mihi es? proximus ſum ego met mihi. Imò nos eſſe proximos oportet quibuſcunq; eiuſdem naturæ cõſortibus Dei cauſſa, qui obliquè quodammodo ex humanis actionibus uidetur referre emolumentum, quum rationali animanti, quo ille præcipuè delectatur, auxiliamur, quod aliquando poſſumus, & non nocemus, quod ſemper poſſumus. Homines ille uehementer amat, quos & condidit, & redemit, & quorum cauſſa omnia hæc molitus eſt. Itaque uult unumquenque noſtrûm in dilectione cuiusq́ue ſecum concurrere. Hinc ille ad Petrum eccleſiæ principem. Si me amas, paſce oues meas. Imitatur eos, qui uehementi tanguntur amoris affectu erga quempiam, dicuntq́ue pro eo ad alium. Si hunc diligis, me ipſum diligis: quicquid huic auxilij tuleris, mihi tuleris. Ergo id agendum, ut quancunque poſſumus opem proximo feramus. Illa ſunt magna, in quibus præter cæteros addicti Deo locupletes exercentur, ueſtire pauperem in nuditate, alere in fame, ſuſcipere in peregrinatione, eximere in captiuitate, fugienti latibulum, cœco ducatum, debili ſubuentionem præſtare. Terræ quoque ueluti fidæ parentis gemio inhumatum hominis cadauer condere, non in poſtremis miſericordiæ partibus ducitur, poſtquam abijt ille, qui ſui ipſius curam gerebat. Eſt autem adeò præſtans figura humani corporis, quæ quondã domicilium ingenio præbuit, ut non conueniat expoſitam feris uolucribusq́ue pabulum præſtare. De huiuſmodi operibus Paulus Apoſtolus quum loqueretur, uſibus inquit, ſanctorum communicantes: ita enim dictum ab Apoſtolo, ueluti talibus uiris non deceat, quaſi indigentibus ſtipem præbere, ſed cum illis cenſum quodammodo habere debeamus communem. Deinde addidit, hoſpitalitatem ſectantes, quaſi non ſatis ſit hoſpites ad ſe uenientes colligere, niſi etiam ſolicito animo undique perquirantur, & tanquã fugientes apprehendantur. Tantùm ille requirit in fidelibus miſericordiæ affectum. Nonnulli in ueteri lege patres, dum hoſpitalitatem undique ſectantur, nullum prætereuntes uiatorem, inciderunt in Angelos humana uelatos ſpecie, & eos inſcij hoſpitio exceperunt: fœlici ſanè caſu, nam perinde contigit ipſis ac piſcatoribus ſolet, qui & ſi piſcium duntaxat gratia rectè iaciunt, nunquam tamen aurum extrahunt & alia prætioſa. Sed hæc, ut dixi magna: Illa maiora, quæ non ex arca, ſed ingenio eruuntur, iccirco magis ad plures pertinere poſſunt, ſolari afflictum, dubitanti fidele conſilium dare, errantem in uia peccatorum dirigere ad portum ſalutis, hortari, monere, impellere, minari, agere denique omnia, & uerbo, & opere, & exemplo, ut homines contemptis terreſtribus iſtis & corruptibilibus bonis, deſertaq́ue uitiorum ſemita, hæreant diuinis iuſſionibus, & uitæ æternæ deſiderio teneantur. Etenim ſi

ſolemus

ſolemus non amicum modò diligere, ſed etiam omnia, quæ illius ſunt, & ea præcipuè, quibus ille magis gaudet, Deus, qui à nobis eximiè amandus eſt, nihil tam in rebus ſuis ducit & habet, quàm humanos animos ueluti ſigilla & ſimulachra ſuæ mentis. Quid in his appetit? Illud ſcilicet, ut uitam exigant in omni innocentia & ſanctitate ad ſe ipſum conuerſi. Hæc ſunt uirentia paſcua, quæ ille gregi ſuo proponit. Humanos ergo curare animos, & prouidere ne pereant, ne ſcabie malæ conſcientiæ premantur, ne uitiorum ut luporum inuadat in illos multitudo, ne Dæmones ouile Eccleſiæ obambulantes nocturnorum inſtar furum crudeliter corripiant, domumque ſuam abducant, ueri & ſancti Paſtoris munus eſt, & uiri amantis Deum. Maius demum opus, homines collapſos ad æternam conuertere ſalutem, quàm cœlos erigere ruentes, quia hominum gratia cœli conditi, & cœlorum conditor, ut ſalutem hominibus daret, in dura multa & grauia ſe ſe ipſum demiſſit: hæc imitatio diuini operis ſalutem hominibus miniſtrare, quicunque Deum amant, cupiunt eos quoque, quos ille amat, fieri ſaluos: huiusque rei gratia, nullam operam, nullum laborem recuſant. unicum eſt præceptum amoris ut diligatur Deus: illud ſecundum, quod huic eſt ſimile, ut diligatur proximus, ex hoc ſuperiore fluit, illius cauſſa & origo in primo eſt. Denique hæc eſt ſumma mandatorum, tenentem caput, reliqua membra conſeruare. Magna legum caterua, magna uirtutum, ſed hæc omnia una Dei & proximi charitas includit. Si hæc tenetur, omnes leges ſuperfluunt, ſi deſeritur nullæ leges ſatis eſſe poſſunt, hæc ſi aderit uirtus, nihil deeſſe de reliquis uirtutibus: ſin abfuerit, nihil chorus cæterarum uirtutum poterit prodeſſe. Hinc Apoſtolus Paulus, quum contra carnis opera fructum ſpiritus commendaret, fructus inquit, ſpiritus charitas eſt, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas. Ecce quomodo Architectus eccleſiæ in fructu ſpiritus poſuit charitatem, idque à capite, quoniam ab illo reliqua religata penderent. Idem Apoſtolus adeò affectus hominum uoluit ſibi ipſis eſſe inuicem connexos, ut iubeat flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus. Quamobrem ſi quem uiderimus uirtutibus ornatum, aut honoribus auctum, congratulandam illi fuerit & hilaritatis ſigna oſtendenda: Sin afflictum calamitate pro ſceleribus etiam ſuis, ingemiſcendum, quòd talem promeritus fuerit pœnam ſubleuandusque alloquio & conſilio & dolore animi noſtri, omnisq́; miſericordiæ affectus impendendus, & illi quodammodo collaborandum. Hoc enim depoſcit charitas, lætari uerò in aliorum pœnis inhumanum eſt, & odioſum, & prouocans diuinam contra ſe ultionem. nam Dominus quoque mortalis iuſto puniens ſupplicio ſeruum, ſi conſeruorum alium quempiam uiderit in riſum effuſum, indignatur, & in illum iram transfert & uerbera. Et quoniam cœpi perfectam uiuendi formulam inducere, quam quicunque ſequetur, nuſquam (ut opinor) aberrabit, illud etiam addam, oportere confidere diuinis pollicitationibus, & be-

ne animatum ſperare de magnis præmijs in illa mundi arce capiendis, atque ita fortiter cum perfecto atque abſoluto uirtutum munere iter uitæ arreptum decurrere. Operæpretium eſt itidem odiſſe uitia, nam quantò magis ea quis oderit, eò uehementius uirtutis bonum è regione poſitum adamabit. Nec exiſtimandum eſt minus peccata diſplicere Deo, quòd ſerius ea punit, quia quò ſerius, eò durius, propterea quòd neglexerit peccator pœnitere, quanquam non poteſt dici id fieri ſerò, quod bene & ordine fit: ratis enim cuncta aguntur ordinibus in illa æternitate diuini conſilij, quod uſque eo uoluit redundare, unde iuſtitiæ ſatisfieret, ut filium ſuum Vnigenitum terris immitteret, qui culpam à prima radice contractam, quam nemo hominum poſſet eluere, ipſe humanam indutus carnem fluuio ſanguinis aboleret. En iterum dico: (non enim tanta res ſatis pro dignitate dici poteſt) magna uis charitatis effuſa eſt, quum inita fuit ratio pellendi Dæmonum Tyrannidem, & à laqueo peccati expediendi humanum genus: detinebamur à fœdiſſimo hoſte captiui omnes, peccato ueluti prœlio ſuperati. Benedictus Deus, qui nos priſtinæ reſtituit incolumitati, ſed quibus conſiliis, quo genere telorum pugnatum eſt? quibus artibus & dolis? Nullo ne ſtratagemate in capiendo hoſte uſus Imperator noſter? Ille diuinitatem ſuam ſub humana ſpecie occultauit, tum ualidum illum & atrocem crucis fuſtem bellator accerimus tanquam equum conſcendit: ſpineam coronam ueluti galeam indutus, illi non inermi modo, ſed & confixa manu multo cruciatu ferendo auſpicio ſuæ deitatis Dæmones pepulit, imperioque orbis denudauit, ſibi mortem hauſit, nobis uitæ clauſtra patefecit; ut difficilè ſit de impietate eorum, prout cauſſa poſtulat, dicere, qui ubertatem amoris tantam de ſtipitè crucis manantem percipere nō curant. Hæc & alia plura eodem pertinentia ſæpius retractans in hanc cogitationem deducor, ut præclarè tecum actum putem, quòd monaſterii clauſtra ſubieris, ideſt contemplationi diuinorum te addixeris, idque non tibi, ſed Deo aſcribe; cuius benigno erga te flatu eò ueniſti. Nihil ille maius in terris poſuit, quàm mentem ſuo cultui deuotam & mancipatam: ut enim ſi muliercula quædā ancillari fungens miniſterio, Cæſari connubio iungeretur, efficeretur Auguſta non ſui merito, ſed uiri, & in illo culmine conſtituta radiis corruſcans maritalibus immenſum gauderet: ſic humana mens per ſe minus potens ſublata ueluti quibuſdam pennis diuinarum meditationum, ubi uinculo charitatis ſummo illi & æterno bono ueluti ſponſo cuidam iuncta fuerit: tanta in dignitate locatur, quantùm nunquam uidimus, tanta perfunditur uoluptate, quantùm percipi poſſe nuſquam ſuſpicati ſumus. Monachatus (crede mihi) præſtat antiquitate ordinibus quibuſcunq; religionis ergo inſtitutis, exceptis clericis, hunc primum inter Chriſtianos inuenit neceſſitas fugiendi infidelium ſæuitiam, mox utilitas oblectatioque celebrauit, Nihil enim animo puro contemplatione dulcius, contemplationis autem ſolitudo eſt comes, uel nutrix potius. Secedebant ueteres illi

Chriſtianæ pietatis ſtudioſi, & in ſyluis atque inter ſpelæa ferarum, (ut inquit ille) uitam agitabant, ut contemplationi liberius uacarent nullo interpellante, arbitrantes in turbis & hominum frequentia Deum minus inueniri poſſe, nec temerè à ſolitudine illa in urbes remigrabant, niſi, ut; in urbibus eandem facerent ſolitudinem, ideſt multos in idem uitæ traherent inſtitutum, & in eaſdem arenas antraque perducerent. Et hæc quidem in Aegypto Syriaque olim fiebant. Nunc penès nos Monachi in urbibus & agris paſſim occurrunt, quorum qui ſunt probatiſſimi, captant ſilentia nemorum & tectorum, ut ibidem obeant contemplandi munus uacuo animo atque ſoluto, quod ſanè munus, qui negligit inter Monachos Monachus, non eſt in officio, & huic timendum, ne in deteriora prolabatur. Nam qui præſtantiam, dignitatem, uitutem, bonitatem Dei non contemplatur, is naturam diuinam non intelliget, nec quid ualeat, uelit'ue Deus cognoſcet, nam ſicut non uideas id, in quod oculorum aciem non direxeris, ſic nec intelligas, niſi in res ipſas, quæ ad intelligendum præſtò ſunt, mentis aciem infixeris. Quod ſi non intelligit, ne amat quidem: eſt enim principium & fons amandi cognitio, quum incognita impoſſibile ſit appetere. Ergo ſi Deum non amauerit Monachus, quid potius in amore ſequetur? quandoquidem ea uis eſt animi, ut ſine appetitu nequeat ſubſiſtere, mihi uidetur, quòd amabit tunc ſe ipſum obſequiosè & indulgenter, ſenſuumque motus ſequetur: quæ res generat omnem intemperantiam & cupiditatem, ex quibus uitia & peccata naſcuntur. Neceſſe igitur ſi peccata deuitare uelit Deumque pernoſcere, contemplationem, ut colat, ſine qua illa eſſe non poſſunt, eiusq; omiſſionem turpem, indecoram, flagitioſam eſſe, putet. hoc propoſitum Monachi uel ſolum, uel præcipuum mentis iungere aſpectum ſæpiſſimè cum ſumma illa & ineffabili luce, quod ſanè ſuauiſſimum eſt pabulum, ſed nec ullam inuenies rationem melioris uitæ: quid enim præſtabilius, quàm humana delinquentem ſectari diuina? Quid magis lucroſum, quàm reiectis terrenis inhærere cœleſtibus? ſi ſpectaculum mundi, & rerum, quæ in eo uoluuntur, ita detinuit Philoſophos, ut pro eo abijcerēt quaſcunque corporis uoluptates, & ſimul externa omnia commoda deſererent, hac una capti ſcientiæ dulcedine: quid faciendum his, qui Deum omnis fœlicitatis, beatitudinis, bonitatis auctorem ſequuntur? Quicunque ergo te à tali contemplandi munere auocant, quod multos facere uideo propinquos tuos, ij te à uero perpetuoque bono auocant, ad quod te contemplatio deducit. Si negant, ſimiliter faciunt, ac ſi quem fodere & iacere fundamenta prohibeant; & dicant ſe illi tecti poteſtatem non abſtuliſſe. Proponunt nobilitatem & diuitias, quibus florebas, quaſi tu ſolus diues & nobilis, ſæculi perfuga ad religionis caſtra deuolaris: aut turpe ſit tali uiro cingulum Chriſti ſuſcepiſſe, eaque res maculam afferat generi tuo; aut quaſi parum compertum eſſet hæc ornamenta diuitiarum & nobilitatis, quæ gloriolam in uulgus redolent, non fuiſſe multis cauſ-

ſas ad interitum potiusquàm ad ſalutem. At enim concedere dicunt, ut Chriſto ſeruias in ſæculo manens,hæc ratio, quæ pro ſuis utuntur partibus, aduerſus ipſos conuertitur: nam quum de re conueniat, ideſt de ſeruitute Chriſti,cui te addictum eſſe,paciuntur:quæ tamen ſeruitus quo libet regno eſt potior,minus honeſtè poſſunt de conditione ſeruiendi recuſare, præſertim qum in ſæculo poſitus uix id poſſes. Multa enim hîc impediunt, multa reuocant à ſancto propoſito: plura uidere contingit; uel audire, quæ laceſſunt ſenſus ad ſpem improbæ cupiditatis. Nunc ſolitarius effectus & ſilentio humana tranſmittens, nihil uidens, audiens'ue eorum, quæ in ſæculo geruntur, frueris animi placidiſſima pace, quæ te ad maieſtatis Dominum crucifixum deducere poteſt, cuius imaginem induis quodammodo, ubi te ſæculo nudum mortuumque præbes. Omnis tibi prærepta peccandi materia in his, quæ ad ſenſus ſpectant:non fœminam uides,non pecuniam tractas,non litigas,nõ conuitia audis,non emis, non uendis, nõ locas,non conducis,non permutas,non præcario rogas, non rogaris, demũ nemo tibi quicquã exhibet negocij, nec tu alteri faceſſis, quod niſi turpium cogitationum moleſtia conflicteris Dæmonum aſtu excitata, nulla pugna maneret, quæ manet tamen, ut de inimiciſſimo, & infeſtiſſimo hoſtium genere iuſtiſſimũ agas in patria triumphum. Non enim ſolùm aduerſus carnem & ſanguinem (inquit Apoſtolus) ſed aduerſus ſpiritales nequitias nobis eſt colluctatio. & manifeſtè dictum eſt à Petro, quòd aduerſarius ueſter Diabolus circuit tanquam Leo rugiens quærens quem deuoret. Et à Satana tentatus eſt ipſe Dominus: & idem Dominus ad diſcipulos ſuos. Expetiuit uos Satanas hac nocte cribare tanquam triticum. Legimus etiam in Euangelio, Diabolum miſiſſe in cor Iudæ, ut traderet Dominum. Et in actibus Apoſtolorum dixiſſe Petrum Ananiæ. Quare tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto. inſtant,urgentque aſſiduè ſuadelis, ut ad aliquid pertrahant illicitum, ſed impreſſione, ui, impetu, clauſtra uoluntatis humanæ perfringere nequeunt. Formidoloſus ne hic hoſtis, an contemnendus potius? cuius omnis uis eſt in ſuadendo, qui uincere non poteſt, niſi uolentem. Illi tamen plus aſſequuntur ſi ſuaſerint, quàm ſi ui cogerent, idque poſſent, quoniam ui cogens corpus,ſuadens etiam animum capit. Vigilandum igitur & acriter reſiſtendum prauis eorum ſuggeſtionibus & machinamentis, nam oberrant aſſiduè & omnes tentant aditus, ut corrumpant, & è bonis ſeruis malos,& è malis faciant deteriores. Quòd ſi ſalutem aſſequi non poſſumus,niſi per ſummam cuſtodiam & pugam, quomodo qui quæſtuoſis uacant negociationibus, quomodo qui delitijs indulgent, non oportet magis ac magis periclitari? Non inficias tamen ierim quin ubi quiſpiam maioribus effulget uirtutibus, illum Diabolus acrius urgeat & impugnet: non enim alia ratione conuertit ſe contra Adã in Paradiſo conſtitutum, niſi quòd illum multa dignitate uidit conſpicuum. Nec tamen in hoc certamine, quod aduerſus tantam beſtiam ſuſcipitur

ſcipitur

ſcipitur, deeſt nobis Dei præſidium, imò ipſe totum bellum conficit, contentus nos ea in pugna ſtudij aliquid & laboris attuliſſe, ut habeat unde præmia tradat ampliſſima:perinde ac ſi noſtra opera totum bellum fuiſſet confectum.Non ſecus hîc fit,quàm ſi Rex aliquis cupiens filium ad triumphum perducere, ipſe totius belli curam ſuſcipiat, & omnia moderetur. Interim uelit filium cuncto exercitu ſpectante procurrere in hoſtem, & iacula quædam intorquere,ut hinc uictoriam illius faciat,iubeatque triumphare. Similiter nos uult Deus repugnare Diabolo,prompto ac ſolicito animo pro honore ſuo noſtraque ſalute,ipſe deinceps illum deiecturus & fugaturus, & nos poſtremò ueluti ſtrenuos milites ad præmia uocaturus. Præmia autem non qualia in ueteri lege,terra,lacte & melle fluens,longæua ſenectus, numeroſa ſoboles, frumenti uinique copia, pecudum armentorumque fœcunditas, nihil huiuſmodi, ſed adoptio in filios, cum Chriſto fraternitas, hæreditatiſque cœleſtis ſocietas,demum beatifica illa diuini conſpectus ſublimitas. Quæ ſanè tanta ſunt præmia, ut pro illis uel unico die fruendis rectè centum millium annorum labores ſuſtinerētur. Facilior autem foret uictoria, ſi hic hoſtis apertè ac non ſæpius ex inſidijs pugnaret: nam uel obtentu uirtutis ad impietatem occultè trahit,uel ſuadet contemptum minorum delictorum, ut ab eis paulatim ſerpens ad grauiora deducat. Ecce riſus immodicè effuſus leue aut nullum forſitan delictum eſſe uideatur, ſed ab immoderato riſu fit gradus ad ſcurrilitatem, à ſcurrilitate ad detractionem, à detractione ad conuitium, à conuitio ad grauiora denique crimina;quæ humanis etiam legibus atrocius puniuntur. Pleriſque caſtitatis mundicies placuit, nec malè quòd placuit, ſed quod nimium placuit, adeò,ut auſi etiam fuerint in cæteris matrimonia damnare: ſicut etiam nonnulli alij dum nimis abſtinentiam ad eſu carnium probarent, illum omnibus interdictum crediderunt. Dolere de peccatis neceſſe eſt, ſi uolumus ſalutem aſſequi; ſed non tantus debet eſſe dolor, ut ad impatientiam & diſperationem ueniæ impellat,quod multi perpeſſi ſunt, hoc aditu idolatria quoque priſcis inducta temporibus: nam dum uiri quidam magni & potētes multitudini gratioſi uiui & mortui pluſquam oporteret,honorarentur: factum eſt deinceps,ut ſimulachra eorum fingerentur, & ipſi in Deorum ordine collocarentur. Hæc omnia antiqui ſerpentis uerſutia contigerunt, quam tu, ut opinor, uitabis. Ipſe pauca hæc ex multis exempli cauſſa memoraui, ut tu deinceps toto genere perſpecto de his, quæ ad te pertinent, particulatim cogitares. Scio de bello aduerſus Dæmones, deque eorum fraudibus plurimam haberi à ueſtris orationem.Perſuadeo mihi te in hoc tuo Tyrocinio nondum prauas animi cupiditates fregiſſe atque extinxiſſe: fieri non poteſt, quin uehementius impugneris recordatione, præſertim prioris uitæ & antiquarū delitiarum. Sed reſiſtendum eſt acriter, & quemadmodum hi, qui Hieroſolymæ muros ſub Dario inſtaurabant, una manu opus faciebant, altera telum geſtabant, quo irruentes hoſtes propulſarent, Sic & tibi faciendum

dum utrunque, ut aduerſus uitioſas cupiditates pugnes, & in diuinis exercearis. Non enim omnia iniuſta & infeſta ſuggerit Diabolus, ſed multa illorum à nobis proficiſcuntur: hoc ipſe (ut opinor) ſentis: non tot infrugiferas & nocentes educat herbas tellus, quot & quantas concipit humana mens noxias & peſtiferas cogitationes: quæ in ipſo ſemine elidendæ ſunt, ne quid deinceps deterius contingat. Verùm ut redeam ad id, quod in hoc meo ſermone fuit propoſitum, poſtquam oſtenſum fuit Chriſto omnino eſſe ſeruiendum, rectè id uitæ genus à te delectum dico, quod præſtantiſſimè id efficere ac præſtare poteſt. Nam, quum quilibet hoc unum proponere ſibi debeat, ueluti ultimum actionum ſuarum finem, ut Deum toto pectore, totiſque uiribus diligat, & eadem dilectione ferueat in proximum propter Deum: tu ut iſtud melius conſequerere, non ſolùm tibi præcepta legis, uerùm etiam conſilia euangelica ſeruanda putaſti. Præcepta ſunt, ſine quibus non contingit illa dilectio: conſilia, cum quibus tutius & perfectius contingit. Quantò enim magis cæterarum rerum imminuitur cupiditas, tãtò feruentius fertur affectus in Deum, & in illum quem is ſummè diligit proximum. Nec aliò ſanè ſpectant aſſiduæ lectiones, crebræ uigiliæ, continuata ieiunia, nuditas corporis, durum cubile, extrema paupertas, niſi ut contemptis terreſtribus bonis ſola amentur cœleſtia: caſtitas non præcipitur, ſed ſuadetur: appete coniugium, minus amaueris Deum, melius igitur abijcere, quoniam (ut inquit Apoſtolus) Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori. Idem maneat de honoribus, diuitijs, delitijſque omnibus ſermo, ut qui hæc perſequantur, neceſſe ſit eis minus amare diuina. Si cui propoſita eſſet una corporis ualetudo ſecunda, huic profectò neceſſariò ſumendus cibus: nam ſine eo non contingeret ea, quam exoptat ualetudo. Quid ſi idem appetat frui pleniori ualetudine, & in ea cogitet firmius permanere? huic ſcilicet obſeruanda ſunt plurima, quæ illi medicinæ ars ſuggeret. nam nõ quemlibet cibum ſumet, ſed non niſi eum, qui iuſſus fuerit, & certas exercitationes corporis præſtitutis temporibus ſuſcipiet, & alia aget, quæ periti artis iniunxerint. Hæc ad te refero, qui in diligendo uitæ genere, non quæſiſti neceſsaria, ſed quæ eſſent meliora. Nam ſi ſatis fuiſſet tibi amare qualitercunque Deum, poteras domi manens, tuiſque perfruens opibus, præcepta legis ſeruare, quæ in medium propoſita ſunt omnibus. Sin autem cogitaſti firmius & feruidius, atque adeò fœlicius amare, tibi non ſolùm ſeruanda ſunt, quæ imperantur neceſſariò quibuſlibet, ſed ea etiam, quæ paucis ſuaderi poſſunt aſſumenda, ut uoti compos reddaris. Relinquenda domus, deſtituendi affines, ſermo familiarium deſerendus, diuitiæ repudiandæ, honores ablegandi, nihil de connubio meditandum. Si uis perfectus eſſe (inquit Saluator ad eum, qui ſe cuncta legis mandata impleſſe iactauerat) Vade & uende, quæ habes omnia. Cur, ut habeam mihi pretium? Non: ſed

da

da pauperibus. Durum id quidem, ſed nondum hoc ſatis: ſubiicit enim: ueni, & ſequere me: qua uia? qua ego ſcilicet gradior, patientiæ, paupertatis, caſtitatis, humilitatis. Denique, ut hunc concludam locum. Si id, quod alto animo exaggeratoque feciſti contemptis ampliſſimis opibus & reiectis, uiderem à te leuitate iuuenili & ardore inconſulto ſuſceptum, hortarer tamen, ut ad quam uiuendi normam ſemel animum applicuiſſes tuum, in ea permaneres, fortiterque cuncta ferres, etiam ſi uiderentur atrocia nimis & acerba: quoniam tanta in re tuenda tibi eſſet dignitas, & conſtantiæ ſeruiendum. Nunc autem quum nihil feceris, niſi maturo iudicio, re bene explorata, cedat ueritati opinio, & querulas amicorum moleſtias iuſta animi tui iracundia repellat. Ego enim, & ſi dum nobiſcum eſſes, redderer ex conſuetudine tua lætior, & conſilio prudentior, & opera fructuoſior, denique magnam ſpem præſidiumq; rerum mearum in te uno florentiſſimo & nobiliſſimo collocaſſem, quem ſciebam amicitiæ leges, tum exactè noſſe, tum diligenter ſeruare, tamen ſic cœleſtem hæreditatem capiam, ſic Chriſto tecum frui liceat, ut tibi faueo meliora ſequuto, poſt habita ratione commodi mei, ita ut iam uitæ tuæ ſingulariter ducendæ ſpe cogitationeque delecter. Quæ enim illa aderit uirtutum caterua, dum Chriſtum conaris imitari, ueſtigioque eius affigeris? Tu noctis mediæ curriculo, tu in lucis crepuſculo, tu ad primam diei horam, ad tertiam, ad ſextam, ad nonam, tu ueſpere, tu in ipſo noctis ueſtigio diuinas laudes cœleſtis pica decantabis. Te cum Deo magis, quàm cum hominibus colloquentem rarus ſermo, crebra oratio delectabit. Hoc ſanctiſſimo orationis thure aram uirtutum, quam in tuo pectore diuino numini ſtrues, quotidie adolebis. Te longiori noctium ſpacio lectio magis quàm lectus detinebit. Tu nihil iniuria, miſericordia multùm mouebere. Tu obedientiæ iugo colla ſubmittens alterius uoluntati potius obtemperabis, quàm ſequeris tuam. Tu pauperiem colens, nihil habebis tuum, nec habere uoles, ſola locuples uirtute. Tu carnis petulantiam, tu libidinum ſtimulos ieiunijs franges, uerbere coercebis. Mirùm fuerit uidere Chriſtum in pectore tuo cubantem, nunc quietè, nunc diſſerentem ſublimia cœlorum myſteria. Mirùm perſpicere animum tuum nauis inſtar inferius clauſum ad terrena, apertum autem à ſummo, & patentem ad cœleſtia. Quid? ubi oppreſſis corporis ſenſibus contemplari cœperis? quomodo tunc deorſum non fereris, ſed ſublimia cuncta pura mente luſtrabis? quomodo Dei aſſiſtens conſpectibus, beatificeque illius lucis radijs percuſſus, non cœleſtium illorum gaudiorum guſtum aliquem captabis? At ne hîc quidem omni uoluptate aurium oculorum'ue carebis, nam quòd ſuburbana inter prædia cellulas ueſtras tenetis, mirè uos oblectabunt lapſus auium inter frondes, & cantus, tum puriſſimi fontis ſpeculum, & immurmurans riuus, & laſciuiſſimæ arborum comæ, prataque inſuper uirentia depictis ornata floribus, ex quibus non dubito, quin uos maximè afficiant purpurei,

qui

qui colore referunt Chriſti uulnera:poſſunt itidem ad purum candidi ſan tiſſimæ Dei genitricis Mariæ admonere, quæ uita talis fuit: nam etiam dum illic fueris, retinendus animus erit in cuſtodia bonarum cogitatio-num, & ut inter herbas uaganti in ſingulis penè paſſibus uiperini Dæmo num allapſus timendi: Memor quid & quantùm inter ſupernas Paradiſi delitias callidiſſimus ſerpens in primos generis noſtri parentes potuerit. Sed & cœli ipſius ſiue diurnus, ſiue nocturnus conſpectus memoriam di-uinæ magnificentiæ reuocare poteſt, cuius illa ipſa eſt ſedes, tot flagran-tium ſiderum radiata luminibus. Denique quicquid occurrerit ſenſibus id cœleſtium myſteriorum cogitationes commouebit. Omninoque illud tenebis Cratetis Philoſophi, qui intra mentis penetralia nunquam cum homine improbo colloquendum eſſe, dicebat. Non enim amat nos Chri ſtus ſemibonos, uel conſortem alium perpeti poteſt: magno nos emit, ut ſolus haberet. Itaque ubi in mentis noſtræ regno uidet qualemcunque locum Diabolo traditum, indignabundus abſcedit, & totam ditionem ad uerſario relinquit. Hanc firmiſſimam habeo cauſſam, cur multi labantur Monachorum, quia per multa & uaria uagantur animo: nam ad opes, ad potentiam, ad pecuniam, uel ad alia quædam animum inflectunt: unum uerò præcipuum, ad quod cætera dirigant, non habent. Omnium autem actionum & menditationum finis tibi erit propoſitus, una res, de qua tam multa diximus, charitas ſcilicet Dei: in hanc cætera omnia reſpicient tua in hoc ueluti immobile ſignum omnes mentis diriges ſagittas. Multa ua ria & diuerſa agit & tentat medicus, nec ad multa tamen, ſed ad unum reſpicit, bonam ſcilicet ualetudinem, & firmum corporis habitum. Quid Ductor exercitus, quanta parat, miſcet, aggreditur, molitur, unum & ille ſpectans, hoſtium ſcilicet uictoriam: ſic & tua multa, quæ ages, unum erit, quia uno fine clauduntur: qui autem multa agentes ab uno rece-dunt, inutilem exitum forſitan & peſtiferum ſortientur. Narrat Diony-ſius Areopagita in libro eccleſiaſticæ hierarchiæ ritum, quem primum Chriſtianorum eccleſia ſeruabat initiandis Monachis. Inter cætera ſolen-ne fuiſſe ſcribit, ut ſacerdos initiandum Monaſticæ uitæ interrogaret, num uellet uitæ diuiſibili renuntiare. Hoc ego dum legerem, ſolicitus aliquandiu fui, quam uitam uocaret ille diuiſibilem: ſed tandem occur-rit diuiſibilem uocari uitam, quæ per uaria funderet hominem negocia: huc illuc raperet, qualem obeunt ſæculo utentes. Sed non ſolùm diuiſi-bili uitæ utrum renuntiaret interrogabatur, ſed diuiſibilibus quoque co-gitatibus & affectibus, id eſt, qui per diuerſa illum diſtraherent: Sic etiam tum cognoſcebatur Monacho per uaria non eſſe uagandum, ut in profeſ-ſione Monaſticæ uitæ hoc ipſum polliceretur, quod etiam in Euangelio indicauit Saluator dum Mariam intentam contemplationi diuini uerbi plus laudat, quàm Martham ſatagentem circa frequens miniſterium. Por rò, inquit, unum eſt neceſſarium: Sed nec diuiſum hominem amat Apo-ſtolus, dum deterrés à connubio in prima ad Corinthios inquit, ut proxi-

mè retuli. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui cum uxore eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuiſus eſt. Vides qualiter homini coniugato exprobret quodammodo diuiſionem Apoſtolus quaſi amorem,quem unicè debet Deo, cum uxore partiatur. Quæ ego omnia idcirco diſſerui,& longiore ſermone protuli, quod allatum mihi erat, quàm tibi gratum eſſem facturus, ſi ſcripſiſſem ad te aliquid confirmandi animi tui cauſſa,in ſuſceptaque ſententia roborandi. Feci quod potui, lapidemque omnem ad eam rem tenendam, ut dicitur, admoui: nam initio ſermonis memoranda temporum & morum iniquitate, eò tetendi, ut docerem te monaſteriorum incluſum latibulis mala plurima & præſentia & impendentia declinaſſe. Deinde altera parte oſtendere uolui, etiam ſi bona eſſent, quæ reliquiſſes, te tamen melioribus adhæſiſſe: ſiue enim ſæculi fluctus impotens ferre animus in cœnobio, ueluti in portu quietis anchoram iecit, ſiue ad opes collatas reſpiciens, quæ magnificum te facerent poſſeſſæ: magnificentius putaſti illi decedere religionis ſtudio, utraque ratio propoſito tuo confirmando ac retinendo aptiſſima. Neque tamen ego dum Theologica illa tractarem, uolui ego riuulus tantulæ aquæ fluentis meis pelagus ueſtrum inundare, quando, quæ ipſe properanter, & ueluti præteriens aſpexi, tu quotidie à peritiſſimis eſſes auditurus, & è libris ſumpturus, & uſu periclitaturus. Sed neſcio quomodo traxit me rerum ordo, ſerpereque cœpit longius ſermo meus, quàm putaram: & quum tam ualde delectarer ipſe in ſcribendo, putaui etiam tibi non iniucnnda fore ad legendum. Si profecimus aliquid lætabor, tollenſque ad cœlum manus gratias agam immenſas cœli Domino,qui tantam uim infuderit ſcriptioni iſti, ut potuerit nutantem labentemque mentem tuam in re minimè puſilla confirmare. Sin actum eſt nihil, quoniam immorari omnino & immori propoſito decreueras melioribus certioribuſque argumentis ductus: Laudabo hanc præclaram & egregiam animi tui inductionem, nec minus gaudebo, quando in amiciſſimo uiro ſatis neruorum, ſatis præſidij in ſe ipſo ad religionis ſuſceptæ cultum tuendum cognouerim.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE VITA PERFECTA ORATIO.

DICTVRVS de Monachis, illud primùm egregiæ eorum laudi aſcribo, quòd non ſermonibus ſed uitæ oſtendunt omnibus, qui æternam fœlicitatem adipiſci ſtudent quid agendum, quodque iter ingrediendum ſit: nam quum reijciant, quantùm fieri poteſt externa commoda, & corpus uariè affligant, quò expeditius ad uirtutis uſum habiliusque reddatur, illud ueluti in commune proponunt, magnas ſubeundas moleſtias, magnos exanclandos labores, ut ad magna fœliciaque præmia perueniatur. Non enim hos uiros Deo plenos id facturos credibile eſt, niſi facere expediret. Auſi ſunt è gentibus quidam hanc ſententiam ueluti præclarum quiddam circunferre: optimum homini eſſe non naſci, proximùm, quam citiſſimè aboleri. Videbant humanam uitam omnibus fortunæ telis eſſe obiectam: uidebant timorum ſtimulis, dolorum cruciatibus, laborum moleſtijs, libidinum facibus agitari, hinc humani generis primordia deflebant, hinc ſe materno utero tanquam inſcribi noluerant, & abradi quamprimùm cupiebant: quæ ſententia, quàm inualida ſit uel illud indicat, quod ſibi parum conſtat: nam ſi hi, qui non naſcuntur, non ſunt, & optimum eſt illis non eſſe natos, id quod non eſt, dicunt eſſe; & (quod maius eſt) tradunt ei optimum eſſe. poſſunt ne ſibi ipſis magis repugnantia proferre? non enim intelligi datur, quomodo non dico ſummum, ſed uel paruum bonum inſit ei, qui non ſit: nam ſi ineſt, illum eſſe oportet tanquam excipientem, quod infunditur. Deinde mollis hæc & delicata ſententia nihil neruorum & roboris tribuit animis ad tolerantiam malorum, per quam uirtus humani pectoris magis explendeſcit. Ad hæc qui ſe homines natos conqueruntur, illud moleſtè ferunt ſe ſimulachra eſſe diuinæ mentis, ſe ingenio, rationeque pollere, ſibi colloquij uim, ſibi urbium ſocietatem, ſibi uariarum artium inditam diſciplinam, ſibi denique traditam uiam æternæ beatitudinis comparandæ. At ea aſpera eſt uia, ea ſcilicet gratia, ut uirtus animi prodeat, exerceatur,

nam

nam uirtus nullis tentata periculis, nullis examinata difficultatibus pondus non habet: ſed inane quiddam & caſſum eſſe, dicetur. Ergo aduerſus iſtos humani generis extinctores clamant Monachi non uoce, ſed opere, homini optimum naſci, non ſi in corporeis uoluptatibus & in omni abundantia fortunæ molliter & eneruatè uixerit, nulla interpellante aſperitate: ſed ſi ab adoleſcentia humilitatis iugum ſponte exceperit, & pietatis ſtudio multa tulerit acerba: hoc itinere perueniri ad cœleſtia præmia, quæ nulli conſtituta ſunt, niſi acri bellatori: cunctis enim mortalibus colluctandum cum fortuitis caſibus, cum uitiorum illecebris, cum antiqui ſerpentis inſidijs: quam ſanè colluctationem nemo ritè diffugiat, niſi ſi fugiendum eſt uincere, & uictorem conſpici cum fulgida corona. Hæc præclariſſima Monachorum uox, quam tacentes profundunt ad eos, qui non uerba, ſed rem inſpicere ſolent, excitare poteſt quoſlibet. (de his etiam loquor, qui à Monaſtica ratione procul abſunt,) ut moleſta difficiliaque multa, quæ humana circunfert uita, non abſque diuino nomine, non modò æquo animo excipiant, uerùm etiam parato, quaſi per hæc ſit iter ad præmia, quæ fideli cuilibet in cœleſti regno pro paruo finitoque opere, infinita immenſaque perſoluuntur. Nos etenim, qui ſæculo utimur, & ſi grauia ſæpe toleramus, non grauiora tamen, plerunque quàm Monachi, qui ieiuniorum, uigiliarum, orationum, paupertatis, afflictionis, luctus principem locum tenent: ideò etiam finita uia ſplendidam admodum & magnificam, multiſque claram gemmis referent coronam. Volo autem intelligi me ſermonem habere de his, qui uerè ſunt Monachi: nam multos hodie nouimus, qui amictu, & alio externo cultu, & magna cæremoniarum frequentia Monachos uideri ſe ſtudent, quum tamen eorum more à uetere illa Monachali dignitate atque auſteritate abſint longiſſimè: horum cupiditate, auaritia, arrogantia, libidine magna legitimo illi Monachorum nomini calumnia impoſita eſt. Veruntamen ſcio, quòd ſi quis uerum Monachum proprijs obduxerit coloribus, is ſimulachrum perfectiſſimæ uitæ oſtenderit, quod bene pernoſſe pertinet ad eos etiam, qui nec propoſitum Monachi, nec inſtitutum ſequuntur: nam quum cognouerint, aperteque perſpexerint, quis ſit ille perfectiſſimus humanæ uitæ ſtatus, intelligent ſimul, quem gradum ipſi teneant: ne forſitan per inſcitiam ima pro mediis, uel media pro ſummis habeant, Accedat & illud, quod optimum quoque unuſquiſque ad imitandum ſibi debet proponere, quia fieri poteſt imitatione optimi, ut indies proficiat, & ad ſummum euadat: quòd ſi uiribus deſtituatur, ſtudiũ tamen illud tendendi ad optima laudabile eſt. at is, qui deteriora ad imitandum ſibi ſumpſit, creditur aſcendere noluiſſe, & potuiſſe forſitan altiora, ſi ea tentaſſet. Nihil enim prohibet in ſæculo agentem, ſi non in cunctis, at aliqua ſaltem ex parte, id quod in Monachorum eminet uita, æmulari. Igitur facturus operæpretium mihi uideor, ſi accuratè orationem deſcripſero, quam olim Monachum Bonifacium talibus de rebus

habuiſſe ferunt, hominem non ſanctitate modò uitæ inſignem, Deoque
plenum, ſed qui etiam ſcientiarum omnium artibus nobilitatus non mi-
nus humana ſtudia, quàm diuina teneret. Is exoratus ſemel à Monachis,
qui frequentes de induſtria conuenerant, ut formam cunctis uitæ melio-
ris proponeret, quam formam inquit? cuius uitæ? nam ſi telam alterius
cuiuſpiam uitæ texere uoluero, uelut principis, uel patrisfamilias, uel
agricolæ, ſatis ineptè, ſi placitura alijs uobis expoſuero; ſin illius, quæ
ad nos ſpectat, ſatis ſuperfluè, poſt multorum literas, quibus Monachi
munia deſcripta ſunt. Neque ego ſanè uelim, aut debeo præcipere aliis,
quæ & ſi ſcientia fortaſſe, moribus nondum apprehendi exemplo prius
loquendum eſt cætui, deinde ubi res tulerit, ſermonibus. Tum qui ade-
rant ſeniores, at qui (inquiunt) res nunc tulerit. Vides ipſe multis locis
collapſam Monachorum diſciplinam, quæ forſitan opera nunc tua reſti-
tui poterit. Trahuntur innumeri ueluti torrente quodam malæ conſue-
tudinis ad pecuniam, & alia profeſſioni huic non ſatis apta: alij dubi-
tant, quid expediat, nonnulli quid liceat, & quorſum ſit progrediendū.
Tu uerò legitimas illas Monachi partes nos edocueris, ut qui in his diu-
tius fueris uerſatus, & nihil ferè aliud tota uita commentatus. Neque ue-
rò uir omnium prudentiſſimè nos, quos charos habes, ad libros relegaue-
ris, nulla ea cauſſa eſt, ut uelis aures noſtras, & hæc fratrum pectora nomi
ni tuo deuotorum, uocis tuæ fructu fraudare. Primùm pauci ad libros
adeunt, non omnes literarum ſtudia tractare norunt. Deinde quàm mul
ta confuſa in quibuſdam & obſcura, & repugnantia interdum, ut ſæpe me
lius fuerit talia ſcripta non tetigiſſe. Tum etiam illud, quòd non tam com
mouent paginæ ſpiritu, & actione carentes, quàm uox & uultus ſolet ar-
dentis in oratione & fulminantis uiri. Adiice huc, quòd ſi quid à magi-
ſtro paulò obſcurius fuerit prolatum, uel à diſcipulo minus perceptum,
demum occurrat aliquid, in quo hæreat auditor, licet adire, & percun-
ctari, & de quibuſdam planius edoceri, & ſe ſe à dubitationum laqueis
eximere: his enim omnibus opportunam operā commodat magiſter. À
libro nihil tale expectes, qui nunquā cōmutat, uocem ſed eadem ſemper
dicit, nec ſi quid interrogaueris, reſpondet. non enim profert uerba, ſed
uerborum imagines: quamobrem rectè dictum eſt de libris, illos mutos
eſſe magiſtros, ut melius ſit quandoque ab illis recedentem, quærere
alios loquentes, quantò etiam melius eloquentes: quòd ſi magiſter e-
loquens petendus nobis fuit, neminem te potiorem habeamus. Fin-
ge, quos nos eſſe uelis: Si ignari, doce ignaros, ſi prudentes, inflam-
ma prudentes. Nam quod poſtea ſubieciſti exemplo uitæ prædicandum
eſſe omnibus, id libenter agnoſcimus, ſed inter exempla hoc quoque,
quod quærimus poſitum, prædicatio ſcilicet uocalis regni cœleſtis,
quod & à Chriſto, & à cæteris magna cura ſolicitudineque munus
impletum eſt: petimusque à te, ut hoc exemplo prædicationis, quæ
uiuæ uocis inſtrumento profunditur, tantam Monachorum multitu-
dinem

dinem id ſitientem atque expoſcentem erudire ne graueris. Nequaquam (inquit Bonifacius) ſic fieri oportet. Ignoſcite quæſo timiditati meæ. Vos etenim mihi onus iniungitis, quod non modò tollere, ſed uel paululum attrectare quiuis prudens perhorreſcat. Nam quum Monachalis uita apex ſit cæterarum, hanc ad ultimam ſui ſpeciem normamque redigere, quantùm eſt? ſcio ſi id poſſem, nihil pulchrius aut perfectius oſtendi ualeret. Sed & ætas ueſtra, quæ multa eſt: & ſcientia, quæ ſumma & auditorum conuentus, qui futurus eſt maior, haud uulgari orationis genere tractari ſe uolent, unde autem id mihi? Itaque petitionem hanc ueſtram comprobare nequeo: ſed ne uultus quidem mihi hic ueſter placet, qui in quibuſdam nimis deiectus, in alijs etiam eſt minax. De uultu quæror? quale autem id interpreter, quòd uniuerſi corporibus me circunſtatis, tot ualidi imbecillum ſenem, non miſſuri, ut uidetur, niſi uotis ueſtris obſequutus fuero. At indignum fratres ueſtra gloria, ſi indicta pertrahor cauſſa ad tam graue munus, nec excuſandi fiat poteſtas, & non liceat obtendere ſaltem ſeniles hos annos, qui non corporis modò, ſed animi quoque robur fregerunt. Quòd ſi cogere, uim afferre mens fuerat, miror ueteris moris oblitos, nam quum Monachos auſteriori uitæ diſciplina conſpicuos, Chriſtoque, ut ita dixerim, fœtos Epiſcopi ad Sacerdotium uellent protrahere publicæ utilitatis gratia, ſuccinti pluribus Diaconibus & miniſtris occaſione qualibet comprehendebant; & ſumma ſolicitudine os eorum teneri iubebant, ne elabi cupientes per Chriſti nomen, ut mitterentur, adiurarent. Hæc erat forma inuitos & reluctantes ordinandi. Quanquam talibus rebus beatus Hilario frangi non ualuit, cuius iter, quum à frequentibus Paleſtinæ populis obſideretur. Vir autem ſanctus ſolitudinis amore flagraret, ubi precibus abitum non impetrauit, ad minas uerſus. Moriar inquit ante pedes ueſtros hoc loco, niſi mittitis, non diutius ſpirantem habebitis, iam iam cadaueris huius ſepulturam uobis relinquam. Hæc & talia loquens ſenex turbatiori fronte feruidas ſcipione diſcutiebat arenas: cunque cibo abſtinuiſſet uſque in diem ſeptimum: moti tanta mentis peruicacia hominem miſſum fecerunt. Hoc ego non tentaro, ſed quod imponitis negocij, humillimè potius deprecabor. Vnum illud uobis expromere poſſum deſiderium meũ: quo iam diu flagro. Vtinam ad fidei noſtræ incunabula & naſcentis ipſius eccleſiæ primordia reuolueremur, quo tempore quenquam è grege noſtro nequam inueniri uix fas erat. Diffundebatur Chriſtianum nomen per omnem ætatem, ſexum, ordinem, omnia Chriſticolæ impleuerant, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra, tribus, decurias, palatium, forum, curiam: templa ſola reliquerant idolorum cultui mancipata: & tamen infinita illa multitudo omni ſtudio religioni ſeruiebat, uno fratrum nomine cenſebatur, quæ hodie ad paucos ueſtri ſimiles redacta ſunt: at præcipuum erat temporum illorum ſtudium antelucanos cœtus habere, peruigilias totarum noctium crebro duceres, non ſolùm ad

canendum

canendum Chriſto, uerùm multò magis ad collationem diſciplinæ, qui mos ſi perenniter teneri potuiſſet, non incuria & obliuione mores delapſi fuiſſent. Interrogauit aliquando Chriſtus diſcipulos, quem eſſe illum crederent, quorum unus Petrus apertè ſe indicauit. Tu es (inquit) Chriſtus filius Dei uiui. Vnum hunc ſermonem, quem extulit piſcator, tot innumeri uiri ſequuti ſunt, quem tantùm abeſt, ut mutauerint in uita, ut uitam ipſi ſuam ne mutaretur, proiecerint. nullis unquam irrogatis ſupplicijs tyranni illud delere potuerunt, quid gladios, compedes, carceres, cathenas, rotas, eculeos, caminos, ſartagines, flammas, uncos, cruces, beſtias, & mille alia commemorem? quibus adijciebantur corpora fideliū: tenuit uerbum Petri aduerſus hæc inuictam patientiam, deque crudelitate & ſæuitia tyrannorum glorioſè triumphauit. facilius fuerat pharetram exhauriri tormentorum, quàm filium Dei non habere in ſe credentes: exquiſitior quæque crudelitas illecebra erat maior ſectæ, ubi plures cadebant impiorum manu demiſſi, illic uberior credentium exoriebatur ſeges. Etenim ſpectantium animi mouebantur, & intra unum quenq; obloquens tacita cogitatio hæc erat, niſi uero niteretur Euangelium, nunquā tot homines deuotis corporibus aſtarent: nemo profectò tam ardenti, tamque alacri animo uaderet in in mortem, niſi pro meliori uita uideret ſe moriturum. Hæc cogitabantnr, & talibus teſtibus ſignantibus, quæ dicerentur proprio cruore inducti mortales cauſſæ ſe ipſos iungebant, & qui alios miſerati fuerant cadentes, mox & ipſi eodem nomine cadebant. Magnum eſſet dicere quanto ardore illa gererentur, nam non uirilis modò, ſed infirmus ille fœmineus ſexus adeò pro fide concaluerat, ut dilaniatis corporibus Chriſtum faterentur: non acerbitate ſuppliciorum, non ſpe retinendæ uitæ adduci poterant, ut uocem & actionem obliquarent. Iam præclarum erat Cathecuminorum uidere conſtantiam, qui fidei candidati nondum ad eius honorem ingreſſi, pro ipſa tamen fide ad ſupplicia uolentes trahebantur. Sæua aliquis putaret illa eſſe tempora, ego uerò beata iudico, quando crebro Martyrum uictimæ feriebantur, quando cruentas illorum funerum exequias miſerando affectu Chriſti plebs proſequuta ad eccleſiam mœrens reuertebatur. Omnis tunc illa quidem multitudo lugebat, ſed omni riſu & cantu luctus ille erat fœlicior. Hic terror, hæc flamma, quæ aduerſus Chriſtianum nomen exarſerat, attulit initium Monachatui noſtro, ut de hoc etiam aliquid tanquā præteriens dicam. nam nonnulli, ut fugerent ſæuitiam illam, & ne uiderent, quæ fiebant, in ſolitudinem conceſſerunt, ſed quod primùm neceſſitas inuenit, mox utilitate rei perſpecta uoluntas celebrauit. Itaque pluribus confluentibus illuſtre Monachorum nomen redditum, mirante ſæculo auſos eſſe homines relicto omni humano cōmercio ſolitariā uitam inter feras agitare. Nam præruptas rupes, nemora, antra, arenas incolebant, & tantùm delectabat eos ſolitudo, quæ terret cæteros, ut quò horridior eſſet regio & deſertior, & minus humanis paſſibus peruia, eò libentius

bentius ueniretur. Magnis erat in delicijs præterfluens riuulus uicinus tecto, qui potum præſtaret & huic iunctus palmæ ſtipes, qui folia in ueſtem, & baccas in cibum proferret. Cæterùm in ſacris hymnis & canticis & meditatione diuinorum tota ducebatur ætas, corpus erat neglectui, at acerrimo ſtudio excolebant, quod in illis cœleſte fuerat atque diuinũ. Itaque hæc uita, quæ uidebatur ferarum eſſe ſocia, quantùm tunc lucem intuebatur? quibus intererat cœlorum arcanis? & quàm ualde beato Angelorum conſortio fruebatur? Vellem ut ad initia ſermonis huius redeã, deſiderio inſpiciendæ tantæ uirtutis, uel illis me natum temporibus, uel hæc noſtra illorum eſſe ſimillima, quibus facere homines optima, quàm dicere aut audire mallebant. Quanquam non noua quidem inſtituta uituperanda ſunt, ſi quis in eis rectè permanſerit, uetera tamen iſtis antepono. Hîc quum tacuiſſet Bonifacius. Tum illi, Non eſt iſtud deſideria noſtra reſtinguere, ſed incendere: quantum antiquitantis in te eſt? quantum exemplorum? Expone igitur nobis qualia uetera illa fuerant, uel hæc noua, qualia eſſe debeant, effice ut fruamur aliquando ubertate doctrinæ tuæ. Da hoc precibus noſtris, ad quas officio iuſto impellimur, da multorum fratrum indigentiæ, da charitati Chriſti omnia grauia & dura ferendi: attẽde, quòd cõſerui Chriſti, quòd commilitones Monachatus ſumus, quorum ſalua pietate commoda reijcere haud potes. Cur igitur dicturum non polliceris? quid hæres optimè, quòd ſuſpexiſti cœlum, nam hinc tibi deſcendet auxilium, quod ſi pertinaciter nos reijcis, non afferemus tibi quidem uiolentas manus, nec te ore clauſo ad ſuggeſtum pertrahemus, illicque ad dicendum conſtituemus; ſed tamen minamur tibi ne illud fruſtra de minis dixeris, iacula orationum noſtrarum, rogabimusque proſtrati Dominum, ut te uerbere aliquo admoneat, quantum mali ſit fraterna deſideria, præſertim talia fruſtari, & forſitan tunc intelliges, quàm bellum ſit ſponte facere quod oportet, & non compulſum: nam poſt plagã ſuſcipere id uoles, quod nũc recuſas. En minæ, en tela, quibus cõficieris, niſi caueris. Ad hæc Bonifacius. Nihil eſt (inquit,) quòd miremini me in maiorũ geſta oculos mentis intendere: equidem nihil libentius facio uel ad animi requiem, ad ad fructum. Videor mihi peregregiam morum picturam cernere, ſed eam ueluti euaneſcentem uetuſtate, cuius formam non modò ijſdem coloribus reponere, ſed uel extrema lineamenta ducere, arduum puto. At enim urgetis uos, ut genus ipſum aggrediar Monaſticæ uitæ, uel quale olim fuerit, uel nunc eſſe debeat, & niſi id fecero, mihi & Deum, & Orationes, & ſpicula minitamini, quibus configar: hæc profectò uis eſt, & magna quidem, nam maiori ui utitur, qui terret animum, quàm qui manum inijcit corpori. Sed & charitatem ad me allegaſtis & commilitium Monachale, ueluti Oratores quoſdam placitos & facundos, quibus religio ſit quicquã denegare. Concedendum eſt igitur, ut opinor, & faciendum quod petitis: malo enim uoluntati obſequens ueſtræ impudentiæ notam ſubire,

quòd

quòd ſupra uires onus ſuſtulerim, quàm ſi recuſaro, uideri non ſatis pius & ab humanitate alienus. Et quoniam melius eſt ſumpto ad cogitandũ ſpacio paratius dicere, diem ad eam rem commodo ueſtro ſumite: nam tunc copiam mei faciam, & loquar ut potero, ſtudioque ueſtro permotus ſenectutis meæ imbecillitatem uincam. Si ueri & perfecti Monachi uitam uiuerem, uel ſaltem tantæ laudi proximus eſſem, cupiditatibus ueſtris plenius reſponderem; & poſſem tunc apertius legitimi Monachi partes oſtendere. nunc à uobis illud petendum uidetur, ut quum rem tractare cæpero, animum tunc magis meum, quàm rem ipſam emetiamini, ſimul cogitetis me tantum munus non appetiuiſſe, ſed à uobis impoſitum ſuſtinuiſſe. Ita fiet, ut ſi quid deliquero, facilius ignoſci poſſit. Veruntamen, quoniam omnia, quæ ad Monachos ſpectant, uno ſermone explicare impoſſibile, uidendum eſt uobis, quid de illis potiſſimùm me loqui uultis. Tuum ſit arbitrium (inquiunt) de quibus loquaris, modò de magnis. At ego (inquit) de paruis, anguſtis, humilibus cogitabam, quibus tamen credo uos magnopere delectari. Quid enim tam paruum, quàm paupertas ſecum pauca ferens? quid tam anguſtum eſſe poteſt, quàm ieiunium modico ſaturum apparatu? obedientia quid humilius, quæ ſuam uoluntatem alienæ ſemper inflectit. In horum & ſimilium ſermonum ſtadio decurret eloquutio noſtra, niſi uos aliud quid cenſetis, quod quoniam annuitis, illud etiam reſpiciendum, num his quoque Deus annuat, ſine quo non modò tanta res perfici poſſet, ſed ne minimi quidem muneris ulla pars rectè attingeretur. Rectè mihi nunc uideor alium ad dicendum ſumpſiſſe diem, quia interim orationibus me ueſtris penès Deum humillimè fuſis iuuare poteritis, idque à uobis uiciſſim, ut faciatis peto; rogandus quippe eſt Dominus, ut illo die adſit, & ſacro ſpiritus afflatu ita linguam moderetur, ut ea dicantur, quibus æterna uita ſalusque animis pariatur, charitaſque in illum noſtra feruentius incendatur. Non reſpiciat ille ad delicta mea, ſed ad poſtulata ueſtra: nam & ſi ego idignus, qui de tanta re loquar, uos tamen forſitan non indigni ob tantum ſtudium, qui audiatis. Nec mirum (ut opinor) fuerit, ſi orantibus uobis aliquid tunc proficerem dicendo, detque mihi ille uim cotis, quæ & ſi inhabilis ſit ipſa ad ſecandum, habile tamen ferrum ad ſectionem reddit. Antea terrebatis me orationibus ueſtris, & earum mihi iacula minabimini, niſi obſequerer. Nunc poſtquam obſequor, nulla cauſſa eſt, quin ijſdem protegar armis, quibus antea, út aduerſarius petebar. nam quantum his ualeatis iam profeſſi eſtis, niſi forſitan cupitis magis lædere, quàm iuuare, & ultrices tantùm copias, non etiam auxiliatrices habetis. His ultrò citroque iactatis, quum prædeſtinatæ dictionis fama, ut fit, percrebuiſſet, rumorque celebris Bonifacij nomen circunferret, de quo certi erant homines ætatis non modò ſuæ, ſed multò ſuperioris Monachos cunctis laudibus anteire, dubij utrum ſanctior, an doctior accidit, ut plurima Monachorum turba ex omnibus ordinibus, ex om-

n

in prouincia conflueret in diui Secundi delubrum Calendis Septembribus. Eo die ferunt Bonifacium magna quædam & pulchra de Monaſticæ genere uitæ diſſeruiſſe, quæ nos à quibuſdam, qui interfuerunt Monachis ſtudioſè excepta, ſi non ijſdem uerbis, at paribus ſententis tranſpoſuimus, ut nihil grauiorum rerum præteritum appareat: nihil non ſuo ordine relatum. Aſſerebant enim, qui hæc nobis tradiderunt Bonifacii uerba, quamuis longo poſt interuallo, eorum adhuc auribus inſonare, uultum loquentis & geſtus omnes adhuc in oculis eſſe, quò fit, ut uberius illum & ardentius multò & explanatius dixiſſe putem. Nos ſicut potuimus iiſdem ueſtigiis inſtitimus, nolentes orationem pluribus profuturam perire: quod profectò accidere neceſſe erat, niſi literarum monumentis cuſtodita ab obliuionis interitu uindicetur. Ergo quum editiore loco Bonifacius conſediſſet ingenti Monachorum auditorio circunfuſo, oratione de more præmiſſa, magna auiditate audiendi, magnoque omnium ſilentio illum in hunc ferè modum loquutum accepimus. INTER magna & multa admirabilia ſumma Dei bonitate indulgentiaque mortalibus conceſſa uirtus principem & excellentem locum tenet, ut nemo unquam tanta & tàm incredibili floruerit facultate dicendi, qui omnes eius laudes pleno ſatis ore potuerit enarrare; ſi quidem uirtus illa eſt, quæ ſicut nominis ſui ſono indicat, omnia uertit in tutum. Hæc humanarum mentium meritum, animorum iubar, ſancti propoſiti neruus atque robur iubet repudiatis illecebris uoluptatum unumquenque tendere, quo ſpirante Deo uocatur: hæc eum, quem inſederit, ad ingentia facta perducit, nec uires animi remolleſcere ſinit. Hæc cœlo demiſſa beatitudinem non huius ſæculi, ſed ipſius cœleſtis regni donat ſuis cultoribus: & ducem ſe præſtat ad eam uitam, quæ mortem omnem noſtram abſorbet. Quid autem melius, aut elegantius cuiquam hac in uita contingere poteſt, quàm ſi rectè ſuo fungatur munere? id autem à uirtute petendum. Virtus enim hominis (ut iſti aſſerunt naturalium rerum inueſtigatores) nihil eſt aliud, quàm habitus quidam, quo homo bonus eſt, & opus ſuum rectè perficit, atque abſoluit: ſicut nanque oculus bonus eſt ſua ipſius uirtute, efficiturque per eam, ut bene uideamus. ſic humanus animus bonus eſt ſua ipſius uirtute, efficiturque per eam, ut bene uiuamus ideſt iuſtè, rectè, officioſè. Itaque hortor ego uos dilectiſſimi fratres, ut hanc amicam uobis & familiarem reddatis, huic ſtudeatis: nullum præterfluat tempus ſine ualida atque forti uirtutis tractatione. Quod ſi diligentius explorare uoluerimus, qui ſimus ipſi, unde uenerimus, quò tendamus, ne tum quidem liquidò apparebit mediocri uirtute nos contentos eſſe debere. Cur enim Monaſtica clauſtra adiuimus? Cur ſolitariam hanc ſtationem captauimus? Cur ſocietati & collegio ſanctorum fratrum intexi uoluimus? Cur religioſam induti ueſtem? Cur illa tria ſolemnia uota profeſſi? ſi ueluti plebs & uulgus hominum uiuimus, ſi nihil aut non multùm uitæ merito diſtare ab his cogitamus, quos ſæculi fluctus &

exundantium negociorum turbines excipiunt atque exercent. Alia illorum, alia noſtra ratio eſt. Illi mortalium operum procuratioñe ſuſcipientes ſatis habent aduerſus uitia uirtute duce ſuperiores euadere. Nos impigro magis gradu uirtutem ſequentes, poſtquàm diuinis tantùm inſiſtere uoluimus, non uitia tantùm atterere, ſed etiam ab omni affectuum terrenorum contagione animum expedire debemus: oportet nos, quamuis in carne locatos, carnis oppugnare naturam, ut quiduis potius, quàm homines uideamur, non honorum ſplendorem, non laudum præconia affectare, non odore, non ſapore, non tactu, non pulchritudine corporum capi, ludos, ioca, conuiuia, familiaritates deſerere: ad omnia deniquc ſuauia & iucunda, quæ mundus effert, animo eſſe lapideo. At qui uidemus nobis terras, nobis maria, nobis ſolem, uniuerſamque aſtrorum choream inſeruire. Quid ergo? quum cœleſtium natura nobis ſuggerat famulatum, terrenis abſtinebimus? & hæc blanda & ſpecioſa, quæ circunſtant undique tanquam non ſint, inimica manu repellemus? Sed uidendum eſt, ne ſecundum inferiorem hominis partem, quæ tenera admodum & mollis eſt, hæc & dicantur & cogitentur: nam excitato homine, qua parte arduus eſt totus, ideſt uirtus reſedit, quæ eo pluris eſt, quò plura contemnit. nunquam profectò præſentium rerum ſpecie deliniti cauſſam noſtram deſeremus, nec fit tamen quin uideam, quàm difficilè ſit hos motus, quos natura aſſiduè ſuggerit exuere. Illud etiam difficilius mores deponere, quos alio uitæ genere aſſuefacti aluimus, qui robuſtiorem habent uim & tenaciorem, quàm natura, propter priſtinam familiaritatem. Difficilia hæc atque adeò difficillima, negat nemo, ueruntamen quò durior fortiorque aduerſarius, & quò armis munitior, & quò uiolentius laceſſit, ubi ſumma uirtute & fortitudine repellitur, uictoriam lætiorem facit, & ſplendidiorem coronam capiti uictoris intexit. Ergo paupertati ſummum honorem habebimus, cuius cuſtodiæ ſolemni nos uoto mancipauimus. Alij molibus iactis & effoſis montibus terras æquoribus, æquora terris inſerant, erectiſque pyramidum faſtigiis uſque ad ſidera, humum cœlo imputent, ueluti naturæ domini: nihil ſanè hæc ad nos, qui comperto tenemus Monachum non experimentis, ſed detrimentis potentiæ creſcere. ſatis habet Chriſti famulus, ſi cutis nuditatẽ uili tegmine ueſtiat, & famem qualicunque cibo ſoletur: nihil aliud quærendum. quid ita? quia turpe eſt, non modò impium charitatẽ mentis ſemel Chriſto deſponſam, ad hæc inferiora detorquere. Ita ne uerò portionem affectuum noſtrorum ponet ſæculum cum Chriſto? quid poſtea? eundum ne fuerit ad arbitros communi diuidundo? negatis. Scilicet dignitatis cauſſa partitor erit Chriſtus, & quum ex poſſeſſione affectuum noſtrorum modicum ſibi quid ſumpſerit, reliquum ſæculo dependet. O temporum deflendam miſeriam, pudet dicere, dicendum eſt tamen. uideo ex grege noſtro nonnullos diffiſis cordibus ac in diuerſa diductis, qui ubi paululum religioni operam impenderint, mox reliquis temporibus honores

honores ambiunt,uel pecuniæ ſtudent. Hos ubi ad aram acceſſerint diui norum ſacramentorum, litare dixerim Domino ſemicordes. Hos puto dimidiatam uotorum ſuorum hoſtiam adducere: at holocauſtum ideſt totum & integrum cor hominis depoſcit ille cui obtulimus, & ægreferet partim ſibi, partim opibus humanis tradi, quas prior ipſe reiecit. Miſeri profectò, qui in paupertatis domo ante nudati ora crucifixi diuitijs obuo luuntur, religionem etiam improbæ cupiditati prætexentes, tanquam pium ſit Monachos pecunia abundare: at huc ſecularium ferri uota uirorum, quis neſcit? quæ ſi pariter Monachi proſequuntur, non ſæculum deſeruiſſe illos, ſed uerius commutaſſe dicemus. Ita enim accidit, ut qui ſæ culi copijs de relictis nudi & expediti ad monaſteria cõfugerant Chriſto nudo militaturi, mox ueluti nuditatis pudeat, omnibus ſæculi molibus opprimi ſe uelint, oppreſſique lætentur. Ego ſi quantùm Chriſtus, quan tùm cæteti ſanctiſſimi uiri paupertati tribuerint, explicare uoluero uix hic dies ſermoni ſufficiet, certè plurimùm tribuerunt, nec tamen facilè in ueniuntur, qui ſequantur. Fateor enim me aſſiduè pauperes quæſiuiſſe, ut me illis coniungerem, nec tamen adeò multos inueniſſe. Veruntamen quoniam infiniti ſunt undique pauperes, non in monaſterijs modò, ſed in urbibus, uereor ne quiſpiam uidens me in tanta pauperum turba pauperem quærere ſtomachetur; niſi prius expreſſero, quem ego pauperem amo, & quem inter ipſos pauperes quæro. Illum ego quæro pauperem, qui diuitias in paupertate non appetat, ſed ipſam paupertatem animo am plectatur. rarus hic occurrit, nec facilè inuenitur: nam reliqui fortuna pauperes, animo ſunt diuites, quos totos dies noctesque id agere uideas, ut rem quærant, licèt eorum propoſitum euentus ſæpe deſtituat. at in ſæculo talia agitari, ubi mercatores & negociatores conceduntur, non eſt mirandum, ſed quicunque in monaſterijs inhiant diuitiis nihil reueriti monaſticam ſanctitatem alieniſſimam profeſſione à talibus, ii proculdu- qui abiiciendi ſunt, quòd & in ſe ipſos crimine, & in alios peccant exemplo. Scio olim nonnullos Aegypti, Syriæque Monachos fuiſſe, ut nunc loquimur, proprietarios, nec mirum: nam nec tunc in commune omnes uiuebant, ut ex uita Hilarionis patet inuiſentis ſingula Monachorum ha bitacula, quorum aliquod, niſi habuiſſent propria, non eſſet inter exempla illud relatum de duobus Monachis, parco altero, altero liberali. Itaque uidentur habuiſſe quidam illorum domos, agellos, uineta, hortulos, hos fateor fuiſſe Monachos, ſed minores tamen Monachos, ſi animum quoque adiecerunt terrenis iſtis poſſeſſionibus. Nihil tale Antonius, nihil Macarii, nihil is, de quomodo memini Hilario, nihil illi alii plurimi, qui hoc unum habebant opus fiſcellas texere, non ut diuites eſſent, ſed ut uacuum ab orationibus tempus honeſta aliqua ratione tranſigerent. Illos uerò prædiorum poſſeſſores laudari non comperio, quibus quid tum licuerit, quid'ue profecerint, uiderint ipſi. Nobis ne ſi uelimus quidem id conceditur, qui paupertatis cuſtodiam uoto profeſſi ſumus. Nihil pri-

uatim prædiorum capere & retinere poteſtis: in commune diuites eſtote ſicut Apoſtolici quondam uiri, quibus commune magnum & uberrimū prædium erat ipſe Deus, hoc de prædio immenſas cœleſtium bonorum fruges metebant. Auſus eſt Hieronymus de clericis loquens dicere non poſſe habere eos partem domini, qui quicquam haberent præter dominum, quod ſi accipimus, quid fiet his Monachis, qui ita dominum habere uolunt, ut per eum habeant cætera; rogantur à Deo diuitiæ, quaſi ipſius Dei poſſeſſio parum locuples ſit. Hæc & alia quædam non audeo uobis impingere, qui adeſtis, quos equidem opinor pro ingenii rectitudine à turpi lucro auerſos. Verumtamen, qui à peccatis maximis, quæ liquidò peruidentur, declinare ſcitis, ne leuioribus in rebus capiamini prouidete. Moneo prædicoque, ne in cellulis ueſtris auro quicquam illitum, aut purpura tinctum, aut ebore terſum teneatis, nihil habere uelitis uel materia uel arte rarum. Eliciunt retenta hæc & aſſiduè ſpectata amores noſtros, impediuntque quantumlibet leuia & modica eſſe uideantur, ne tota animi libertate æternæ illius pulchritudinis contemplationi ſeruiamus. Scio quoſdam maximas copias & diuitias, plurimaque alia ornamenta, quibus affluebant, abieciſſe, ad monaſteria uerſos. Arſennicos quoſdam & Pammachios intueri te diceres, qui è ſummis uitæ delitijs ad Chriſti duritiem deſcenderant. Animaduerſum eſt deinceps minutarum rerum amore percuſſos, uerbi cauſſa liberculi cuiuſpiam, aut picturæ, aut ſtragulæ ueſtis, & cæterorum talium, propterea quòd illis cultioribus utebantur, quàm quantum oporteret. Quid eſt hoc? Tu mihi extructos diuitiarum montes contemnis, deinde per arenulas auri guttas ſectaris, nihil hoc omnino habet conſequentiæ, nihil rationis, ut grandia præteruolans puſillis hærere debeat. Veruntamen propter imbecillitatem humani ingenii puſilla etiam amoueamus, quæ paulò libentius ſpectantium oculos detinerent. Itaque ſi me audire uolueritis, puri erunt cellularum ueſtrarum parietes, puræ imagines, purum grabatum, purum oratorium, omnia rudia & uilia exiguo ære parata, ſine amittendi metu, ſine furtiuæ manus pauore, illudque etiam rationis habebitis, præſidio ſæpius uel ad uitam, uel ad ualetudinem tuendam neceſſariò carendum eſſe, idque ubi contigerit, magni muneris loco ducendum. Magna laus & præclara nulla rerū iniquitate permotos ad diuinæ bonitatis obſequium armatiores inueniri. Tales Chriſtus milites peramans cogitur eoſdem affluentia diuinarum uirtutum ditare. An licuit Flacco illud iactare.

Quanto quiſque ſibi plura negauerit.
A Diis plura feret.

Chriſtianus uir religioni addictus non exiſtimauerit bene nudum atque inopem eſſe oportere, qui ſe tegere atque ornare Chriſto uelit? qui enim unquam bonorum è grege noſtro aliter ſenſerunt ſiue docti, ſiue adeò indocti? Quanquam illud Doctorum gratia non ſupprimo, licere illis ſupellectili librorum abundare ad ſuum & aliorum uſum; reliqua alta pau-

perie

perie inundentur. Nudos (dicendum eſt ſæpius) nudos facultatibus bonorum eſſe oportet, quia hoc modo, & eum, quem diligimus, gratius imitamur, & eum, quem metuimus, facilius uincimus. Quid enim crucis nobis exhibent uexilla, niſi nudum Chriſtum, quem ſuis inſequi ueſtigiis debemus. & quid magis horret Diabolus, quoniam ipſe rebus exteris nudus inuenitur, quàm ſi uidet cum æque nudo ſibi fore luctamen: nam ſi quem in ueſte apprehenderit alicuius terrenæ cupiditatis, hunc facilè deiecturum confidit. Fœlix igitur paupertas, per quam & hoſtiles inſidiæ uitātur, & cœleſtes diuitiæ comparantur. At corpori quid faciemus altiſſimū caſtitatis propoſitum proteruis motibus inuadenti? Non enim ſicut externarum rerum pompam & delitias diffugere ualemus, ad nuda & inania monaſterii habitacula, ueluti ad cautes & ſaxa exilii quodam iure delati: ſic pari ratione corpus deſerere poſſumus, quod hominem, dum homo eſt, ſecum trahit. Num manus forſitan ſibi met inijcienda? & mors aſciſcenda extra ordinem nullo propoſito? nam ſi animum de corporis ſtatione extrudere properamus, ne ſordibus obuoluatur, aut impudicitiæ, aut auaritiæ, quid aſſequimur tamen? quum & ſi antea purè ſe inſtituiſſet, hoc ipſo tamen, quod malo exit more, ſordeſcit. Rectiſſimè dictum eſt non oportere de uitæ huius ſtatione diſcedere, niſi quum legitima poteſtas, quæ huc immiſerat, reuocarit. Sunt iſta, ueruntamen nihil prohibet habitantem in corpore frangere petulantiam carnis, & frœnare furorem ſatellitis huius libidinoſiſſimæ. At arma expetimus, quibus frangamus, ſeu frœnum iniiciamus: magnum prœlium, durum ineundum certamen, cum atroci hoſte res eſt: qui medullis uiſceribusque penitus incluſus ſenſus intimos titillat omnes, delinimentis & illecebris miris cum omni ſuauitate affluentibus: & ecce tetra & impura inuadit imago uoluptatum, quæ præter oculos animæ feruntur trepidantis ne feriatur, uel ſcutum præbeto, quò iacula hæc laſciuiæ repellantur. An ego dilectiſſimi uelim nudos uos & inermes obiicere certamini? Nempe arma Chriſti milites quæritis, rectè quæritis, pugnare uultis cum impuro aduerſario, ſtrenuè uultis, cupitis acerrimum hoſtem debellare, glorioſè cupitis: ſed quas armorum petam officinas? quæ præcepta dem pugnandi? quam ſpem porrigam uincendi? ſi libido luxuriæ ea eſset, quæ iacula ferri acie munita intorqueret: ego ſcuta uobis ærea comparaſſem, galeaſque tremulo cono inſignes capitibus ueſtris indidiſſem. Nūc quū laſciuis & mollibus pugnat iaculis, uos ex aduerſo duritiem uictus & aſperitatem opponite: nam & cilitia induenda uobis, & ieiunia continuatis menſibus ducenda, & flagra inferenda, algoris & æſtus iniquitas ſubeunda: præſtat eſſe uiros, ut arma hæc pondere grauia, tractatu aſpera aduerſus inſolentiam tam nequam hoſtis expedire ualeatis: hac ratione clauus clauo retundendus, depoſcit ſæculi delitias caro, ſicuti eius ingenium fert, ego illam inter Chriſti ſpineta pertraxero, uerbere laniaro,

ieiunio-

ieiuniorum languoribus afflixero, peſſimis modis accipiam, tum demum frontem mihi audeat tollere meretriciam, doleat continentiæ caro, ne arrideat luxuriæ: in tantum tamen doleat, ne opprimantur uires illius, ſed frœnentur: hoc enim tantùm quæritur luxuriæ fluxa ſubſtringere: quemadmodum citharam citharædo, nauem nauclero, bigam aurigæ: ſic carnem animi imperio ſubditam eſſe oportet. Quid ſi illud præcipio ac mando, ut mulierum conſortia declinetis? (non enim poſſum dicere fugiatis, ne ſpeciem animantis huius deteſtari uideamini) num ab inſtitutis patrum uidebor longius abire? quorum pleroſque ſolitudini addictos ſcimus, ne muliebrem quidem pallam ſpectare uoluiſſe, tantus illos caſtitatis Zelus momorderat. Vellem adeſſent matronæ ciuitatis. Illis meo iure præciperem, ut Monachos ad ſe crebrò commeantes repellerent. at ſancti ſunt uiri, ſermone forſitan & amictu, nam opere, qui credere poſſumus? quoniam qui ſanctitati ſtudent, quantùm licet ac fas eſt, fœmineas formas deuitant· memores iam pridem fuiſſe dictum, quod urit fœmina uidendo, ergo ut ab igne cauent, ne cum eis commorentur diu: nam quemadmodum ignis non tàm lædit tactu, quàm mora, ſic muliebris forma uix offendat, niſi oculum figas, & hæreas aſpectu, & multo detineas ſermone. aliud eſt enim colloqui fœminas paucis ſemel, aut iterum pro delati negocij facultate, aliud frequenter inuiſere, & tene ras apud aures longis ambagibus ſonitare. Licet (inquiunt) rectis oculis fœminas intueri, & nihilominus animo cœcum eſſe ad libidinem: lubrica oratio, quæ multos ſæpe fefellit, quum putarent animi libidinem extinxiſſe, quæ fuerat conſopita. remoueantur ergo oculi ab illici uultu quantùm fieri poteſt, ne dormiens animi libido excitetur: ualidius tentatura rationis uires, quò diutius quieuit, nec de oculis tantum præceptum ſit, ſed de reliquis quoque corporis partibus, ut illis alter ſexus ignotiſſimus ſit uoce, tactu, loquutione. ſcimus ſanctiſſimos uiros dixiſſe, atque adeò ſcriptum reliquiſſe, inter cauſſas, quibus interdictum eſt fœminis, ne Dei uerbum publicè prædicarent, illam quoque iuſtam, quòd earum ſermo inflammaret: quantò hi magis priuata colloquia leuioribus de rebus cum fœminis ſumpta improbarent: & quantò dicerent perculoſiora? Quid de tactu dicam? Reprehenſum ab Abbate Monachum teneo, qui aduentantem mulierem collata dexrra excepiſſet, quum ille excuſans diceret ſanctam fœminam, ſanctiores (inquit) eritis ſeiuncti, quàm copulati. Vides terram & aquam elementa duo, pulchra ſpecie, uſu iucunda, commiſce paululum utraque, lutum creant, & nihil tum his inquinatius. Arſennium Abbatem inſignem ſanctitatis nomine uirum conſpicata nobilis genere mulier inſequuta eſt, ut colloqueretur, & cum homini ſanè improuisò incidiſſet, conturbatus ille dicere incipientem uerſis paſſibus dereliquit, clamare à tergo & uociferari mulier ut conſiſteret, uelle Deũ rogari. Tum ille. Libens inquit rogabo Deum, ne te poſthac uideam, ne ue meminerim te mihi unquam cohæſiſſe, ſic Peon Antonij diſcipulus,

lus, multis à ſorore fatigatus precibus, ut ſe graui morbo affectam inuiſeret, clauſis oculis tanquam feneſtris quibuſdam foras ferentibus illuc duci uoluit à puero, ne dum iret, rediret, alicuius muliebris illecebræ occurſu caperetur. Nos, qui omnibus horis muliebri oculos conſpectui damus, nihil tale timemus: ac ueteres illi patres. cur? an quia minus uirtute ualemus? Nolite poſthac mirari audientes plurimorum fratrum lapſus. Paulus Apoſtolus dixit. Fugite fornicationem: nos non fugimus ex Apoſtoli præcepto, ſed cominus pugnamus aduerſus carnis libidinem, qua in pugna plures cadunt, quum alij fugiendo ſuperiores euadant: magnam (mihi credite) fratres res iſta recipit cautionem, ut pudicitia, ueluti ſub ſigno gemma infracta teneatur. Ille neſcio quis in comœdia ſenex, qui theſaurum domi condiderat, ubi cum uicino fabulans in uia audiſſet quaſi ferri crepitum, nam forſitan operarij à quodam cōducti hortum in proximo fodiebant, exanimatus intus ſe recipit, inſpecturus, an res ſalua ſit: ſic uobis non minori ſolertia excitanda mens, ubi quid blandum cogitationibus ueſtris inſonuerit, ne lenocinia uoluptatum ſubrepant, ueluti ſuffoſis cuniculis ad extrahendum Monaſticæ continentiæ opes: nam regredi tūc intra nos ipſos oportet citiſſimè, & breuis ſaltem ille ſermo proferendus, quis hic fodicat? hei mihi ſi diripior. Diuites ſæculi ægrè ferunt uerſari egenos in ſuis domibus, illoſque, quantùm poſſunt, abigunt, non quòd pro comperto habeant furis animo eos uenire, ſed tamen quia egeſtas ſuſpitioſa eſt, propendent animo in eam partem, quæ cautior eſt: ſic & uobis non minus ſuſpecta eſſe debent mulierum ora, ne alliciant ad ſe, & prædentur diuinum illud propoſitum caſtitatis, itaque expellenda procul. Nos itidem ſi puerum diſtricto aſtantem gladio uideamus, ſtatim accurrimus, & uel reluctanti gladium extorquemus de manibus, etiam ſi nondum uulneratum cernamus, cogitantes quàm facilè poſſit uulnerari; denuntiamuſque ſub mutu uerberum, ne poſthac illum attingat. Congruentiori ratione idem ſeruabitur ubi Monachum intentum uidebimus muliebri pulchritudini: nam ſtatim acclamandum, & curandum, ut deſiſtat, neue iterum attrectet: quoniam non leue periculum eſt, ne uulneretur, mentemq; tumultu repleat, & per oculos adulteria concipiat. Nec dicat mihi ille, non ſum uulneratus adhuc, nam præterquam id incertum eſt, nec facilè credi poſſit atteſtationi tuæ, ego id non ſpecto, an uulnus acceperis, ſed quàm in procliui ſis, ut accipias: non enim extra humanam naturam aeamque es conſtitutus: non tam mendicitas diuitijs ingeſtis incenditur, quàm libido diuerſitate ſexus animaduerſa inflammatur. Aſpera ſit licèt & ferrea Monachi uita, tamen tam ſe rectè mentis ueſtigiis lubricam proſternit carnis uoluptas, ut uix à lapſu defendatur, ne dum forinſecus occaſiones quærendæ ſunt, quò procliuius ruamus: hac in re, (ſi me conſiliario utis uutis) tuta etiam pertimeſcetis. Vberibus ocij turpia cogitationum ali dicunt, ideo ne uacua mens ſibi quicquam fingat illorum,

uobis

uobis intentius aliquid operis ſemper fuerit moliendnm. Præceptum eſt Sapientis in Eccleſiaſte, ut opinor, ſeruos in opere habendos, ne ocio corrumpantur. Vtile & egregium præceptum, quod uobis quoque ſeruandum eſt. Et ne forſitan aliquis ueſtrum dicat ſe excuſans, & cæteros: quid hoc ad me? Monachus ſum, ſeruum non habeo. Imò tu quoque habes, & hi omnes: an non tibi ſicut omnibus corpus eſt traditum? hoc tuum ſeruum eſſe dico, huius enim ſeruitio utimur ſub animi dominatu, hic peſſimus fuerit ſeruus, ſi delicatè uixerit & ociosè: ergo labore & opere aſſiduè terendus, ne uacet turpibus cogitationibus, ne fœdum corporum complexum, ut naturale quoddam bonum aſciſcens, corrumpatur, uel te potius dominum ſuum corrumpat. Sed de caſtitate hactenus: hæc enim ſecundo loco reſedit, quam ſolemniter religioſam ingreſſuri uitam nuncupauimus. Supereſt obedientiæ uotum, quod germana quadam ſocietate rectè antecedentibus copulatur: nam poſtquam externarum rerum magnificentiam ornatumque deſpeximus, item & ſenſuum ſuaues iucundasque motiones affliximus, reſtat modò, ut liberum mentis noſtræ arbitrium ſummittamus. Horum unum paupertatis, alterum caſtitatis tuendæ cura dedit: reliquum obedientiæ ſuſceptio præſtabit. Appetit unuſquiſque naturæ impulſu excelſus præſtansque uideri, ad imperandum magis, quàm parendum paratus. Et quoniam libertas eſt poſſe in his plurimùm, quæ decet poſſe, hac libertate uehementer omnes gaudent, ſententiamque ſuam & operam unuſquiſque cupit admirabilem uideri, & cæteris præferri; ſed hæc agant liberi. Nos ſeruitium Chriſti ſumus, nobis erepta uoluntas, & in alienam ditionem collata. Quid enim elegantius; quid ornatius dici, aut cogitari poteſt? Quæris de me num uelim concionari ad populum, num declamare aduerſus hæreſim quandam, num præſtò eſſe proximo opem meam imploranti; num aliquo iter habere. Reſpondeo: præſulem meum ſciſcitator quid uelim. Tu ergo quid uelis ignoras: & alius eſt mihi adeundus pro te? Ita inquam. An ille arcana tui cordis nouit? minimè, ſed quod uult ille, efficio, ut ipſe uelim: nã poſtquam ſemel dedi me in manus præſulis mei, & cum tanta obedientia illi me ſuppoſui, cum quanta lutum ſubeſt figulo, cera fictori, quacunque ille ducit, ſequor; nec alias imagines reddo, quàm quas illa manus mihĩ impreſſit. O obedientiam præclariſſimam uirtutum omnium, quæ tuo utero larga demittis ſanctiſſimæ humilitatis fluenta. Tu Monachum doces iudicia propria extinguere, maiorum cedere præceptis impellis, ut ſe proſternat deiiciatque omnibus, nihil ſe ſcire, nihil intelligere arbitretur, niſi aliundè acceptum ac traditum. Nunquam qui ad quamlibet rem ſibi demandatam obtemperandum exiſtimauerit, & ſe alienis neruis, ut lignum mobile ducendum putauerit. uana tolletur ambitionis aura, nunquam ſua magnifaciet, nunquam de principatu contendet. In fratres quoſlibet humillimorum impenſam conferet officiorum, maiores colet, æquales uerebitur: eos, quos infra ſe poſitos credet, (uix tamen

tamen credet) altiori honore proſequetur. Porrò quum liber ſis, ſubijcere te alterius poteſtati, & formam ſerui induere propter Deum, quid aliud eſt, quàm eum imitari, qui quum omnium Dominus eſſet exaniniens ſe habitum ſerui ſumpſit, & obediens factus eſt uſque ad mortem; mortem autem crucis. quod ſi tam glorioſum exemplum non moueret, tamen illud urgeret, quòd nullus hominum cœtus, nulla ſocietas, nulla reſp. nulla domus conſiſtere poteſt, niſi maioribus pareatur. Quamobrem aut diſſoluenda monaſterii ideſt Monachorum habitacula, aut ſi retinentur, obedientiæ iugo colla ſubmittenda, & cogitandum, quòd non modo inter omnes, ſed ſupra omnes congruit Monachis humilitatem ordinemque ſeruare. Spectabit igitur Monachus in cunctis ad præfectum ſuum, & tam ſe ei docilem præbuerit & ſequacem, ut uel breuiſſimo nutu ab eo gubernetur, eat, maneat, redeat, uigilet, pſallat, ſacrificet, comedat, lauet arbitratu Abbatis ſui, nihil horum à ſe impetret, neque tamen omni uo luntate Monachum penitus denudamus, ne animalis ritu agi putetur; ſed eum hac præcipua & excellenti uoluntate armamus, qua toto animi affectu in Dei amorem feratur. Vita noſtra per ſingula ducitur momenta: non enim eſt tota ſimul, ſed eam totam ſimul obtulimus quodammodo Deo, ubi pollicitatione ſolemni nos aſtrinximus, quòd in hoc omni uiuendi ſpacio reliquis præteritis ei ſoli ſeruiemus, ipſum quæremus, ipſi hærebimus, ipſi amoris uinculo innectemur. Hic eſt ille amor, qui finis eſt actionum omnium & cogitationum noſtrarum, tria hæc, paupertas, caſtitas, obedientia, ideo ſuſcipiuntur, ut hunc amorem foueant, nutriant, excitent, corroborent. nam ubi externas res, corporis ſenſus, mentis arbitrium, nos denique metipſos abijcimus, negligimus, abiuramus, unus tantùm relinquitur, qui ametur Deus, fortius in hunc uidetur amor noſter ruere, quo in aliorum curam ueluti riuulis quibuſdam minus deducitur: ſed totus ſimul & conglobatus in illum rapitur, uel nos potius rapit. tunc enim ueluti extra nos facti iungimur mente ei, quem tam ardenter amamus, & in quo quodammodo uiuimus: nullum maius uinculum, quàm uoluntarius amor, præſertim ſi uehemens fuerit & incitatus. Quòd ſi diu erſorum ſolicitabit turba negotiorum, elangueſcet ille & diſſipatæ animi uires ſegnius ad diuina conſurgent. In quo qantus eſt nonnullorum error, qui in monaſteris non tantùm ſuas, ſed alienas etiam partes obeunt; non ſatis habent uerſari intra fines muneris deſtinati, ſed ſolicitudine exeunt in prouincias alienæ ſortis, uariiſque negociorum anfractibus animum ſponte addicunt, quaſi ſine illis nihil rectè geratur. Sciſcitantur, auent audire, uel de legato quopiam an corradi potuerit ab hæredibus, quomodo & quorum opera exactum, cui oneri tollendo contributum. De communium præterea prædiorum cultura, de fructuum diſpenſandorum ratione infinita eſt quæſtio. nec uerò clauſtris tautùm hæc cura clauditur monaſticis, ſed proruens ad urbana exit ciuium multorum negocia, detrimenta interim non leuia ſu-

ſcipit diuinæ charitatis flamma. Vobis ſi quicquam proficere cogitatis, maxima ſolitudinis & ſilentij cura ineſſe debet; quæ duo pariunt orationem, non hanc quidem orationem, quam pſallendo fundimus, collectis ex ordine uerbis, & animaduertentes, ne quid prætereatur: ſed illam inquam orationem, qua compreſſis corporeis ſenſibus attollimur ſpiritu principiq́ue illi ueritati copulamur. Dicite obſecro, non linguæ, non pedum frœnare uultis officia, oberrare iuuat, ubi libet greſſibus & ſermonibus, & quomodo intenti familiaritatibus hominum & locorum diuinæ hærere poterimus neceſſitudini orationibus perenniter fundendis? Sunt qui uel, ut placeant, uel ut animum relaxent, obuios quoſque detinent profluis uerborum agminibus, ridicula iacere ſtudent, atque hunc morem, (proh dolor) plurimi iam damno profectus noſtri aſciuimus. habet ipſa lingua facillimum motum, quum in udo ſit poſita & ueluti in lubrico, ideo initio motus eius compeſcendus, quia ſemel incitata ſtare neſcit. Nihil autem tàm facilè mentis emollit neruos, quàm hæc ſermonis proluuies, nihil æquè ſolit rigorem Monaſticæ diſciplinæ, quàm hæc incitata linguæ uolubilitas, quæ itidem peccatorum comes eſt. hinc multorum perit profectus, ut non ſentiatur, adeò ſuaui ueneno capiuntur. Alij ſunt quidem ex alio quodam imperitorum ordine, qui frequentiſſimè urbem permeant, uel ſi nihil aliud poſſunt, ſaltem ſingula monaſteriorum loca hirundinis more luſtrant quotidie, uerentes, ne ſi uni hæreant cellulæ anguſtiſſimæ totos dies ac noctes, illis obiiciatur, quòd incolant uiuentes ſepulchrum. Eſt omnino uiuacis hominis corpus mobile non uno loco circunſcribere, ſed quid menti fiat, quæ gyris illis & erroribus capta uariis cogitationum formis illudetur? excurret ad ſpectatas ſpecies, quarum implicabitur ardore: hoc quum agetur, quæ uincula innectentur circunfluæ menti? qui clauus erit iſte, qui fluctuantis animæ motus cœleſtibus cogitationibus affiget? Quæremus etiã cur ueteres patres orationibus innixi tam familiariter Deo aſiſterent, ueluti cœli iam municipes, ac non cogitabimus illos ſilentio & ſolitudini addictos ſolis ſe inſeruiſſe diuinis. nam quum ſqualida & uaſta capeſſerent eremi loca, garrulum forſitan propter fontem incolebant, non ipſi garruli erant, feras per patula curſitantes forſitan ſpectabant: non ipſi curſuram exercebant, raros homines ad ſe uenientes quamprimùm dimittebant, non ipſi ultrò multorum amicitiam appetebant.

Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi.

Si quando loquendum erat, loquebantur de ara crucis, de cœleſtis Hieroſolimæ diuitijs, de ſummi regis beneficentia, de bello aduerſus Diabolum, deq́ue eius inſidijs; demum de talibus, quibus ipſi unà cum auditoribus proficerent ad pietatem: quædam etiam de ſcripturis ſanctis ſibi ipſis inuicem proponebant & audiebant: eorum autem, quæ gerebantur in urbibus, magna ipſos obliuio ſeu potius ignoratio tenebat. Quid plura? à rebus externis, à corporis cura auerterant ſe ipſos, animũ totum

totum ab omni mundi fuligine purum deterſumque in unum effundebāt Deum ueræ uitæ fontem, æternorum bonorum auctorem, hunc quærebant, cum hoc conſiſtere cupiebant. Ergo ſimul ac collibuiſſet, mentem illic affigebāt, nihil erat negocij ſpiritu ſublato perſequi eum, quem unicè diligebant: non ſatis habebant tenebras effugiſſe ſæcularium rerum, ſi ſtarent in crepuſculo, & ueluti ſub dubia luce nimboſi cœli, ſed toto die & plena diuinitatis luce perfrui cupiebant, quantùm tamen hîc conſequi datur. Eadem nobis ratio tenenda, eadem ueſtigia perſequenda, ſi quid Monachi profeſſione digniſſimum eſt, implere auemus. Non eremum quidem perſequuti ſumus ac illi, tamen perfectione ſanctorum operum non longè à talibus uiris, ſi uolumus, recedemus. Pythagoras maximam ſilentii curam habuit: nam ſectatores ſuos tacere in quinquennium, poſtea non niſi neceſſariò, nec pluribus, quàm quot opus eſſet, loqui iubebat. Illud etiam erat in præceptis, ut intus manerent Aegypti ſacerdotes (ut Hieronymus refert ueteres ſequutus auctores) nunquā è templo diſcedebant, ſed illic aſſiduè commentabantur, rerum cauſſas & ſiderum rationem inquirentes. hoc quum illi facerent humanæ ſapientiæ ſtudio, quid nobis faciendum eſt, qui infinitam Dei ſapientiam apprehendere cogitamus, uerbo uirtutis ſuæ omnia portantem? Num tamen diſtractos uelim uos uidere aſſiduè, ſilere ſemper, prodire nunquā? minimè, ſed ad tempeſtatum rationem uelim uos actiones ueſtras tanquam nauigia moderari; quod ipſe eremicolæ, de quibus antea dixi, factitarunt. Etenim unuſquiſque intra ſe ſic agat, ac loquatur. Ego monaſteriis conditus, quò urbis oculos diffugiam, introrſus tamen adhuc recedens monaſterijs itidem latebo, at prodibo in apertum conſpicuus omnibus, ubi animarum ſalus & fraterna charitas depopoſcerit, ſocietatem hanc ingreſſus ſum inſtitutam, ut ad Dei opera unanimes confluamus, tali tempore dilapſo mecum ero, ſolitariæque uitæ amabundus. Linguam teneo ueluti cymbalum & æs tinniens, quò perſonem diuinas in laudes, cauebo ne ſacrum hoc inſtrumentum ad prophana tranſducam. Hæc ſeruemus fratres, ut cuſtoditis officiorum uicibus conditi & aperti, ſoli & ſociati, loquaces & ſilentes inueniamur, atque hanc quidem pulcherrimam ducemus morum concordiam in tam diſſona actionum uarietate. Cupimus omnes quantùm in hac uita fieri poteſt Deum uidere: meminerimus dictum eſſe. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Cor igitur ab omni inquinamento uitiorum, & omni ſæcularium rerum deſiderio mundandum: & ubi id adepti ſuffragante Domino fuerimus, nondum ab opere ceſſandum, ſed id agendum, ut mundities retineatur. Nemo tam eſt mundus, quin adhuc eum mundum uidere uelim: hoc non iam præterita reſpiciens dico, ſed metuens futurum. Veluti ſi æream ſtatuam ab omni ærugine deterſam & iam ſplendidam ſpectarem, hortarer adhuc ſtatuæ dominum, uideret ne ſtatua æruginoſa ſit. Et dicente illo ſe ſtatuam ab omni ærugine nuper mundaſſe & iam

fulgere: reſponderem me non monere de ærugine, quam iam abſterſiſſet, ſed de ea, quæ intus latens erumpet in poſterum, ſi deſes fuerit, & diligentia in abſtergendo defuerit. Similiter non deſino uos monere, ut ſi abſterſa ſunt omnia inquinamenta omneſque ſordes, ne ea res deſidiam uobis pariat, ſed excitet diligentiam: aſſiduè nanque purgandum cor, purumque ab omni rerum ſæcularium appetitione reddendum, & proſpiciendum omnino, ne qua deinceps mala illinc cupiditas erumpat. Volo dicere aliquid amplius. Non ſatis eſt Monacho accepta & parta bona tueri & retinere, niſi ſtudeat augere, & cumulare aliis maioribus, pergat ire quotidie (ut dicitur) de uirtute in uirtutem, ſi dixerit, ſufficit, actum de illo eſt. Etenim humana mens, uoluntas, cogitatio, uarias ſemper recipit morum agitationes, uno loco conſiſtere nequit: non domum, non hoſpitium inuenit ullum commorandi, ſed in mortali uitæ huius ſemita, ueluti perpetui curſoris fungitur uice. Itaque ubi non tendit ad optima, ad peſſima contendit; ubi non progreditur, retrograditur; ubi non proficit, deficit; denique deſinit eſſe bonus, dum negligit fieri melior, ſemper autem fieri melior poteſt, quum nullus finis futurus ſit inſequendi ſummum illud bonum, quod & ipſum ſine fine eſt: quum ad ulteriora tendentibus contiuuò oſtendatur, quod adiici prioribus poſſit. Hoc Apoſtolus ſentit Paulus, dum nos iubet, non retro reſpicere, ſed aſſiduè in anteriora ire: ac ne mirandum quidem id accidicere Monacho, quod omnibus contingit artificibus. Iſti nanque ſi parumper ceſſant ab opere, deteriores fiunt artifices, atque omnia eorum retro labuntur.

Non aliter, quam qui aduerſo uix flumine lembum
Remigijs ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.

Vt quidam Poëta cecinit. Hinc illa pictoris uox, quæ poſtmodum in prouerbium uenit, ſe nunquam ſine linea diem duxiſſe. Quamobrem uigilandum eſt ſemper nobis fratres, & intento undique animo circunſpiciendum, ab oratione non modò ceſſandum, ſed feruidus quotidie inſiſtendum; quoniam maximus ille Monachorum hoſtis Diabolus nunquam ſomnum capit, ſemper eò tendit, ut Monachum de propoſito uel gradu deijciat: non enim ille primo tentat ab oratione abducere, ſed ſuggerit, ut remiſius oremus, deinde ubi id ſuaſit, tum illud, ut minus frequenter atque ita paulatim Monachum carpit, ut parua uel nulla cura tangatur diuini operis: & ad extremum Monachum eſſe non ſinat. Nouit quòd ubi Monaſticæ diſciplinæ rigor uel paululum ſoluitur, humana ſibi indulget imbecillitas, & aſſiduè labitur longius, in deterioraque imprudens prouehitur: ideo tentat primò leuiter, mox grauius, & iam inclinatos in grauiſſimam demum ruinam impellit. O peſſimum hoſtem omni animi prouiſione repellendum, niſi forſitan timendum non putatis, quia oculis corporeis non uidetur, at ea de cauſſa magis eſt formidoloſus, quia præuiſum hoſtem facilè erat cauere. Is autem hoſtis, non modò non conſpicitur,

tur,

tur, ſed etiam ſub amici perſona fallens, & ueluti partium noſtrarum fautor doloſa ſæpius ſuggerit conſilia ad perniciem trahentia: cuius documentum præbere poteſt commnnis omnium parens Adam, quem ſub melioris ſpei obtentu decepit, & ab his, quæ in manibus erant bonis detruſit. Non'ne etiam pietatis ſpecie Ieptam induxit, ut propriam filiam immolaret, nephariumque illud ſacrificium Domino offerret. Alium impulit quendam, ut manu tangeret arcam ruenti ſimilem: alium ut ſacrificaret potius, quàm quòd cœleſti oraculo iubebatur, impleret. Videte quanto cum hoſte ſit certamen, qui & improuiſus & ex inſidijs ſalutem noſtrã petit, atque ita ex inſidijs, ut non inſidiari ſæpius, ſed auxiliari credatur. Sed quorſum hæc tam multa de Monachi uita? ut admoneamur ſcilicet officij noſtri, quod ſi præſtiterimus, rectiſſimè erit, ſin aliter, peſpicuum eſt quid euenturum ſit: ut mihi non ſit nunc neceſſe triſtè aliquid dicere uel ominari: uulgus hominum religioſos nos uocat, non quò ſæculares uiri plures piè uiuentes non ſint ipſi quoque religioſi, ſed id commune nomen attributum nobis, qui religionis ſtudium præter cæteros profeſſi ſumus, & in eo ipſo nos oportet excellere. quòd ſi irreligioſè uiuimus contra id, quod profitemur, & monaſticæ uitæ fert inſtitutum, quanto odio digni ſumus? qui non in re leui, ſed maximè graui, non uni aut alteri, ſed cunctis penè ciuibus, non ſermone, ſed factis, non ſemel aut iterum, ſed per omnem uitam mentimur. Meritò quis nos magis auerſetur, quàm in ſæculo peccantes: illi enim magis ſtant in lubrico. Nobis diuino munere ſuppeditata ſunt omnia, quæ à peccatis retrahant, & ad ſanctitatem uitæ pertrahant. Nos nanque ſæculi negocijs deſertis in tenui uictu & cultu uitam agitamus, quotidie diuinas literas tractamus, ſacros pſalmos reſonamus, exempla ſanctorum ſpectamus, & quod maius omnibus, Deo patri hoſtiam illam placentem quotidie ſacrificamus. Si hanc ſanctitatis aram, ſi hanc ſacram militiam, ſi hanc ſtationem atque uigiliam ab Imperatore cœleſti creditam nobis atque commendatam impiè uiuendo prodimus, quæ turpitudo maior? quod ſupplicium tanta turpitudine dignũ inueniri poteſt? Hactenus aſpera quadam & rigida uia progredientes tanquàm inter dumeta iter fecimus, dum Monachi uitam plenam laboribus & ærumnis depinximus: quamobrem uereor ne multos magni incœpti & diuinarum rerum pertæſos animus deſtituat, ueluti ingreſſi uitã fuerint omnis ſuauitatis expertem. Quid faciam? ſoler ne uos? & fluctuantibus in ſalo tranquillam littoris ſtationem oſtentem? Magnum hoc ſpeduci quietis & dulcedinis ſibi parandæ, hóc laborum moleſtiam, hoc curam mentis leuare poteſt, quid ergo? credemus fratres ſanctiſſimorum uirorum uitam nulla conditam dulcedine amarulenta omnia experiri? Scilicet doctus ille uir & eloquens, ex diſciplinæ cuiuſpiam tractatione & ex meditatione dicendi, ſuauiter animum eius commoueri ſentiet, ut reliquas oblectationes rerum & temporum reſpuat: delinitus una uoluptate ſtudiorum liberalium, Monachum, qui diſcluſus corpore Deum apprehenderit

hend erit ſolius animi ſenſibus, nullos iucunditatis fructus perſpicere dicemus? An circi & ſcenæ gaudia, ut magna celebrabuntur propter ſpectacula ferarum, gladiatorum, fabularum, & multiplicium aliorum certaminum. In ipſo diuinitatis ſpectaculo, quod mera effundit gaudiorum fluenta, nihil prægustabimus nectaris illius, quod poſt mortem plenius & abũdantius hauriemus. Quæro etiam quid deterius in homine? quæ feculentior ſit pars? Corpus inquies, ergo corpore ſentiuntur magnæ ſæpius uoluptates. In animo uerò ideſt nobiliſſima hominis parte non longè maiora uerſari exiſtimabimus gaudia, quum ſecedit ille in loca pura fruiturque ſedibus ſacris. Vt enim initio conuerſionis magnum ineundum ſit ſæpius certamen aduerſus ſæculi carniſque illecebras, ingemiſcendumque ſit frequenter, ac flendum, clamandum orationibus ante Ieſu pedes humillimè effuſis, tamen ubi paululum aſſuefacti huius generis pugnæ terrena neglexerimus, ſerpereque cœpit cœleſtium amor, tunc non parua ſtillabit dulcedo ob præſentiam æterni numinis: nam profuſis exultabunt gaudijs, quorum purificata mens cæteris contemptis ardenter Deo inhæſerit. ſicut enim qui terrenas ſequuntur uoluptates, dulciores ſuauioreſque percipiunt illas, præualido corpore, quàm infirmo, ſic cuius purgatior erit mens ab omni aſperitate & ſorde ſæcularium rerum leuigata, effuſo in ſe magis diuino bono uehementius gaudebit. An inſuauem arbitrer illius uitam, qui quotidie fruitur contemplatione uerorum æternorumque bonorum? tantùm abeſt, ut ſit inſuauis, ut nulla maior humana in uita contingere poſſit ſuauitas; rectius crederetur ineſſe faſtidium illic quàm ullum mœrorem: quanquam ne faſtidere quidem quiſquam illa bona poſſit: ita enim faciant, ut deſiderium ſui aſſiduè relinquant. Qua in re quantùm differant à ſæculi bonis animaduerti poteſt. nam ſæculi bona in propatulo poſita, mortalium uota ſui ſpecie irritantia, ubi poſſeſſa fuerint & pertractata, mox ſordeſcunt, languidiore tenentur affectu, quàm quo quæruntur: anguſtiora ſentiuntur, quàm ut affectus humanos explere queant. contrà accidit his, quæ ſolo mentis intuitu capiuntur bonis, nam hæc recondita ſunt quodammodo & latent, nec obuia humanis affectibus eos ſtatim laceſſunt, ſed difficulter inſpiciuntur, difficilius etiam quæruntur: at ubi parta fuerint & poſſidentur, dulciora in dies & maiora ſentiuntur: ſola homine digna exiſtimantur, ſola ſaturant, ſola dum habentur, adhuc habendi magis deſiderio torquent. Sed quò obuertere ſe poſſunt ſancti uiri, ut non illis læta omnia occurrant, atque iucunda. Num ſolitudo eremi, aut monaſteriorum amara fuerit illis, qui Chriſti, Mariæ, Angelorum colloquio quotidie fruuntur? qui non ſunt putandi eo loci degere, quo corporibus locati, ſed quo mentem intenderunt? Num paupertas humana conterreat diuites cœleſtium bonorum? Num ieiunia diuino paſtu ſaturos? Num ueſtimentorum ſquallor clariſſima uirtutum luce fulgentes? Sed quid hæc commemoro? quum gloriæ ducant ſibi, ſi pro religione ſtantes probro & dedecore fuerint operti: dulcedini, ſi Chriſti

ſti cauſſa acerba tolerauerint. Nihil æquè quondam peramabant ſancti uiri, quàm patientiam corporum exercere, & oſtendere populis per uulnera, dolores, & acerbam mortem, uerum id eſſe, quod prædicabant. Obſtupeſcebant homines uidentes eos ſtudioſè in illa ruere ſupplicia, quod paſſim tamen initio naſcentis Eccleſiæ fiebat, quia ſacro afflati furore ueluti ebrii ferebantur, ut potè, qui totas diuinæ charitatis lagenas ebiberant, atque exſiccarant: parum uidebatur, ſi mors non eſſet in pœnis, niſi etiam mortis eſſet illis crudelitas in delitiis. quanta cupiditate Apoſtolorum Principem Petrum crucem excepiſſe credendum, Domini membris prius ornatam? Quanta Germanum Petri Andream? qui ueritus ne populi miſericordia deſcenderet de ſpecioſiſſimo illo & pulcherrimo pœnarum trophæo exorauit Dominum, ut inter illa ſupplicia expiraret. quid Ioannes uirginitatis flore inſignis, Apoſtolatu nobilis, & Euangelij præconio ſublimis, num feruentis olei lacum expauit? num deprecatus eſt ſupplicij genus acerbiſſimum? quanuis fortis Chriſti athleta ingurgitatus illic non aduſtus, ſed unctus emerſerit. uos tamen in illo & reliquis, qui ad ſupplicia delati præſidio cœleſti ueniam acceperunt, non plagas aut uulnera numerate, ſed mentem appendite ad duriſſima quæque paratam: nam hoc etiam ægreferebatur à plurimis, quod cupientibus perpeti ueſanam tormentorum libidinem non licebat. Illi præ martyrij decore influere quaſlibet pœnas aduerſus ſe optabant, principum indulgentiam deteſtabantur. Videbant ſibi nihil eripi poſſe à Dei cauſſa ſeiunctum: erant enim Chriſti mancipia, quæ ſi ferro, uel quouis alio peſtifero cruciata perdebantur, Chriſto perdebantur, ideſt inueniebantur. Facit hoc omnino uehemens amor, ut hominem non ſinat ſui ipſius eſſe, ſed eius, quod amatur. Nihil ſic amans inſpiciat aliud, niſi quid uelit amatus nulla ſui ipſius habita ratione. Hæc perſequitur, hæc curat, hæc amplectitur ſola, tanquam non in ſe ipſo, ſed in illo uiuat. Hoc non diſſimulans Paulus dicebat. Viuo iam non ego, uiuit uerò in me Chriſtus. & hoc idem in alijs impletum fuiſſe oſtendit, dum ad Coloſſenſes ſcribens inquit. Mortui enim eſtis, & uita ueſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. & ad eadem Corinthios cohortatur, ad quos iterum ſcribens, illud protulit. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut qui uiuunt, non iam ſibi uiuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit. Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ tertius poſt Petrum rector, quum ſub Traiano principe damnatus eſſet ad beſtias, & ea de cauſſa Romam uinctus traheretur, ſcripſit in itinere epiſtolam peregregiam ad Romanos, cuius uerba ad ea, quæ nunc agimus pertinentia, quoniam digna uiſa ſunt tanto uiro, digna ſacræ mentis ardore, digna Chriſtiani nominis triumpho, memomoriæ mandaui. Ad hunc enim modum loquutus eſt. De Syria uſque ad Romam pugno ad beſtias die nocteque ligatus cum decem Leopardis, ideſt militibus, qui cuſtodiunt, quibus & cum benefecerim, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina eſt, ſed non iccirco iuſtificatus ſum.

Vtinam

Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatæ, quas oro ueloces eſſe mihi ad interitum, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me, ne ſicut ad aliorum Martyrum non audeant corpus accedere: quod ſi uenire noluerint, ego uim faciam, ego urgeam, ut deuoret. Ignoſcite mihi filioli, quid mihi proſit, ego ſcio, nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de his, quæ uidentur deſiderans, ut IESVM inueniam: ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, & tormenta Diaboli in me ueniant, tantùm Chriſto ut fruar. Hoc Ignatiano ſermone fratres nihil ne deprehenditis de ardore patiendi ſanctorum uirorum ad Chriſti dilecti ora per ſupplicia commeare cupientium? atque ille quidem ſic ſcribebat: at ubi ad rem uentum eſt, non ferociter minus leonibus ſe exhibuit inanibus, quàm loquutus fuerat, quorum rugitu præ accepto, Frumentum Chriſti (inquit) ſum, dentibus beſtiarum molar, ut mundum farinæ in me ſit. Faciebant hæc & his ſimilia, qui regebant eccleſias, quorum propoſitum inferioris etiam ordinis uiri inſequebantur: Frequentes enim erant, qui pro Chriſto animam effundere cupiebant, ſed & multa Monachorum millia, ut de noſtris quoque dicam, eadem tulerunt, quum ne ſolitudo quidem aliquando à percuſſorum furore tuta eſſet. Vt ſemel finiam, infinita eſt copia Martyrum, & digna quidem Imperatore Chriſto ſpōte ſe ſe pro eius nomine & gloria deuouentium, quibus quum amara dulcia uiderentur, ipſa dulcia quanta fuiſſe creditis? Credunt homines, ſi piè iuſtèque uixerint, ſe ingentia immortalitatis præmia percepturos, ſed credunt: nullo enim ſenſu id nouerunt. Sperant in regno cœleſti maximam beatitudinis copiam præſtò futuram: ſperant ferrei, uel ſtulti potius uidetur abdicare uiuentem ſibi præſentia bona, & futura ſperare poſt uitam. Itaque tentationis huius pondere ſæpe curuatur animus: rurſus ſacrarum ſcripturarum auctoritate & Spiritusſancti aura crebeſcente ſuſtolitur. At ſi interrogabis eos, qui puri ab omni contagione terrenæ ſordis mentis aciem in ſuperna intenderunt, diuinamq́ue illam lucem intuiti ſunt, quid ſentiant de præmijs cœleſtibus, de gloria ſanctorum, ne tantulum quidem dubitationis penès ſe ſuboriri dicent, quin ueriſſima ſint, quæ in fide traduntur: clamabunt ſe ſpiritu euectos beatitudinem illam, & ſi non plenè, nec inuolucris reiectis, attamen utcunque uidiſſe, nec uidiſſe tantùm, ſed breui quandoque oſculo exoſculatos fuiſſe, mox huc regreſſos, quòd corporum ſtatio, cui fuerant aſſignati, diuturniorem moram non ferret. hæc ſanctorum ſecuritas talibus oppignorata muneribus quantam alacritatis uim, quantum ſecundæ auræ flatum rectiſſimis ſtudijs adijcere poteſt? Etenim penès cæteros rudis & informis fides, at penès hos fixa eſt & optimè delineata, iuſtamq́ue effigiem tenet. Quòd ſi oportet ſummatim & cum contemptu inuidiæ uerum liberè dicere, omnis mortalium fœlicitas, ſi cum hac conferatur, quæ puris percipitur animis in contemplatione cœleſtis boni, ſumma infœlicitas dici poteſt; omnia, quæ

ſuauitate

ſuauitate prima ſunt ſenſibus, luctu & miſeria pleniſſima ſunt, ſi cum hac ueniant in contentionem. Nullius ingenium, cogitatio, eloquentia explicare poteſt, quantus & quàm purus, quanque ſuauis ſit riſus animæ illius, quæ cœlum ſibi promiſſum luſtrans, quotidie diuinæ lucis radijs perfunditur. Ille quiſquis eſt eo raptus, ſenſit ſibi aliquid plus homine contigiſſe: magna quædam ſpeculatur, magnis fruitur delitijs, à quibus relapſus in hæc noſtratia, luget quidem de tanto deſcenſu, ſed ſpe tamen interim delectatur magnifica, quòd nec cuiquam alteri uidet longiorem in hac uita moram, ſed iam iamque exeundum, & ad illa ſuprema gaudia, quæ prægustarat ſibi ueniendum, & egregium arbitratur in æternam illam fœlicemque curiam non ut hoſpitem & aduenam receptum tunc iri, ſed ut notum iam & familiarem. Quid? quòd qui perfectioris uitæ culmen aſcenderunt, circa ſe tranquilla cernunt omnia, quæ ſunt apud alios turbulentiſſima? Non enim teneras carnis cupiditates iam temperantiæ ui reprimunt, ſed illas penitus obliuiſcuntur. non ſupra dolorum & periculorum metum animum agunt, ſed omnino quid metus ſit, neſciunt. non ſuperbiam, non arrogantiam, non auaritiam, non inuidentiam frangunt, ſed uitiorum iſtorum uim ab his multis antea prælijs debellatam iam non nouerunt. non affectus ad uirtutes impellunt, ſed à uirtutibus impelluntur ad affectus: non iam ſub lege degunt, ſed ipſi lex uitæ efficiuntur. Iuuat nunc illud exclamare Poëticum.

O Monachum pretioſa quies, ò gaudia ſolis
Nota piis, dulcis furor, incorrupta uoluptas.
Ambroſiæque Deum menſæ, quis talia cernens
Regibus inuidiat, uel quæ meliora ſequetur?

Eia agite fratres excitemus ſomno diſcuſſo uirtutem mentis, & ſurſum ſpectantes eijciamus affectus, qui deorſum ferunt, ſolum IESVM ſpectemus fontem dulcedinis & ſuauitatis, huic ſeruiamus uni, cui militant creata omnia, imò qui ea creauit, huius aures fletu, gemitu, ſuſpirijs circunſonemus, donec miſericordia excitus ſe totum medullis oſſibusque noſtris infuderit. An ſi illi animam nudam obiecerimus, nihil ſæcularium affectuum tollentem, non reſpiciat? non tegat, aut ueſtiat? non cœleſtium bonorum diuitiis, non ſe ipſo ditabit? non adeò efferus & immanis eſt Deus iſte, non tam miſerorum precibus infeſtus, non tam optimorum uotorum auerſator. Illum ſalutis, illum fœlicitatis noſtræ cura tenet. Aſpicite aſpicite crucem illam clariſſimum pietatis clementiæque ſuæ monumentum, qua de ſede flagrantiſſimi amoris, ſi facem intorſerit mutuo corda noſtra torrentem, quid præclarius? quid glorioſius? quid lætius? Etenim tunc, quanuis terris hærebimus corporeum induti tegmen, quadam tamen ex parte beatitudo cœleſtis uoluptasque ſequetur, quæ plena fuerit, ubi nos poſito corporis huius uelamine domicilio exceperit ſuo diuina ſapientia, ne-

FF que,

que , ut nunc uelatam , ſed nudam ſe nobis ſpectandam contrectandamque præbebit, dulciſſima illo tempore inundabunt undique gaudiorum mella, tenebræ tunc luce, labor quiete, ſeruitus libertate mutabuntur.

MARCI

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE POËTIS LIBER.

SAEPE numero mecum agitaui, num de Poetarum laudibus aliquid literis mandarem. Nam ſi id facerem, laborem meum reprehenſoribus non cariturũ arbitrabar. Sunt enim quidam, qui infimam & leuiſſimam omnium artiũ Poeticam arbitrantur. Propterea quòd deliniendis tantùm auribus nata & inuenta ſit. Alii parum utilem prædicant, quia inuentis iam rebus utitur. Nam ſiue Poeta carmen condat de diuinis, ſiue de naturalibus, ſiue de moralibus, hæc ab artificibus aliis petat, neceſſe eſt: à ſua hoc tantùm habet arte, ut ea ad numerum & certam pedum compoſitionem loquatur. Veruntamen quum hæc, quæ contra poeſim afferuntur, conſidero, in eam ſententiam diſceſſi, ut exiſtimarem bonos Poetas non eſſe ſua laude, quæ ſemper magna fuit, priuandos. Quis enim tam rudis & ignarus rerum omnium, qui non intelligat humanos animos uehementius carmine concitari? Quis tam fero atque immani ingenio, tam è ſaxo dolatus, ut non moueatur Poetarum cantu? quomodo porrò dicitur Orpheus primæuos illos mortales è ſyluis ad urbes, è ferino uictu ad ciuilem transtuliſſe? nonne carmine? nam Poetam fuiſſe conſtat, ut potè muſa matre natum: ſacraque Bacchi ex Aegypto in Græciam attuliſſe, & his homines intiaſſe. Tres Poetas Theologos extitiſſe longè ante Troianum excidium proditum eſt: hunc ſcilicet Orpheum, Linum, & Muſeum; qui ideo Theologi dicti ſunt, quòd canerent laudes Deorum, & ad diuinum cultum rudes tum & feros homines inducerent: & hortarentur omnes una intra mœnia coire, & legibus certis uiuere. Illud etiam uenerabiliores facit Poetas, quòd afflatu diuino correpti in fundendis carminibus putantur: hinc dicebat unus ex illis.

> Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
> Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Cæterarum rerum ſtudia & arte & doctrina & præceptis quibuſdam con-

ſtant, ſoli Poetæ non cura fiunt, ſed natura prodeunt, nec humano adiuti labore; ſed diuino correpti furore excitatur. Habere numen creditum eſt illos, nec niſi cœleſti ſpiritu afflatos in uerſum urgeri. Hinc ſibi uatum nomen uendicarunt, quo nomine etiam origo carminis commonſtratur. nam metri inuentum eſt eorum, qui primi mortalibus oracula futurorum euentorum canebant: ante hos non erat carmen, illi numero uerſuque fata Regum populorumque euoluebant, ſic Sybillas, ſic Pythiam Delphicam, ſic alios Deos ueteres oraculis ſuis uentura prædixiſſe accepimus. Imitata eſt furioſam tranquilla ſapientia, nam quicunque philoſophandi ianuam cæteris aperuerunt, Philoſophiæ dogmata uerſibus profeſſi ſunt, Parmenides, Zenophanes, Empedocles, & apud nos Lucretius. Præcepta etiam uitæ quidam uerſibus tradiderunt: quoniam, quòd numero & ad conſonantiam quãdam ordinatam procedit, libentius diſcitur, & fidelius retinetur. Vitia quoque temporum Poetæ notauerunt: inde Satyræ initium duxerunt, quo in opere latini ſoli floruerunt. Non igitur ortus carminis humilis, non nuper inuentus, non uſus eius mediocris, ſed uetuſtus & in magnis ſemper rebus ſublimibusq; uerſatus. Hæc omnia diſertiſſimè complexus eſt Horatius in arte oſtendens poematis initium & creſcentem progreſſum. Iuuat carmina ipſa ſubiicere, ut oſtendatur quantùm carminis dignitas ualeat ad rem demonſtrandam, & quàm facilè in auditorum animos influat. Ille igitur ſic cecinit.

Sylueſtreis homines ſacer, interpresque Deorum
Cœdibus, & uictu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigreis, rapidosque Leones:
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò uellet. fuit hæc ſapientia quondam
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atque
Carminibus uenit, poſt hos inſignis Homerus
Tyrthæusque mareis animos in Martia bella
Verſibus exacuit. dictæ per carmina ſortes,
Et uitæ monſtrata uia eſt, & gratia Regum
Pieriis tentata modis.

Sed quid mirum Regum gratiam Pieriis tentatam fuiſſe modis? quum ipſe Deus Omnipotens laudes ſuas & nominis gloriam carminibus cele brari uoluerit: & ſpiritum ſuum ſacrum canentibus infuderit. Etenim, u Arator ait, qui Apoſtolorum geſta perſequutus eſt carmine.

Metrica res ſacris non eſt incognita libris,
Nam pſalmos plyrici compoſuere pedes,

Exametris conſtare ſonis in origine linguæ
Hieremiæ luctus, Iob quoque dicta ferunt,

Quanta autem ſit carminis dignitas, uel ex eo indicari uidetur, quòd nemo (quantum mea fert opinio) ſoluta oratione uteretur, ſi aſſiduè uerſus fundere poſſet, & idoneos haberet auditores, niſi fortaſſe ex nimia ſui excellentia ſatietatem & faſtidium procreet affluens uerſuum effuſio. certè ipſa ſoluta oratio, licèt non ſit numerus, gaudet tamen eſſe numeroſa: & ita ea magni & præſtantes Oratores uſi ſunt, non mulcendarum auriũ tantùm cauſſa, ſed quia uehementius pellunt & feriunt animos, quæ numeroſè, quàm quæ temerè, & ut accidit, dicuntur: idque propter cognationem quandã, quã humanus habet cũ numeris animus, adeò, ut quibuſdã animus numerus dicatur. Naturale eſt autem ſimilibus excitari, diſſimilibus lãguere. At auctoritas Poetarum quanta? Mihi ſemper excellens fuiſſe uidetur, quod uel illud indicat, quòd magni ſapientesq; uiri, quũ ipſi Poetæ eſſe nolent, Poetarum tamen carmina ſcriptis ſuis inſeruerunt. Apoſtolus Paulus diuinorum aſſertor myſteriorum; in hac eius magniloquentia adducit uerſiculos Græcorum Poetarum, & penès Athenienſes in Areopago Arati uerſum protulit. Plato & Ariſtoteles ſummi Philoſophiæ uertices quoties Homeri & aliorum Poetarum citant carmina ad comprobationem ſententiæ ſuæ? Quid dicam de Hieronymo & Auguſtino, & aliis ſanctarum literarum interpretibus? Nonne idem factitarunt quominus mirãdum eſt ueteres Iuriſcõſultos in eorum reſponſis & diſceptationibus ſæpius uſos Poetarum teſtimoniis. De honore autem, quem reges habuerunt Poetis (quoniã de hoc Horatius admonuit) plura poſsẽ cõmemorare. Sed è pluribus pauca dixiſſe ſufficiet. Euripidem inſignem tragicum Poetam Archelao Macedonum Regi chariſſimum fuiſſe cõſtat, qui, quum fortè periiſſet diſcerptus noctu (ut aiunt) à canibus, oſſa Pellam domicilium Regium iuſſu Regis tranſlata ſunt: & quum Athenienſes ſæpius per Legatos petiuiſſent, ut ſibi ciuis ſui reliquias in patriam referre liceret, eorum preces repudiauit. Menandrum in comico ſocco magnum ab Aegypti & Macedoniæ Regibus ſæpius per Legatos & claſſe petitum fuiſſe, teſtatur Plinius. Scipio Africanus, qui cognomento ſuo tertiam orbis partem à ſe deuictam declarat, tanti fecit Q. Ennium Poetam, ut eius ſtatuam ſepulchro ſuo imponi mandarit. Homero autem mortuo tantum honoris tribuiſſe Alexandrum accepimus, ut eum ſub puluino ſemper haberet: nec in bello lectionem eius intermitteret. Idem quum uidiſſet nuntium quendam ad ſe feſtinabundum accedere magna (ut uidebatur) cum lætitia: quid (inquit) renuntiaturus es? An Homerum reuixiſſe? Inuenerat inter ſpolia Regis Darii arculam materia & opere pretioſiſſimam, & diſceptantibus amicis, cui nam rei eſſe uſui poſſit. Tum ille. Donetur (inquit) Homeri uoluminibus. Notiſſimaque eius uox ad Achillis tumulum. O fortunate, qui laudis tuæ præconem Homerum habuiſti. Idem iam antea in direptione Thœbarum Pindari familiæ tectis

que

que ob Poetæ honorem pepercerat. Virgilio & Varo Latinis Poetis multa tribuiſſe Auguſtum Cæſarem, illud ex Horatio oſtendit, dum in epiſtola ad eundem ſcribit.

At neque dedecorant tua de ſe iudicia, atque
Munera: quæ multa dantis cum laude tulerunt:
Dilecti tibi Virgilius, Varusque Poetæ.

De Varo quantus fuerit in carmine iudicare non poſſumus, quoniam hodie nihil eius extat. Virgilium autem doctiſſimum Poetarum noſtrorum & elegantiſſimum nouimus, quem ſic dilexit Auguſtus, ut quum ille teſtamento cauiſſet Aeneiden ſuam cremari ueluti rem imperfectam, eam magis Auguſtus uiuere uoluerit contempto Poetæ præcepto, contemptaque legum auctoritate, quæ defunctorom uoluntates impleri iubet. Silium etiam & Statium inſignes Poetas à Domitiano ad ſummos honores prouectos fuiſſe non ambigitur. Denique Romæ Poetas ſummo in honore fuiſſe, illud non leue eſt argumentum, quòd Muſarum templum in urbe antiquitus extructum fuit, magnoque in cultu habitum, exiſtimatumque eos agreſtiore fuiſſe animo, qui à Muſarum conſortijs tanquàm à gratijs abeſſent. Collegium Poetarum in urbe inſtitutum auctor eſt Valerius, qua in re illud memoriæ prodidit. C. Cæſarem dictatorem in illud collegium cooptari uoluiſſe, & fuiſſe Accium Poetam, qui uenienti Cæſari in collegium nunquam aſſurrexerit, quum ſe in arte ſuperiorem eſſe conſideret, & in illo conuentu non opes, ſed ingenium ſpectari putarent oportere. Sed quid hæc? quum non modò Reges & Imperatores Poetas ornauerint, & carminium ſtudia adamauerint: uerùm etiam carminibus pangendis aliquando incubuerint, ſicut de hoc Auguſto, Nerone, Nerua Adriano, multisque alijs accepimus. Cur autem Reges & cæteri ſummates uiri non in honore haberent Poetas, quorum carminibus uidebant eorum geſta celebrari, nemo ferè eſt, qui gloriæ amore non tangatur, qui non expetat memoriam ſui nominis fore diuturnam. Ornarunt ipſi Poetas, ſed ab illis ipſi quoque uiciſſim ornati ſunt. Nam (ut inquit quidam)

Non magis expreſſi uultus per Ahenea ſigna,
Quàm per uatis opus mores animique uirorum
Clarorum apparent.

Quot & quales uiros, & quàm ætate ſua glorioſos uetuſtas obruiſſet, niſi eorum memoriam à temporis iniuria, Poetarũ ſedulitas eripuiſſet. Aeterna eſſe debebant, quæ ſummo labore geſſerant & induſtria: Sed quid fieri poteſt?

Tempus edax rerum, tuque inuidioſa uetuſtas
Omnia conſumitis, uitiataque dentibus æui
Paulatim lenta conſumitis omnia morte.

Acceſſere Poetæ, qui immortalitatem geſtis ſommorum uirorum pollicerentur, eandem ſcilicet, quam ſibi ipſis & carminibus ſuis promittebant, hinc illud natum eſt.

Fortunati

Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies unquam memori uos eximet æuo,

Operis quoque ſui æternitatem prædicat Ouidius.

Iamque opus exigi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere uetuſtas.

Et reliqua, quæ ſequuntur. Eodem impetu fertur Horatius

Exegi monumentum ære perennius,
Regali ſcitu pyramidum altius,
Quod non imber edax, non aquilo impotens,
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries & fuga temporum.

Neque uerò Poetas ita commendo, ut omnia eorum uera eſſe dicam, fabulis delectantur plerunque, ſed fabuloſa pro fabuloſis habenda ſunt uel potius cur ea ficta fuerint inquirendum, & ad ueritatem (ſi fieri poteſt) res redigenda: qua in re Palephatus operam ſuam præſtitit. Legendi etiam cum delectu, ſi qua contraria bonis moribus uel religioni aſſerunt, & putare eos more hominum peccaſſe, uel temporibus, quibus nati ſunt ſeruiſſe, dum Deorum furta & flagitia commemorant: rectè Plutarchus, qui Poetas ex urbe bene inſtituta non expulit, ſed quemadmodum audire oporteat, oſtendit libro ſuper ea re edito. non enim cenſuit genus totum repudiandum propter quoſdam, qui in pleriſque fœde lapſi ſunt, quum in poteſtate noſtra ſit, quicquid in eis utile eſt amplecti, mala autem repudiare. Demum ſi Poeſis ab omni peccato ſit pura, cur non admittatur? hoc an ſit talis, iudicet non tam Grammaticus, quàm Philoſophus. Meo autem iudicio. Si Poeſis fuerit non effœminans animos, ſed uirilis, ſi non laſciua, ſed caſta, ſi non uitijs fauens, ſed acuens ad uirtutem, hæc utilis etiam eſſe poterit reipub. Platonicæ, quam ille ſeueriſſimam in libris ſuis ſibi ipſi confinxit. Eos autem, qui minoris faciunt Poeſim, propterea quòd rebus iam inuentis utatur, latet ſe magnam laudem tribuere Poetis. Nam ut utatur Poeta rebus iam inuentis: attamen ea altiori ſtylo & magnificentiore & iucundiore portat. Plerunque etiam uberiore, eadem tractat, quæ alii tradiderunt, ſed non eodem modo & forma. Tenens ſummam rei ab illis traditam alio utitur uerborum genere, diuerſis ſententiis, & nouis dicendi figuris, denique ingenioſè cuncta illuminat, hæc non parua ſunt, niſi forſitan parua exiſtimetur laus boni Architecti, & ſtatuarii: nam hi Artifices materia utuntur alibi importata, ſed forma eſt ab illis, quod pretium rebus facit. Addunt etiam iidem obtrectatores Poeticen parũ eccleſiæ Dei utilẽ, obliti hymnos ſacros, qui numeris & ordine pedum conſtant, inter Sacerdotes cantari. Cur? niſi, ut attollatur animus facilius ad diuinorum contemplationem. Videmus etiam inter miſſarum ſolemnia carmina quoque recitari, in quibus de induſtria elaboratur, ut par ſit membrorum menſura, & clauſulæ ſimiliter cadant, atque deſinant, quæ conſectaria uel ſequelas uulgo uocant, quod

posteriora

poſteriora prioribus in fine uocum conſonent, & quodammodo ſequantur. Veteres quoque Ethnici choros inſtituebant, qui ſacros canerent hymnos, ubi placare Deos, uel ab his ſibi concedi aliquid cupiebant. Quo circa ab inſigni Poeta in laudem Poetices illud prolatum fuit.

Caſtis cum pueris ignara puella mariti,
Diſceret unde preces, uatem ni muſa dediſſet?
Poſcit opem chorus, & præſentia numina ſentit,
Cœleſtes implorat aquas docta prece blandus,
Auertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum,
Carmine Dij ſuperi placantur, carmine manes.

Næ igitur inutilis fuerit poetice, ſi tanta à Dijs impetrare potuit. Sed & illud quoque ſpectandum eſt. Multi multa ſcripſere uerſibus non dico de leuibus, ſed grauibus. Opianus de piſcibus, Macer de herbis, Aratus de ſideribus. Scripſit Georgicas Heſiodus, & eius imitatione penès nos Virgilius. In re medica infinitum eſſet dicere quot & quales uiri morborum remedia uerſibus proſequti ſunt. Non uideo ſi hæc, quum ſoluta oratione proferuntur, ſunt utilia eccleſiæ, cur inutilia reddantur addito numero, & uberiore uerborum fluxu ornatu. At iucunda ſunt, non ideo tamen fit, quin etiam proficua ſint, iucunditatem autem proficuam, & in inuidiam, & iniuſtum odium uocare, cuius tandem eſt prudentiæ? quum id, quod delectat, non ſolùm teneat & docilem reddat, ſed etiam nutriat magis atque paſcat. Adde quòd Oratori quoque Poetarum lectionem plurimum conferre ueteres exiſtimauerunt, quòd ab ijs & in rebus ſpiritus, & in uerbis ſublimitas, & in affectibus motus omnis, & in perſonis decor peteretur. Illud certè uidebant uim Poetarum eſſe uehementiorem, quem enim unquam Oratorem audiuimus, ſic ualuiſſe acerbitate ſermonis, ut inimicos ad laqueum & ſui ipſius necem impulerit? quemadmodum de Archilocho, & Hipponacte proditum eſt. Quod ſi tantùm Poeſis poteſt ad perniciem, quantùm ei ad ſalutem (ſi uelit) licebit. Dicam autem nunc unde ſit, quòd quidam clamoſius inſurgunt in Poetas: nam ſtomachantur in eos, uel quòd elati hoc Poetæ nomine ambulant inflatius, quaſi omnia teneant, quum pauca admodum ſciant: uel quòd turpia, flagitioſa, fœda carminibus ſuis intexunt, uel quòd mali Poetæ, uerbis & ſententijs parum ualidi, aut non ſeruantes metri legem, quos ſæcli incommoda Catullus nũcupat, hos ego Poetas laudare nec poſſum, nec debeo; imò nota cenſoria inurendos dico, & interdicendum, ne quid ſcribant. Tantùm autem abeſt, ut hos Poetas nuncupem, ut ne eos quidem Poetarum digner nomine, qui exiliter ſcribant: nam ſe hoc quidem uocat nomine Horatius, quòd humili ſermonum ſtylo utatur.

Neque enim concludere uerſum
Dixeris eſſe ſatis: Neque ſi quis ſcribat, uti nos,
Sermoni propriora, putes hunc eſſe Poetam.

Ingenium

Ingenium, cui ſit, cui mens diuinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis huius honorem

Quæritur in bono Poeta, ut ſententijs ſit egregius, uerbis nitidus, tranſla tionibus magnificus, figuris iucundus, grandis & canorus carmine, & ita plerunque eſſe debet. Variat tamen ſæpius aptans ſe rebus, quas tra- ctandas deſumpſit. Vt enim mundi huius facies non una eſt; ſed uaria, nam cœlum oſtentat, mare, ſidera, terras: hîc uallibus depreſſus eſt, illic collibus ſupinus: alibi planicie diſtentus, hirſutus ſyluis, nitidu floribus, excultus gramine, ſquallidus arenis: aridus ſcopulis, liquidus fluminibus riuis, lacubus: denique diuerſis conſtat partibus, & hæc ei uarietas con- ciliat gratiam & decorem. Similiter Poeſis uaria eſt & multiplex, nunc familiaris eſt lectori quotidiano utens ſermone, nunc elata incedit altiſſo nis uocibus, nunc breui tendit ire circuitu, nunc latiſſimè expatiatur, nunc magno fertur impetu torrentis in morem, nunc placidius fluit, blan ditur, terret, minatur, inuidiam, amorem, odium concitat, & quemcun- que animi affectum res poſtulat, inducit, & ut ille inquit, Modò me The- bis, modò ponit Athenis. Nec tantùm ſeparatis agit hæc partibus, ſed interdum ſimul pulchrè commiſcet, hæc omnia quid plura? non hæc Poe ſis, ſed pictura loquens uideri poteſt, hæc & ſi illi ſunt communia cum o- ratione ſoluta, tamen hoc habet Poeſis propium, quod eadem magnifi- centius dicuntur, & illuminatius, & tranſlatis uerbis audacius: habetque hoc Poeta admirabile, quòd quum ſit numero deuinctus, eadem tamen ornamenta perſequitur, quæ ab Oratore adhibentur, tantùm altitudine præſtet unus altero, ut Poeta quaſi equo inuehi, Orator pedeſtri ſermone uti dicatur. Oderunt etiam nonnulli Poetas, quaſi maledicum genus, ut potè, qui non parcant perſonis, ſed nominatim quoſlibet carpant. Sint quidam Poetæ tales, ſed plures ſunt boni, quorum carmina ab omni ob- trectandi ſtudio pura ſunt: non igitur hos illorum cauſſa odiſſe debemus, & fatuum eſt putare omnes Poetas ijſdem gaudere. Carpere in uniuer- ſùm uitia hominum & temporum conceſſum eſt, non autem in hunc uel illum ſuſpitiones uel crimina ingerere: iniuſtum id enim & periculoſum: iniuſtum, quia non debet quicquam alteri obijci, ubi non liceat iudicio ſe defendere & crimen refutare. Periculoſum, quia læſi carmine quando que ſe ipſos manu ulciſcuntur. Illi autem pro re leuiſſima uerborum, gra uiſſimas luunt pœnas. Notum illud Alcibiadis, qui Eupolim Poetam, à quo notatus fuerat in comœdia, nauigantem adeptus, in mare deiecit. Quum penès Romanos Neuius Poeta in Metellos recitaſſet in ſcena ueſi- culum huiuſmodi.

Fato Metelli Romæ fiunt conſules.

Reſpondit ei Q. Metellus, qui tùm fortè Conſul fuit, alteto ſenario.

Dabunt malum Metelli Neuio Poetæ.

Is etiam Neuius in Scipionem Aphricanum inuectus eſt. Demùm ob ma ledicentiam in Principes Romanos à Triũ uiris in uincula coniectus eſt,

GG &in

in bono poeta qd requi

& in carcere aliquandiu habitauit: ubi fabulas etiam aliquot ſcripſiſſe di
citur. Poſſem huius ſuperiotis ætatis exempla alia inferre, quibus oſten-
ditur, quòd qui pulſarunt alios carmine, ipſos deinde uerberibus & uul-
neribus pulſatos fuiſſe. Sed omitto, quia facile eſt culibet, qui ſanis mo
dò ſit moribus, ab hac maledicendi ſcabie temperare. Etenim maledictis
certare cum infimo, ſordidum: cum pari, anceps: cum ſuperiore, furio-
ſum. Solent, qui de artificibus quibuſdam conſcribunt, memorare eos,
qui in arte claruerunt. Sic oratores memorat Cicero, pictores Plinius,
grammaticos Suetonius, eccleſiaſticos ſcriptores Hieronymus noſter:
quem ſequutus Gennadius poſtea alios addidit. Similiter commemo-
randum nunc eſſet, qui & quales olim Poetæ fuerint, & quibus floruerint
temporibus, & quale carminis genus ſectati ſunt. Sed quoniam de Poe-
tis latinis id factum eſt ab alijs diligenter, iccirco tanquàm præuentus
quieſco, nec ſanè qui hoc ignorauerit, multam faciat iacturam, ſed ſi ne-
minem eorum legerit, aut imitari neglexerit. Illud forſitan deterrebit a-
liquos ne uelint fabricandis carminibus incumbere, quod

> Mediocribus eſſe Poetis
> Non homines, non dii, non conceſſere columnæ.
> Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
> Et craſſum unguentum, & Sardo cum melle papauer
> Offendunt, poterat duci, quia cœna ſine iſtis,
> Sic animis natum, inuentumque poëma iuuandis
> Si paulum ſummo diſceſſit, uergit ad imum.

Ego uerò ſatis eſſe cenſeo proximos eſſe primis, ſed proximos non longo
interuallo: qua in re opus eſt natura & ſtudio, quæ duo ſunt: utrunque
adeſſe debet, alterum eorum non ſufficit, nam, ut inquit Idem Horatius
qui mediocritatem in Poetis improbat.

> Ego nec ſtudium ſine diuite uena.
> Nec rude quid proſit uideo ingenium: alterius ſic
> Altera poſcit opem res, & coniurat amice.

Magna certè res eſt Poeſis, magnum opus, in quo duo maxima concur
rere debent, quibus omnia conſtant, ars ſcilicet & natura: ſed natura pri
mas fert partes, ars ſecundas: nam & ars ipſa quoque ſtudet naturam im
tari. Non inficior, quin adeſſe oporteat ſtudium, diligentiam, aſſidua
uigilias, operis amorem: Sed iſta parum afferunt in Poeſi, niſi naturæ e
tiam beneficio adſit ingenium uelox, potens, acutum, diues imaginibus
& inuentionibus præclaris, muſis denique amicum, & ad numeros pro
penſum, ita, ut carmen quodammodo ſponte fluat. Tale quid fuit in Ho
mero Poetarum Principe: cuius ea animi fuit altitudo, ut nec diuitias
nec honores, nec opes, nec alias ſenſuum illecebras quæreret, ſed cun
cta negligeret præ uno carminis fabricandi atque canendi ſtudio: inde t
le prodiit opus, in quod cæteri mortales perſpicerent, ueluti omni nume
ro abſolutiſſimum ſignum, nec imitari ualerent. Hoc oſtendit Homerun

ſacr

ſacro furore fuiſſe percitum, quòd neglectis omnibus ſuis utilitatibus ſoli Muſarum ſtudiis incumberet: quod optimè uidit Plato in Phedro, qui hoc facit furoris genus laudabile, quo Poetarum mentes rapiuntur. Negat ſine hoc furore poſſe ualidam Poeſim conſiſtere, quicunque illo remoto humanæ fidens prudentiæ poeticas pulſarit fores, inanem reuerti: furorem autem uocat commotionem uehementiorem mentis à Deo profectam, qua animi neglectis inferioribus ad ſuperna rapiuntur, & altius efferuntur: quod Poetis contingere uidemus, quibus penè ſolis conceditur.

Currus & equos, facieſque Deorum
Inſpicere: & qualis rutulum confundat Erynnis.

Et talia quædam mirifica, quæ eorum carminibus memorantur. Itaq; meritò dixi ab initio Poetas laudandos & uenerandos eſſe, tanquam diuino afflatos Spiritu, & ueluti artificum genus quoddam non humano ſtudio effictum, ſed de cœlo delapſum. Fatendum eſt autem uerſus eos, quos olim Fauni, uateſque canebant, ut Cicero inquit, ruditer fuiſſe compoſitos: erant autem pleraque eorum ad religionem pertinentia; & diù permanſerunt, quia mutare non licebat: deinde, ut humana ferè omnia à paruis progreſſa initijs incrementum ſuſcipiunt. cultior proceſſit Poeticus uerſus, demùm ad eam maieſtatem & elegantiam peruenit, quam hodie intuemur. Eia agite ò iuuenes, quibus literarum ſtudia cordi ſunt, Poetas diligenter legite & euoluite, & ſi quis è uobis affluit ocio, & ingenio polleat poetico, carmen quoque amabile condat, delecta materia, in qua dignum ſit elaborari: hoc enim & ſpectantibus afferet utilitatem, nec aliis modò, ſed ipſi quoque artifici iucunditatem. Nam ſi quæ arte efficiuntur, delectant artificem, eiuſdem quoque laudis Poetica maximè eſt particeps. O' dulcem illum furorem, quo impellimur in muſarum ſacra adyta O' incorruptam uoluptatem. O' gaudia his tantùm nota, qui experiuntur. Quis tam inſanus uel ferreus, ut te ò ſummum mentium Poetica decus uituperare audeat? quis non potius ſummis attollere debeat laudibus? Tu Regum & populorum geſta canis. Tu cœlum penetras, & ad Omnipotentis uſque Dei ſolium pertingis. Tu multorum memoriam in longum æuum prorogas. Te uetuſtam origine: utilitate frequentem, iucunditate aſſiduam, omnes, qui non agreſti, ſed urbano ſunt ingenio continuè uenerantur.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

IN METRA SVA POETICA PROOEMIVM.

SCIO antiquiſſimos illos & probatiſſimos uiros, qui & maiorum rerum procurationem ſuſcipere & grauiſſima quæque literis comittere audebant, ſolitos nonnunquam ad poeticen deſcendere, & uerſus ducere, non quòd affectarent laudem dictandi carminis, ſicut hi, qui principem tali in re operam ſumentes, poetas ſe & haberi & dici cupiebant. Verùm qnoniam non in ocio ocium querebant, ſed oblata quiete ſuauiſſimam ingenij agitationem meditabantur; inuitati metri elegantia & uenuſtate eò ſe transferebant: & nunc uerſu amores ſuos decantabant, aut quemlibet alium animi affectum exprimebant, interdum laudes ſummorum uirorum attingere, & poſcente materia graue aliquod carmen deducere nitebantur. Fortaſſe quiſpiam arbitrabitur oratoriam loquutionem & poeticam diuerſæ cuiuſdam eſſe facultatis. Iccirco unum atque eundem hominem non æquè bene utranque tractare poſſe. Ego contra uideo pleroſq; & in hac et in illa facultate excelluiſſe: nec apud ſublimes Latinos tantùm et Græcos, quorum et ditior eſt ſermo, & affluentior, & rebus omnibus beatior; ſed & apud noſtros in hac infima quotidiana uulgariq́ue lingua, nec excelluiſſe olim tantùm, ſed & hodie excellere, nec id mirum uideri debet. Nam ſi agri alias alio tempore fruges efferre poſſunt, ſi eædem arbores, ubi ſe induerint in diuerſa pomorum genera, multiplices fructus edunt: Cur non hominis ingenium, quo & illa efficiuntur, uaria ex ſe gignet in ſtudijs? & multiplicia? & deſtincta? Me certè iuuat quum perſpicio doctrinarum opera ex ingeniorum adytis eruta, nunc lege metri conſtricta in orbem circumagi, & certis gradibus inſiſtere, nunc ſoluta & ueluti numerorum exuta compedibus liberius excurrere, & quò ferat impetus uagari: quorum unum oratoris eſt, alterum poetæ, utrunque autem eiuſdem hominis, qui utroque ſtudio teneatur. Ac ſi uerum uel dicere uel audire poſſumus, finitima admodum & coniuncta eſt & cognata poeſis orationi. Nam & uerbo-

uerborum ſuppellex ferè eadem, & ſententiarum idem reperietur ornatus: diſtant uerò, quòd oratio libertate pedum diffuſior non niſi delectu adhibito in ſermonem deſcendit. At poeſis conſtricta numerorum modo licentius ſupergreditur: & pro arbitrio magis uerba contorquet, nec tàm apta deligit, quàm iucunda conquirit. Quorſum hæc? ut intelligatur me imitatione ſummorum uirorum aliquando idem feciſſe: Ego enim iuuenis adhuc, Poetis euoluendis admodum intentus fui: mouebat me carminis dignitas & uenuſtas, quæ penès bonos poetas Græcos & Latinos ſumma eſt. Nec mirum uideri debet, ſi ut multi, & ætatis feruore & calentibus adhuc Poetarũ ſtudijs adductus ſum, ut tentarem quid in eo genere poſſem. Itaque ſi proſæ faciendæ magis forſitan idoneus eſſem, tamen ad hæc Poetica conuerſus, ubi per ocium licuiſſet, commoui me plerunque heroico gradu, & ad numerum aptè uerba ceciderunt. Accedente poſtmodum grauiore ætate & negociorum multitudine retroceſſi: neque nunc iam ſenex huiuſmodi aliquid meditor: non quòd Poeticen contemnerem, de cuius laudibus quandoque ſcripſi, ſed quòd grauiora ſtudia, aliaque ad uitæ cultum neceſſaria nullum carminibus locum reliquerunt. Attamen quæcunque olim luſi, nunc palàm facere decreui, quia nonnullis eodem poetico furore correptis placere poſſe, exiſtimaui. Natura enim affert, ut ijs, qui eodem morbo collaborant, & ſimiliter mouentur, faueamus. Cæterum illud Virgilianum ſi dixero.

Et me fecere Poetam
Pierides, ſunt & mihi carmina.

Arrogans uideretur. Ego enim ſerias addixi lucernas iuris ciuilis ſciẽtiæ, nullus unquam me ab hac dies, nulla uox remorata eſt, quod ex reſponſorum libris, quos edidi, ex magiſtratibus, quos geſſi & gero, ſatis elucet. Poetam dici non mereor, nec affecto, ſicut nec affectaret ille ſe pictorem uocari, qui unum aut alterum, aut tertium opus effinxiſſet; quanuis abſolutiſſimè id peregiſſet. Et quoniam ſuperius facta eſt mentio Pieridum, quæ alio nomine Muſæ uocantur, poſſem de Muſis poſtquam ſermo nobis eas obtulit, & de carminibus agitur, plura dicere. Nam & de origine earum quæritur, & de nominibus, & de numero, deque earum duce Apolline, & quomodo antiquitas eaſdem uelut Deas quaſdam poeſis & cãtus ſtudioſis uoluit præſidere: ſed prætereo, quoniam res longiorem depoſceret orationem. Illud non omitto, Muſarum nomen non ſolùm pro cantu, ſed etiam pro humanitate, doctrina, & literarum ſtudio accipi, nam rudes & illiteratos homines, nullum cum Muſis habere commerciũ, uel à Muſis auerſi dicuntur: Sed ſcientia pollere Muſas quarumlibet rerum atque memoria, uel illud indicat: quod finxit ipſas Antiquitas Iouis & Mnemoſynes eſſe filias. Hinc eas etiam Mnemoſynas ideſt memorias uocat Auſonius, & Iouem ſcientiſſimum eſſe tradit Homerus: ob idque, quòd plura ſciret quàm fratres, ait regnum cœleſte obtinuiſſe. Et Virgilius in inuocatione Muſarum illud protulit.

Et meminiſtis enim diuæ & memorare poteſtis.

Ego uerò ſi in hoc uerſuum meorum opuſculo aduoco Muſas in auxiliũ carminis (ſicubi inueniar id feciſſe) non ſuperſtitione gentium eas adeſſe uelut Deas quaſdam cupio, quas conſtat (ſi aliquando fuerunt) mortales fœminas fuiſſe, tùm canere ſolitas, tùm in aliis eruditas: ſed ingenium, ſcientiam, eloquentiam, memoriam aduoco, quæ ab unico uero Deo proficiſcuntur, qui ſolus Pater eſt luminum. Hoc etiam ſedulò caui, ne qua laſciua, turpia, impudica, fœda carminibus meis immiſcerem, quod etiam apud gentes improbatum eſt, quæ hac ratione mihi uidentur Muſas finxiſſe Virgines, quòd deceret Poetam pium eſſe, & caſtum & pudentem, & quaſi Virginali uerecundia, ab omni immunditie & corruptione procul. Scite igitur Lucianus: penès quem Cupido cum matre colloquens, & ueluti Imperii ſui reddens rationem, aſſerit ſe Muſas à ſuis iaculis intactas relinquere, propterea quòd modeſtiam earum, grauitatemq́ue, & aſſiduam ſimul magnarum rerum meditationem uereneatur, & mira inſuper cantus dulcedine mulceatur. Prudenter etiam Virgilius, qui quum infauſtum illum Aeneæ & Didonis cogreſſum deſcriberet, illud tantum attulit.

Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deueniunt.

Vlterius progredi noluit, reliquum malens ſuſpitionibus noſtris relinquere, quàm ipſe dicere, & fœditatem aliquam legentium oculis ingerere. Sed de his ſatis, & fortaſſis nimis multa. Non enim ſoluta oratione uagari propoſitum fuit, ſed metra Poetica afferre, quod genus literarum iucundius eſſe ſolet.

De Mago.

O QVI naturæ cauſas arcanaq; cœli
Mente agitas, nec ſcire nequis, te docte precari
Cogor, opemq́ue tuam dubiis expoſcere rebus,
Adſis, quidq; petam (nec erit mora longa) docebo.
Carmina ſi cœlo ſpargantur dira ſereno.
Heu uideas toto gradientes aëre nimbos,
Tum ferruginea cœlum ſubtexitur umbra,
Impiaque æternam ſperant ſibi ſæcula noctem,
Ipſe diem luce incendens, clarusq́ue coruſcis
Phœbus equis, tegitur caput atra nube, polumq́ue
Inficit, & magicos haud uult ſpectare ſuſurros.
Nec meliora intempeſta ſub nocte feruntur,
Sidera nulla micant flammis, tum candida Phœbe
Lumine læta, uomens fraternos cornibus ignes

Theſſalica

Theſſalica cœlo ad terras traducitur arte,
Atque ita carminibus rerum natura nouatur.
Stare amnes, uiridesque ſolo decedere ſyluas,
Et uideas toto gradientes æquore montes.
Deque ſuis alios ſegetes diſcedere in agros,
Excitosque imis manes uolitare ſepulchris.
Neu uates finxiſſe putes, Aegyptia quondam
Tonſa (quis hoc credat, niſi ſacra uolumina ferrent,
Aſtruerentque fidem) ſerpentis ſiſtitur ore,
Tergaque conuoluit ſquamoſa ac ſibila mouit,
Quæ uis uerborum tanta eſt? cur Dæmones inſtant
Humano generi, atque oculis illudere certant?
Et uitiare artus audent, & uertere mentes?
Redde iſtis cauſas, terrent me monſtra magorum
Chare Pater, ſic ſis ſanctorum in cœtibus ingens,
Sic tua ſe ſubdat præcordia ad intima Chriſtus,

Hilario.

DIGNA recenſeri præclare imitamina uitæ,
Perpetuo digni celebrari carmine patres,
Qui recti meritis tranarunt æthera, quique
Infudere diem cœca caligine merſis,
Grandia ſed magnis poſt commemoranda Poetis
Prætereo, Aonio uixi procul amne, nec inter
Aſpicio nigros hederam mihi ſerpere crines,
Quicquid erit, ſpacio circum breuiore uagari
Fert animus, nec multiuagos trahet orbita curſus
Tu Princeps, Tu purpureis da lora quadrigis,
Carpere iter iubeas, mox feſſos excipe currus.
Nobis Aſtenſi eſt genitus Hylario terra
Corpore fuſus humi tacita, ſed mente petebat
Aethera, congreſſusque Dei, & conſortia nota
Sanctorum: Hinc pectus placido ſuccenſus amore,
Hinc ſperare audax, æternæ & fidere uitæ.
Ergo ubi mortales rurſum deuectus in auras,
Ingentique ſuper labentia pectora motu
Excutit, arrexitque comas, & lumina cœlo,
Fata canit, moresque & uitæ incommoda uoluit.
Ora ardent uatis, nec iam mortalia uerba,
Et maiore ſono atque auguſtis faucibus afflans.
Tum terræ affixos homines ſuſtollit in altum,

Et patriæ reddit ciues, cœloque reponit,
Hunc inquit Solem Deus edidit, aſtraq;, & omnem
Ornatum flammæ, quanto præfulgidus ille
Hos lucis fundens radios, quod cernitur omne
Ipſe creat, templique ſui Deus ipſe ſacerdos.
Aeternas animas dedit, & calcare iubemur
Hoc mortale ſolum, flammantiaque aſtra tueri,
Namq; abiecit humi pecus omne in gramina tendēs,
Aſt hominem arrexit, cœli, qui pabula ſemper
Carperet, atque ſui ſignauit lumine uultus.
Quin etiam proprio mortalem ſanguine culpam
Abluit, & mortis uictor cœli alta recluſit,
Aereaque aduerſæ confregit limina portæ
Omnipotens, pudeat rurſus peccaſſe redemptos
Mortales, ultroque uocantem auertere Olympum.
Hæc patria: hæ nobis ſedes, hinc ducimus ortum.
Huc repetit, cunctoſque accerſit ſacra Dei lex:
Degeneres ne iuuat ſpirare? hoc uincite Ciues,
Hoc prohibite, nefas, æui ſit cura futuri.
Ingenium in nobis uiget, & cœleſtis origo,
Quam fœdare malum eſt, ſed nos haut ducimur iſtis,
Non amor ipſe Dei cordi eſt, non fulgida uirtus,
Sed ſcelera atra regūt, quæ nā hæc? fraudesq; rapinæq;
Iræque, inſidiæque, oculorum & multa libido.
Blanda tenent, quæ prima malus ſibi ſuaſuerit ardor.
Exclamare iuuat mihi nunc, quod Perſius olim,
O` curuæ in terris animæ, & cœleſtium inanes.
Fœlices, quibus alma datur mandata tueri,
Qui mente affixi ſuperis, fratrumque ſaluti
Corpora proiecere, & inanis ſæcula curæ,
Non epulæ, nec amor ueſanus torquet habendi,
Paſcuntur baccas, in potum, fluminis hauſtus
Sufficit, intextum tegmen dabit ardua palma,
Oblectant uarijs halantes floribus horti,
Et quæ prole grauis frondoſa attollitur arbos,
Purior eletroque cadens per deuia Riuus,
Hinc uolucres lapſu per frondea tecta canoro.
O` ſecura quies, non diuitias alienas
Expectant, quibus alma ſuas natura miniſtrat.
Neu ſegnes iaceant, molli fallentia lino
Retia, uel calathos agreſti uimine nectunt,
Septenasque die dulci modulamine laudes
Ore canunt, niuei tanquam inter ſydera cicni,

Et uideas tendentem aliquem de more ſupinas
Ad cœlum palmas, non ullos ducere geſtus
Inflexa ceruice, putes è marmore ſignum.
Tantus amor, tanta eſt orandi gratia diuos.
Hæc primi monachi fecere, atque inde minores,
Quis ſyluæ hoſpicium,& ſquallentes puluere campi,
Rupis & abſciſſæ ſilices,collesque maligni,
Soli etenim ductare auſi procul urbibus æuum,
Et turbam fugere, & toto ſe auertere ſeclo,
Ipſe ego quid potius complectar & inſequar ultro?
Talibus en fateor multùm mea pectora flecti,
Moribus exemploque uirum ſpeculoque teneri,
Vos miſeri, quò uota trahunt? quo'ue impulit auri
Regnorumque ſitis? quò uentris prona uoluptas?
Ille ſui famam ſuccedens nominis, atris
Hinc facibus tinctus cædemque ac bella miniſtrat,
Huic mercis cura, & mendaci callidus ore
Rem parat: Ille uorat, cenſumque in uiſcera mergit,
Hic gemmis radians ſordet mox numine uerſo,
Iudicis at ſupplex odit reus ora uerendi,
Multis occulto creſcit res fœnore, multis
Ambitio atque aurum locupletes præſtat honores,
Conductique reis uendunt periuria teſtes.
Vrit amor, torquent niueæ laudata puellæ
Pectora, porrectæque manus, oculique micantes,
Heu heu, quòd formæ capti labentis amore,
Delectant terreni artus moribundaque membra,
Et pecudum ritu commiſto corpore fœdus
Coniugij, & certæ prolis confundimus ortum.
Aſt ubi digreſſus membris calor oſſa reliquit,
Tartara habent, cœli fulgentis trudimur oris.
Num ſaturare queunt mortalia? quæ ſitis auri
Expletur? pacem'ue dabit,quæ copia rerum?
Sola quia Deus eſt, atque alti regia cœli.
Hæc uates (neque enim grauior ſpes ulla ſalutis)
Humano generi uoluit noctesque diesque,
Nunc placdè incendit, dictis nunc carpit amaris
Poſt hæc fata canit, uenturi haud inſcius æui,
Spirantisque Dei perfuſus lumine uultum.

Veris tempora.

VIDIMVS O'Princeps læta inter pocula uatem
Egregium & clarum meritis, qui tempora, lauro
Velatus, fulgens oſtro, & teſtudinis aureæ
Intentans neruos, tales dabat ore loquelas,
Impulſasque ſono cunctorum arrexerat aures.
Fugit hyems, redeunt primæui tempora floris,
Purior orta dies campis, auræque tepentes
Aſpirant: uiridi tellus ſe gramina ueſtit:
Nudatæque ferunt ſyluæ iam frondis honorem,
Iam gemmas trudit palmes, iam falce premendus,
Et duræ facies terræ renouatur aratro.
Nec non denſa comis arbos umbracula tendit,
Lilia nunc commiſta roſis, uiolæque leguntur
Pallentes, nunc puppe ſecant immobile marmor,
Ecce autem gracili modulatus arundine carmen
Hirſitus paſtor niueas agit ante capellas,
Ille per dumos pendent de rupibus altis
Arbuta tondentes, & concita flumina potant,
Cum Sol altus agit currum, nec dum imminet undis,
Sub noctem nam cogit oues, numerumque reducit
Dux gregis, innixus baculo, uel ſtipite querno,
Nec minus interea cœlo uolat ales aperto
Huc illuc pennis trepidantibus, & modo cantus
Ore premit dulces, modo ludit in æthera giris,
Nunc fingit nidos, aut natis colligit eſcam,
Ac propriis ut certa forent ſignanda diebus,
Ipſe Deum genitor deſcripſit quatuor annum
Partibus, & iuſſit ſua per ueſtigia uerti,
Vndique ſe tollunt pubenti ſemina uere:
Fundit humus latè flores, mox ſtringit ariſtas
Torrida, proque ſuis gratatur frugibus aeſtas.
Nec pater Autumnus non fœtu exuberat anni,
Poma manu carpunt, & lectas collibus uuas
Agricolæ exportant, nec non coriloſque nuceſque
Caſtaneasque ferunt ſyluis, iuſtiſſima donec
Ipſa ſibi reparat uires iam feſſa ferendo
Tellus, & gelidis requiſcat ſepta pruinis.

Nympharum chorus.

CARMINA ſcribentem mirabere, & ocia molli
Ducentem uerſu, at ludo, mentem'q; reflecto
Intentam, & dicor magnorum exempla ſecutus:
Nec me adeò hinc cupio ſpectari, ullos'ue laceſſo
Aonios uates, niſi quid magno ore ſonandum,
Ingentemque tuæ laudis conuoluere molem
Expediat, toto tunc ducam carmina nixu
Altius inſurgens, maioreque numine fultus,
Primus ego ſolemne tuum per carmina nomen
Audebo celebrare, ſacriſque intexere chartis.
Primus ad Aſtra feram radiantia, nec tibi nulla
Aut leuis ingenio quæretur gloria noſtro.
Te memorant ſacris ſtudiis atque artibus auctum
Ingenuis, belloque ferunt præſtare gerendo,
Seu ſit opus gladio niti, ſeu uertere fraudes,
Adde quòd egregias urbes, pelagoque potentes
Imperio frœnas, quid Gallica pectora dicam
Pulſa? quid Heluetium immitem, mortique paratum,
Erectumque manu bina de gente trophæum.
Vim diuinam animi, atque ardentia facta nepotum
Quicunque accipiet, mirabitur, inclyta dicet
Sæcula, quæ genuere uirum. Sublimis in oſtro
Ipſe mihi uideor medias incedere gentes,
Atque tuis dare per populos ſpectacula rebus,
Conueniunt celebres, captant mira auribus acta,
Oraque uerſa uirûm pendent dicentis ab ore.
Interea tenui ſectabor carmine rura
Paſtorum, & celſa pendentes rupe capellas,
Et liquidos gregibus fontes & gramina riuis
Sufficiam, lætiſque intexam uitibus ulmos,
Pabula læta canam, aut Veneris memorabimus ignes,
Scilicet & cœlo & terris uis regnat amoris
Sponte ſua: Cedunt uolucres, armenta, feræque,
Humanique animi pudor & reuerentia morum,
Cur non & gracili complectar carmine Nymphas,
Quis nemora & rupes & ſtagna liquentia curæ,
Nam uidi, greſſuſque Diarum ſæpè ſequutus,
Quaſque fauere uelim, nunc compellabimus ultro.
Princeps. quæ fandi doctiſsima cymodocea,

Cui notæ herbarum uires, quæ ſidera ſeruat:
Tum præſtans citharæ neruis atque arte canendi
Melpomene; hæc delecta Deo, qui tempora uoluit,
Scire uetuſta poteſt: nec eam ſua ſæcula fallunt,
Mores, & ſtudia, & & populos, & prœlia nouit,
Sæcula, progeniesque uirûm, atque exordia mundi.
Niſæe, Spioque, ligeaque, Phillodoceque,
Ornatu ſimiles, diuerſo at lumine formæ,
Et ſuccinta manu ſpargens haſtilia Xantho
Venatrix, ludensque Opis laſciua ſub undis,
Quæ placida ſub fronte nigrantes torquet ocellos,
Lidia, & effuſæ partu Leſprotides uno,
Par facies, par forma: parique cupidine florum,
Altera ſed tedas iam dudum experta iugales,
Cydippe, & Drymo, & Clymene maturior æuo,
Atque ornata comam lauro uiridante Thalia,
Aſtaque pulchra, ſed ante alias pulcherrima phyrne
Flauentas proiecta comas per candida colla,
Ceu Sol cum ſpargit radios, modo contrahit alta
Nube premens, talis ſi in nodum colligit aurum,
Ore flagrans roſeo nymphas ſupereminet omnes
Arrecta ceruice, uomunt & lumina flammas
Sidereas, frontique aſpirat mollior aura,
Iuncta choro Dryadum, qualis cum clara cadentes
Excipiens ſtellas tenebris aurora fugatis
Emicat, effundit'que iubar toto aurea cœlo,
Auro intertexto molli uelantur amictu
Membra decora Deæ, celeri nunc concita carpit
Arua fuga, aut gradiens florentes poterit herbas,
Denſis tecta comis altæ nunc arboris, & nunc
Dulcè canit uitreæ conſiſtens margine fontis,
Atque aliquis iuuenum magno ſuccenſus amore
Inſequitur, nymphæque legit ueſtigia, donec
Conditur in tenebras cœlum ſurgentibus aſtris.
Nec tamen in noctem requieſcit pectore. Fœlix
Qui neſcit flammas, uixitque ignotus amori.

Epitaphium.

Epitaphium.

NVPER agros luſtrans ferali inducta cupreſſo
Marmora conſpicio, acceſſi, cauſamq; locumq;
Admirans noſco, atq; oculos per ſingula uoluo.
Non ego phœbeus uates, nec carmina fundo
Muſarum auxilio, ſed ſi Princeps mihi ſolus
Ipſe aderis, referam tumulo, quæ lecta notaui,
Et fortaſſe feram nonnullum in carmine nomen:
Nanq; ferunt fama Aſinium Hieronymo Adurno
Extincto ingenti, uitali & lumine functo,
Poſt luctum & gemitus, poſtquam feralia duxit,
Poſt conſanguineis quam ſtruxit manibus uram,
Multa quidem, ſed & hæc trepida tunc mente loquutũ,
Suſpenſumque fuit tumulo poſt nobile carmen.
Eloquar? an tanta hæc tacitus memoranda relinquam?
Interitu nam cuncta tuo cecidiſſe feruntur
Magnanime Heroum, uix ſol immittere flammas,
Vix fulgêre polo mortalibus aſtra uidentur,
Occidis ante diem, uiridique extinctus in æuo,
Redditus heu ſerò patriæ, quam funere linquis
Feſtino, quæ nam ciues fortuna reuiſet?
Heus Genua ingenti luctu concuſſa, quid ultra
Inuenies, quod ames? quis tanta laude ſuperbam
Afficiet poſthac? quo te iactabis alumno?
Tecta gemunt, mæſtis onerati uocibus agri,
Nunc fora uaſta ſilent, legumque examina pendeat,
Nec quicquam incuſat ſuperos generoſa iuuentus,
Flent mæſti, muſſantque patres, ſquallere uideres
Templa Deûm, & nullis ornatas torquibus aras,
Vndoſumque ſonat latè mare, & æquora fundo
Sollicitat, fluctuque fremens petit aſtra tumenti,
Et fera uentorum rabies immurmurat auræ.
Cuncta rapis moriens ſolatia: quid tua uirtus?
Quid noſtræ ualuere preces? fata obuia duras
Exercent leges, dolor undique tollitur ater,
Te bello Inſubres durum genus, almaq; Manto,
Roma ſacerdotum domus, & Ferraria luxit,
Quique undas colit Hadriacas, Arnique fluenta.
Non ego cuncta loquor: uires iniuria luctus
Debilitat, nec habet neruos nunc copia fandi,

Nec

Nec ſublime queunt uates inducere carmen:
Tu tamen interea cum Dijs fœliciter æuum
Exigis, & clari famam uirtutibus imples
Nominis, æternum tua quod poſt fata relinquis,
Martis eras ſpecimen, nec non Parnaſia Laurus
Grata tibi, poteras dicendo inuertere mentes,
Atque armare manus, mox ſoluere pectoris iras,
Te ſummus coluit paſtor, Rex magnus amauit,
Et datus Auguſtas ſapiens Orator ad aures.
Quid memorem, ut Latii uindex arma undique regum
Excieris, ſuperas Alpes, amnesque ruentes,
Aeratas ducens acies, dum frigida torpet
Bruma gelu, & medijs canum caput exerit aruis.
Iam uero inſignes pugnas partosque Triumphos,
Mox ſquallenti auro effingam, uel marmore leui,
Et faciam plenos ſpumanti ſanguine riuos,
Fuſaque per campos immania corpora ferro.
Ipſum inſtare manu, ruere agmina barbara retro,
Conuerſoque fugam tentare per æquora tergo:
Tum uinctæ ſtabunt gentes, tum denique fundens
Purpureum ore iubar currum ſublimis habebis:
Et circum auratis ludens uictoria pennis,
Innumerique uirum plauſus; ſuccedere tectis
Incipiet pompa hæc decoris, tunc protinus æra
Verbere pulſa ſonum uacuas diſpergere in auras
Sublimem incipient, ſimul ore infrendet aheno
Machina fixa rotis, gaudebunt pectora matrum.
Hæc excuſſa dabo molli ſpirantia forma:
Inſtituamque pios celebri certamine ludos
Ad tumulum, fuluum ponens uictoribus aurum,
Et niueum Mironis ebur, laurum'que uirentem,
Hi curſu, aſt alij luctando, cœſtibus illi
Decernent; & equis belli ſimulacra ciebunt,
Inque tuas ibunt certatim carmina laudes
Egregij uates: ſed enim uenerabilis aræ
Frondenti inſiſtens, magnis de more ſacerdos
Libabit diuis, huic pura in ueſte miniſtri
Sacra canent, crebris ſcindentibus aëra flammis.
O qui mortales linquens nunc aurea calcas
Sidera cœli, ades, & nos omine reſpice dextro.

In Natale

In Natale Domini.

SI uatem diuina licet conſcribere, dextræ
Chriſte faue, & celſo ſurget tibi pagina uerſu,
In'que tui aduentum & geniti cunabula tota
Mente ferar, non iam molles euoluere luſus
Addecet, aut uacuis dare mentibus Herculis acta,
Seu Martis Veneriſque dolos, Troiæque labores
Infandos, & quæ perhibent mendacia graij,
Ipſe crucem dextra geſtans fœlicis oliuæ
Sacra canam, per ſancta pedem myſteria ferre
Incipiam, & ſummo mens aſpirabit olympo.
Floreat almus ager latè dum auguſta canentur,
Et ſileant maria, & murmur uos ponite uenti
Immodicum, Auratoque magis Sol luceat òre.
Ordiar à Maria. Hæbreæ hæc fœmina pubis
Inſignis Regi superûm ſe addixerat alto,
Et placuit pietate & uirginatis honore,
Non aurum, nec opes, ſceptrum, imperium'ue petebat,
Aſt humiles uoluit curas ſublimia temnens,
Templum auguſtum ingens ſolymis, idq; omnibus unũ
Iudæa de gente uiris fulgebat in auro,
(Clarum opus) argentique micabant lumine ualuæ,
Sed multo pecudum tellus perfuſa cruore.
Hæc domus alta Dei, nanque hic & uerba precantum
Accipere, & dare proiectis oracla ſolebat,
Et ſacris aderat, iuſtiſque in tempore uotis:
Hic ancilla Dei iam tum puerilibus annis
Aſſuerat, famulamque dabat, longe intima cordis
Flagrabant, pietaſque operis ſuccenderat ignem,
Sæpe dies, dum mente Deo coniungitur, ibat.
Vltima labentis uoluuntur tempora ſecli,
Quum Deus affectans hominum fulcire ruinam,
Collapſumque genus miſeratus, inania cœli
Atria dum luſtrat, ſubit illi dedecus ingens,
Serpentiſque doli, uulguſque, quod exulat oris
Innocuum patrijs, & gens fraudata triumpho.
Hæc delere parans ſepſit ſe Virginis aluo
Immenſus, tulit illa utero, quem geſſerat olim
Corde Deum, & nomen genitricis filia cœpit,
Ilia nec intacti labefecit clauſtra pudoris,

Quamuis

Quamuis iuncta toro, mater ſine ſeminis hauſtu
Facta, uoluptatis motu non tabuit atro,
Senſit onus nullum, nulloque excuſſa dolore
Virgo uterum, mox quem peperit reuerenter adorat,
Admirans iubar effuſum radiosque micantes,
Et pueri formam lucem ſub nocte cientem.
At non marmoreis ſubſiſtunt tecta columnis,
Non auro effulgent poſtes, aut ære politæ,
Nec puer effultus generoſo uellere ſerum,
Sed ſtabula alta domus, iacet in fœnilibus infans,
Afflatu fotus bouis & ſociatus aſello.
Quis pompam inſanam credat? dominator olympi
Dum ſtudium damnaret opum, ſic uenit egenus.
Ecce manus, (neque enim ſuperi miracula condi
Tanta ſinunt) paſtorum adit, & mox regis honores
Impartit puero propter iumenta cubanti,
Angelicusq; ſuper pictis exercitus alis
Obſtrepuit, pro pace bonis mortalibus orta,
O Nox, læta trahis, quæ poſt te ſecula, ſalue.
Cuius in aduentu ſolemnia priſca fatiſcunt,
Et trepidant delubra,& partu Virginis horrent,
Quin etiam fixo radians ſtella aurea crine
Barbara corda uirum trahet, & ueſtigia ducet,
Signa ſed immenſo data quis miretur olympo?
Cætera mota loco? naturæ hic uertitur ordo,
Factus homo Deus eſt: & Virgo fœmina mater
Prædicta implentur uatum, tum manibus imis
Lætitia affulſit ſperant ſibi tradier aſtra,
Credo equidem, dabitur patefactum limen olympi
Cernere, & excuſſos ærato è cardine poſtes,
Nec longum ſanctorum animæ loca tetra coletis,
En Deus in terris genitricis fuſus in ulnis,
Qui mortale genus collapſum ad ſidera tollet,
Iſte dabit noua ſecla puer, dominabitur oris
Omnibus, ipſe feret ueſtigia ſicca per undas,
Rurſus, agent animæ ſe in corpora, languida ſurgent
Membra operi, tantum imperij fert ille; tenebris
Qui demum exactis uitæ aurea dogmata condet,
Vexilloque ſuæ depellet triſtia mortis,

In paſſionem

In paſsionem eiuſdem.

QVVM ſubit illa dies, quà, uaſti rector olympi
Sponte ſua incubuit fato, turbæ'que furentis
Verbera ſuſtinuit, luſus, iram'q; minas'que,
Affixus'que cruci, gemitus tunc tollitur imo
Corde, rigant mœſtum lachrymarum flumina pectus.
Nanque parens primus dia in regione locatus,
Quæ patribus quondam Paradiſi nomine dicta eſt,
Illic uer lætum, campos quoque purior æther
Excipit, & fulgent æquantia ſidera Phœbum,
Flumina lactis eunt, pendent de ſentibus uuæ
Purpureæ, duræ'que ferunt mella humida quercus,
Tum Zephyri pennis mulcentes lenibus auras,
Fuſaque per campos uitreæ uada limpida fontis,
Hoſpitijs uolucres paſſim frondentibus ora
Soluere, condenſis'que pecus colludere ſyluis,
Ipſe inter tantos pater ut deductus honores;
Qui fuerat tenues, è limo arrectus ad auras,
(Nec mora longa fuit) fregit mandata uerenda,
Serpentis'que dolo, monitu'que (heu) coniugis auſus
Carpere poma manu, & uetito guſtare palato,
Auſus, & ad ſuperos reditum crudelis ademit,
Nam noua poſteritas traxit contagia fraudis,
Auditæ è ſummo uoces, tum uiſa moueri
Ima ſoli, & foribus conſtridere limina uerſis,
Mœret opem implorans patrijs gens exul ab oris,
Nemo hominum æthereos cœli conſcenderat axes.
Ille amor, illa Dei pietas haud fabilis ulli
Soluere triſte nephas parat, & ſe deuouet aræ,
O nos ignaros rerum, acceptæ'que ſalutis
Immemores: Nobis Deus in mortalia fuſus
Membra, polos aperit, uitæ'que beatius æuum,
Ipſe, ſed heu moritur fato confectus acerbo.
Ecquis erit uates, triſtes, qui euoluere caſus
Sufficiat, quamuis hederæ pallentis honore
Tempora nexa gerat, magno'que ſit ore, ſano'que
Non'ne uides torto laceratum uerbere corpus?
Liuentes'que genas? Tibi enim tibi maxima regum
Vallatum ſpinis caput, & diadema cruentum
Impoſitum, uiridi mox fixus ſtipite, nudus
Tolleris, atque lacer gemina inter crimina pendes,

Ecce pedes, ſparſæ'que manus de uulnere fœdo
Sanguineas ſpargunt guttas, & liquitur atra
Tabe cruor, patet auſoniæ quoque cuſpidus ictu
Pectus, & effundit fluuium miſtum'que cruorem.
Quin etiam oblata eſt ori (ne triſtia deſint)
Spongia felle tumens, noſtram at ſitit illa ſalutem.
Prætereo quæ uerba pio tunc fuderit ore,
Diſtractos comites ac cætera tranſeo geſta,
Quæ uulgata nimis, terras'que immiſſa per omnes.
Qualis eras ah Virgo parens, quum infanda uideres
Supplicia, & quanto præcordia concita luctu,
Feſſa iaces. Nunc prona crucem moritura tenebas,
Sanguineum captans ſtillantem è ſtipite rorem.
Vt'que olim cecinit ſenior, transfixit acuto
Pectus amans gladio, atque imis dolor oſſibus ardet,
Martyrium immenſum ſine ſanguine, tollite luctum,
Atque piæ matris moueant tormenta dolor'que.
Tempore quamquam illo ſublimia corpora mundi
Haud commota parum, luctus quoque ſigna dedere
Immoriente Deo. cæca caligine Phœbus
Abdiderat ſe ſe, & Lunæ tum expalluit orbis,
Illa etiam (ut quidam perhibent) quum tota decoro
Fulgeret uultu, uiſa eſt ſe iungere fratri,
Inſolitas'que uias carpſit (miſerabile dictu)
Hinc lux omnis abit, tenebræ'que ſequuntur inertes.
Aeternam'que ſibi metuit gens impia noctem.
Summa'que terrarum inſolito concuſſa tremore
Aequora, nutabant ſyluæ colles'que ſupini,
Et uada ſalſa, amnes fluuio inuexere ſalubri,
Tum uererum ſimulacra uirum iam corpore functa
Longum uiſa queri, & ſquallentes promere uultus,
Oſſa'que ſanctorum ruptis errare ſepulchris,
Obſtrepere horrendum uetus ara, & ſcindere uelum
Humanos fletus referam? quin plurima circum
Agmina funduntut diuum, qui nuntia portant
Summa leues, Olli lachrymis ficta ora rigabant,
Affuſi'que cient alarum uerbere planctus,
Ferreus eſt, qui non tacita pietate mouetur
Nec Chriſtus pater eſt illi, nec rite fidelis,
Ipſe crucis lignum complectar, & oſcula figam
Vulneribus, quæ fulgentis cœli atria pandunt,
Ipſe dabo ſupplex fletum, & miſerebor amantis,
Nam fluuio antiquum crimen lauit ille cruoris,

Ante

Ante tamen legis mandata edixerat, ante
Tradiderat ſe ipſum menſæ, ritumque ſacraret.
Solus ego? at potius multorum hæc pectora tangunt.
Atque aliquis ſpectans crucifixum talibus infit,
Chriſte decus cœli faueas adſisque precanti,
Morte tua uiuo, tuaque hæc per uulnera ſeruor,
Sed delicta premunt, proprius quæ conficit error
Corruptus blandis, ignoſce, dabisque ſalutem
Ecce iterum nobis, bonitas tua fertur in hoſtes,
Et lapſos reuocare ſolet, te conſequor ultro,
Nec ſi uita mihi pro te ponenda, relinquam.

In Reſurrectionem.

NVNC ſpirare Deum incipio, nunc pectus anhelum
Feruet, & immenſum iam concipit æthera mente,
Illuxitq; comæ, labra & ſacer ignis aduſſit,
Ne polluta darem, aut ſquallentia carmine ferrem
Iam mihi neſcio quid uideor ſublime tueri,
Quæ nam hæc pompa frequens? Chriſtus rediuiuus ab orco
Ecce uenit, fulgetque ſuo poſt funera uati.
Impoſitum tumulo eſt corpus, ſed mortis acerbæ
Depoſitum non præda fuit, nunc uenit in auras.
Aſpicio uolucres diuos, quibus ignea flagrant
Lumina, & albenti corpus uelatur amictu,
Anteuolant, pennisque ſecant fulgentibus auras,
Pars pedibus plaudit choreas, pars carmina neruis
Elicit, ac dulci non ceſſant pſallere cantu,
Lætitiaque fremunt, & ouant Oſanna canentes
Vtque aliquis clara præfatur uoce, reſurgit,
Alleluia ſonant ſocij læto ore ſequuti.
Ecce latro, qui ſorte cruci tunc fixus atroci,
Nunc circum radiis undantia tempora uoluit,
Hunc delicta uidens Chriſtus ſua ſeque fatentem
Hancque fidem admirans, dextra conuerſus ad illum,
Mecum hodie luſtrabis ait magna atria cœli.
Sed nunc ſigna præunt fœlicia, cerno coronam
Inſignem ſpinis, rutilum uomit illa nitorem,
Non iam pœna, ſed extat honos, tot ab ignibus ardet,
Non Bacchus dedit, ipſe Deus ſibi texuit orbem.
Tum terni claui, & ſplendenti lancea ferro
Emicat; his Chriſtus mortalia damna rependit,
Auditum, ſitio, circum dum ſpongia fertur,

Verberaque inſonuere ſacro perfuſa cruore,
Et iam ſeraphici graditur decus ordinis ingens,
Ore ardet rubro, & iactatis calfacit alis,
Candenti ſimilis ferro, quod tingitur unda,
Qualis ubi oſtendit terris ſe martius ardor,
Dum rutilos ſpargit radios, iactatque cruentas
Ore faces, turbant urbes, tunc Cæſar anhelat
Sæuus in arma magis, bellumque exſuſcitat ardens,
Italiæque procul detrudit finibus hoſtem,
Haud ſecus igneſcens flammis tunc Angelus ibat.
Flecto genu, fert ille humero uenerabile lignum,
Ingentemque crucem tollit. Hæc Dæmonas arcet
Hæc ſibi colla Ducum & populorum ingentia facta
Sternet, & à Gadibus latè extolletur ad Indos,
Et qua ſol oriens, & qua ambit littora Nereus,
Supplicium ſeruorum olim, nunc nobile ſignum,
Fœlix tam dulci, quæ ſtrata eſt pondere, & aulæ
Aetheriæ regnum fœlix, quæ retulit arbos.
Gloria quanta Dei, quam ſecum & triſtia portant,
Ipſe crucem pœnamque ſuam ueſtiuit honore.
Currus adeſt fulgens, recto temone rotiſque
Volucribus, biiugique fremunt ad fræna leones,
Nuntius humanæ pacis miſſæque ſalutis
Gabriel hos flectit, magnique auriga triumphi,
Et modo frœna premens gemmantes explicat alas,
Nunc curſu campis quatit afflans naribus ignem,
Iamque ducis formam uideo fulgere, nouumque
Eructare diem, & lucem ſuccreſcere cœlo,
Argumentum ingens fandi. Nam à morte recepit
Se Ieſus, uictorque uenit, ſtat cominus axis.
Ille habet oſſa ſua & neruos, membriſque cohæret,
Et terrena animam paſſim per uiſcera fundit,
Oſtentatque pedes, fixaſque ad uulnera palmas,
Nec non confoſſum latus exuit, illa ſalutis
Pignora quum tueor, dulces mittentia flammas,
Non mihi frigus habet pectus, non cura fatigat,
Pace fruor, mentique iugor ſuccreſcit in horas,
Haud aliter, quàm quum ſub luce cadentibus aſtris
Carpere ſi qua roſas uirgo uelit, illa iacere
Vda uidet folia, & concluſo hæc orbe teneri,
Aſt ubi purpureis aurora inuecta quadrigis
Imminet, aſſurgunt paulùm, ſpectantque ſupinæ,
Tunc & hiant, funduntque comam, patulumque decorem
Ad

Ad ſolis fingunt radios, color enitet ollis
Aureus, atque rubent latè: Tum candida Virgo
Poſtibus occiduas diuum fixura corollas
Vngue legit, gratis complentur odoribus auræ.
At quæ ſectentur uolucrem læta agmina currum,
Qui, cœlum & terram torques Deus, hiſcere uatem
Da pater, atque faue, tuus O nunc ſpiritus afflet,
Perque means hominis pectus diuerberet auras.
Poſt hac pulſa dabo meliori carmina plectro,
Si uictrix patria, & ciues ſpolia ampla referrent,
Tunc ego geſta ducum, ac mauortia dicere facta
Aggrediar, fuſum'que canam ſub mœnibus hoſtem,
Rapta'que ſigna manu, poſtrata'que cœdibus arma,
Et quod quiſque uirûm dextra ſit fortiter auſus,
Conſilio'ue bonus, ſeu iuuit callidus aſtu,
Ipſa oculis expoſta palàm ſpectata'que uirtus
Attollit ſe ſe, & numeroſe uatibus ultro
Funditur, haud paruo ore canunt, ſed protinus afflant
Pectoribus immenſa, & carmen ducitur ardens:
Ingenii anguſtis iaceam quum finibus, at tunc
Aſſurgam, & uerſus mihi fas tractare ſonantes.
Nec minus ingrediar magni ſi Cæſaris acta,
Verba'que ad auguſtas tranſmittam feruidus aures,
Tum mihi Pieridum ſtabit chorus omnis, & ultra
Quàm ſolet, effundent fluuium Lymphas'que loquaces,
Dum pectus cœleſte uiri & ſacra ora uidebunt.
Nunc diuina mihi cantata eſt carmine proles,
Res immenſa quidem & quæ uiribus altior exit,
Ingenii Deus, & uenæ miſerebitur orbæ,
Sed ſequar, approperans terris iam ſiſtere puppim.
Princeps ille parens, dulcis quem cœpit imago
Arboris, huius enim pendebant uertice mala
Aurea, & in nitido fragrantia molliter horto:
Quæ pater ut mandit, ſyluis diſcluſus opacis,
Impactus'que ſolo eſt imo, loca lumine caſſa
Incoluit moriens magna cum prole nepotum.
Pœna grauis nulli, at luctus gemitus'que ſonabant,
Quod denſæ claudant tenebræ: ſpes inclyta cœli
Torſerat egregias animas, lucis'que cupido,
Succedunt alacres nunc rapti ad luminis auras,
Nam Chriſtus ſua mox poſt funera fregit auernum,
Tartareas'que domos, ſanctos'que è carcere patres
Eripit, & ſpolia iſta refert præclara parenti,

En Abel, hic pingues uitulos mactabat ad aras,
Fraternum hinc ſubijt mucronem,& uulnere inundans
Se fœdant, terramque ignaramſanguinis ante,
Atque à cœde uirûm puram, fit uictima fratris.
Pampinea quis nam hic redimitus tempora fronde?
En ades ipſe Noas nobis, ut uitifer almus,
Lætitiæ uinique pater,nam uerius ipſe
Diceres inuentor uitis, populisque dediſti
Diffundant quo corda mero.Tu lignea fabre
Tecta facis, longaque omnem tegis abiete carnem,
Semina uenturi ſecli & primordia ſeruas,
Ne defecta nouo tellus ſegneſceret ortu,
Mitia conduntur lateri pecuaria puppis,
Magnorumque cubant illic ſtabula armentorum,
Et uarias uolucrum pennas includis eodem:
Haud mora, ſubductis deſcendere nubibus imbres,
Immergique uadis terram & fluitare profundo,
Cætera diſpereunt,tumidis Arca innatat undis,
Anguſtoque ruens tecto diffunditur imber,
Tum pater ipſe Abraam Cananæis ſedibus, auctor
Inguinis excæſi, cui ſpes eſt credita prolis
Egregiæ, hinc ſceptro ſtellarum inſigne ferebat,
Flammarumque globos, ſublatis cornibus ibat
Dux populi Moſes rubri trans littora ponti,
Fulgidior ſpecie, potuit ſpectaſſe ſupinis
Collibus ora Dei, contraque attollere frontem,
Vadit & effulgens, cui cura infixa ſacrorum
Araon, & ſancti cuſtodia credita templi.
Hic Dauid, Ezechiel, fuſusque in litore Ionas,
Et Daniel,uiridis ſacrum,quem fecerat ætas.
Quique Deo, uates Chriſtum ſpirante loquuti,
Et quicunque habilis uitam ultro effudit in armis,
Dum patriam ſeruare ſtudent legemque receptam,
Omnibus his radiis cinguntur tempora puris.
Quò feror? unde oculis ſpecto Gedeona nitentem?
Qui licèt exiguus numero, magni agminis inſtar
Iuſſa Dei ſecum trahit in certamina Martis,
Non ualidæ hunc acies ſiſtunt,non crebra morantur
Tela uirum, furit atque metit quæque obuia ferro,
Ille oculis ac fronte minax, dum feruidus urget
Hoſtis iter, tenuit fugientia lumina ſolis,
Affixus manet, & cœlo non protinus errat,
Effulgetque duci Phœbus ſtans ore coruſco,

Ergo

Ergo non uictis obſcura in nocte latebra
Profuit, aut ſpecubus poſſunt ſe condere cœcis,
Horrentes'ue petunt ſyluas, prærutaque ſummis
Saxa iugis, pendunt pœnas cœſi undique campis,
Non Iſac, Iacobque abſunt, non illa nepotum
Progenies, tribubus fecit, quæ nomina certis,
Et qui pro ſacris tulerunt mala fortiter aris,
Quique ſuos quondam tenuit moriturus agellos,
Quin Ioachim propius uideo, Ioſephque beatum
Coniuge, flumineaque habitantem rupe Ioannem,
Spargeret ut populos undis dextraque ruentes,
Ah decuſſa uiro ceruix, proſcindit acerbo
Dum regale nephas odio, nunc omine uerſo
Aureus incedens duplicem fert fronte coronam.
Quis Iob, Heliamque libens, magnum'que Heliſeum
Tranſeat, audacem Iudam bello'que potentem,
Sanſonis quoque uim & non exuperabile robur,
Inuictos'que alios dextra aut probitate uerendos,
Sed citius quis ſumma polo, quæ ſydera fulgent,
Et fluctus maris, & campis numerabit ariſtas,
Nomina, quàm poſſit percurrere cuncta uirorum
Qui ueniunt, ſancti'que premunt ueſtigia currus.
Sic modò Chriſtus ouans ſacra comitante caterua
Ad Matrem ingreditur uictor, dein ſcandet olympum
(Arrident'que ultro dura olim limina) poſtquam
Phœbeus terris decies quater arſerit orbis.

Gratiarum actio.

IAM lux immenſo ſurgens albeſcere cœlo
Cœperat, atq; ſolo tenebras abſterſerat udas,
Quũ uarijs uolucres mulcentes uocibus auras
Huc illuc pennis ludunt, quum fortè iuuencus
Expectat iuga, qui glebas inuertit aratro,
Et quum paſtor oues depellere cogitat, & qùum
Dux aciem mouet, & Zephyris ſigna aurea mandat.
Tum pius Euadnes deſerti littoris oras
Ingreditur, tollens'que manus, ut ſurgere ſolem:
Purpureas'que uidet cœlo diffundere flammas,
Iſtis ora modis ſenior ſublimia ſoluit.
Sol (ait) æterni ſæcli, qui lumina ductas
Huius, quem ſpecto: Trinea, qui luce refulges
Vnicus,

Vnicus, exaudi; nunquam tua ſancta precari
Numina ſegnis ero, miris'que attollere uerbis.
Nam quod homo, cœlique domos, quod ſpecto ſupinus,
Et quod ſpiro, tuum eſt: per te'que animantia bruta
Parent, & reliqua infamulatum tradita mentis,
Adde quòd arbitrio motus conuertimus omnes:
Ingenij'que facem, atque animi lucem ipſe dediſti,
Et ſimulachra tuæ (maius) mihi mentis inuſta,
Idem animo ualeo, ac membrorum robore firmus,
Munere quippe tuo, nec id eſt ſatis. Aliger unus
Præſidet è diuis cuſtos fidus'que miniſter,
Dæmones expellit procul, atque incommoda trudit:
Incendens'que animum recti ac uirtutis amore.
Quid quum peccaſſem, ac factis tua iuſſa proteruis
Fœdaſſem infœlix? num uindice protinus ira
Vſus es, aut dirum fulmen iaculatus in hoſtem?
Cunctatus placidè indulges mihi tempora flendi,
Correctus placeo non perditus, orba ſalute
Dextra tui nunquam eſt: quam tendis ſponte iacenti.
Nonne utero includi, ac mortalia membra ſubire
Dignatus? ſed enim poſt illa egreſſus ad auras
Pauper eras, non ſceptra tenes, regni'que coronam
Inſignem, alta fuit pietas pro diuite cultu:
Hac duce confixus: metuenda'que funera paſſus:
Me me ſeruaſti moriens, ego ſanguinis hæres
Effuſi, & partæ conſors ſine tempore uitæ.
Tu mihi pollicitus regnum immortale, meis'que
(Si quicquam potui, aut geſſi pro tempore dignum,
Non ego ſum tanti) affulſit tua gratia rebus,
His ego muueribus tantis doniſque petitus
Quas poſſum ſoluo grates, nec in omnia uitæ
Tempora non laudandus eris multum'que canendus,
Et pater & genitus, ſacri quoque ſpiritus oris,
Omnipotens Deus, & ſolus uaſti arbiter orbis,
Hæc repetam aſſiduè, & memori de pectore fundam,
Atque ideo gratus, gratum quòd me facis ipſe.

Exultatio

Exultatio Poëta de ſe ipſo.

FORTE pruinoſo dum paſcua rure peragrat
Edalus, ipſe ſibi carmen cantabat, & ornos
Aſpexi rigidum uati incuruare cacumen.
Ille autem ſacro tales dabat ore loquelas.
En ego iam ingredior maturi roboris annos,
Et mihi iam ſenis nent diuæ ſtamina luſtris,
(Sic fortuna ſinat) ſtudijs florentibus aptus
Inueniar, mentisque immoto robore præſtans.
Non ſuperare amnem nando, non ſpicula dextra
Spargere, non ſæuo concurrere cominus hoſti,
Aut ſtudium fuit uſque feras agitare latentes,
Sed me Pieridum chorus, & reuerentia mouit
Fluminis Aonij, ſuſpenſaque crinibus ingens
Laurus, & æternos manſurum nomen in annos,
Attractumque ſono uulgus grauiore canentis.
Hæc ſequor, hæc uitæ pretio tenuiſſe iuuabit.
O' patria, & qui non fruſtra genuere parentes,
Nomina chara feram radiantia ad aſtra, neque ullis
Gloria ueſtra locis ullo'ue tacebitur æuo.
Ecce rapi uideor populo plaudente per urbes
Purpureis inuectus equis, hic ſparget odoras
Fama roſas latè, huc illucque per ora uolabit
Quid quum lecta uirum mulcedo pectora dictis?
Suſpenſamque traham cantu per compita pubem?
Si qua fides uati eſt, celebrabimur inde, feretque
Inſignes Muſa hæc etiam num frigida laudes.
Sic poſtquam terris denſæ incubuere tenebræ,
Nocturnus cœcis ætherque inuoluitur umbris,
Mane polo nitidum lumen diffunditur, una
Emicat aurora, & roſeum iubar excutit ore,
Auratoque diem ſuccendens crine coruſcat.

In funere Herculis Aſinarij.

MVSAE funeris carminibus grauem
Intentate ſonum, tollite laudibus
Ad cœlum meritis Herculem Aſinium,
Illum, qui cupiens ætheris ardui
Vindis explicuit lœtum animam ſuis,

Saxo hoc deſtituit corporeum decus,
Nunc uirtus, pietas, iuſtitia, & fides
Deſertæ fugiunt ſæcla nocentia,
Quis linguam poterat ſoluere dulcius?
Quis frœnare loco? quæ ſcelerum tuba
Inclamare? ſed (heu flebile) concidit
Aetatis ſpecimen, lux & inertior
Cœli luce grauem deſtituit uirum,
Telum mortis atræ ſi fugeres minax
Fruſtra lenis eras, pacis & arbiter,
Et fruſtra pretium nobile temporum.
Te rupes & agri, ſylua'que cognita
Venatu aſſiduo, te tanager gemit
Multum flumineis uortibus tumens,
Nec non te lacero perſequitur ſinu
Coniunx haud placiti nominis immemor,
Luctus indocilis ponere flumina,
Nil mortalibus eſt perpetuò datum,
Mutantur'que uices, ſors regit aſpera,
Vitæ (quid facias?) it uolucris dies,
Donec morte ruat. Deſine fletibus
Vxor, compoſiti per cineres uiri,
Conſtantem'que parum per querimoniam.
Nam quum iam gelidos umbra reliquerit
Artus, ipſa fugit iuſſa, nec acriter
Inclamata gradum fert cupidum retro.
Quid fit, quò redeat? non gemitus ualet,
Non prodeſt oculorum irriguus dolor,
Diſcerptæ'ue genæ, non laceri ſinus,
Incaſſum quid agis te miſerum in modum,
Orato requiem, pacem & amabilem
Diuum, ſi ſapias, ordine manibus.

Oratio ad Deum.

O PATER ingenite & uaſti regnator olympi.
Omnipotens, æuo'que prior, uita omnium & ordo,
Cuncta uidens, & cuncta mouens, & cuncta gubernans,
Immortalis, & altitonans, lux maxima rerum.
Cœlicolum'que quies, ſemen quoque ſeminis, atque
Radicum radix, uerbo ſolo omnia portans.
Atque creans, numeros cunctos & pondera noſcens.

Princi-

Principium ſine fine : patens , obſcurus & idem .
Tu iubar æternum , radiantia lumina Phœbi
Noctiuagumque globum lunæ, ſtellaſq́ue creaſti,
Et placidum pecus , atque immania terga ferarum ,
Tum facili uolucres mulcentes aërea cantu ,
Gramina camporum , & ſaltus , Syluaſq́ue uirentes .
Fonteſq́ue , fluuioſq́ue , & amantem litora pontum ,
Te mortale genus pauet omne , & iuſſa ſequuntur
Inferni , ſuperi´que chori . Tu Regibus altis
Imponis leges , & res miſeraris inanes ,
En ego qui fictus ſum per te , protinus (ut fas)
Te peto , te´que uoco , fragilis , miſer , atque caducus ,
Heu heu , quàm multo te offedi crimine , quàm non
Seruaui mandata , tuæ nec fœdera legis .
Inde fluens lacrymis , ad te mitiſſime rerum
Flecto oculos, tendo´que manus , miſerere precantis .
Maior nanque tua eſt bonitas , quàm cri mina noſtra ,
Si non peccarent homines , non parcere poſſes ,
Luceret´que minus Clementia, ſis rogo lenis .
Deliqui , indomitam rapuerunt plurimà mentem ,
Et quoniam ſine te nil poſſumus , annue uotis .
Da Pater , ut uitæ fallacia gaudia u item .
Hoſtis & antiqui inſidias , fraudeſq́ue , doloſq́ue ,
Speq́ue , fideq́ue ſacra tenear , tua iuſſa capeſſam ,
Me´que tui ſacro perfuſum lumine uultus
Solare , & fer opem dextræ magnæ atque potentis .
Te ſolum inſpiciam , ſitiam , uenerer´que , colam´que .

Imitatio Virgiliana .

LVCINAM extinxit mors improba,luximus omnes ,
Hæc fuerat thalamis nupta Bibalde tuis,
Vt flos langueſcit moriens ſucciſus aratro ,
Languida´que ut ponit colla papauer humi ,
Si pluuiam ingentem ſenſit : ſic forma puellæ
Fluxit , ſic roſeus concidit ore nitor .

In Iaſonem Orantem.

QVOD mare, quod cœlum, quæ neſcit Iaſona tellus?
Gloria ſumma uiri, dum legum ænigmata ſoluit,
Nec minor oris adeſt uirtus & gloria fandi,
Aſpice, ut eloquio fluat, ut demulceat aures,
Surge uetus Roma, & Priſcorum turba Quiritum,
Iam'que redi quando in lucem Cicero nouus erit.

Epitaphium in Iaſonem Mainum Iuriſcon. Mediolanenſem.

IVRIS & eloquij fulſit ſapientia quondam
Sed non ſub tumulo condita Maine tuo.
Nam ueluti in labris fulſit ſapientia quondam,
Sic nunc in libris emicat illa tuis.

De Cæſare.

EFFIGIEM gadibus magni quum forte uideret
Cæſar Alexandri, gemitum dedit, heu miſerum me
Qui nihil (inquit) ago natu iam grandis, at iſte,
Quot domuit terras, quot'ue æquora floridus annis.

Verſus emendati ad pietatem facientes.

HVC me fœlici deſcendere iuſſit olympo,
Hic me non uno uulnere fixit amor,
Fecit amor, caput ut ſpinarum ſcinderet orbis,
Pectus ut hauriret lancea, fecit amor.
Solus amor de me potuit perferre triumphum,
Ille pedes clauis fixit, & ille manus,
Si cupis ergo animi mihi ſigna rependere grati,
Dilige: pro tantis ſat mihi ſolus amor.

FINIS.

ORATIONES XII.

HIERONYMI FALETI.

I. In funere Sigiſmundi, Poloniæ Regis.
II. Ad Equites Polonos, in coronatione Auguſti, Sigiſmundi filii, Poloniæ Regis.
III. In funere Hippolyti Eſtenſis, Cardinalis, Herculis I. filii.
IIII. In funere Alfonſi, Ferrarienſium Ducis III.
V. Ad Paulum III. Pontificem max. cum Ferrariam uenit.
VI. Ad Iulium III. cum Pontifex max. creatus eſt.
VII. Ad Franciſcum Venerium, Ducem Venetiarum.
VIII. De ortu Chriſti.
IX. De dignitate cælibatus.
X. De matrimonii dignitate.
XI. De laudibus dialecticæ.
XII. Cum inſignia ſui doctoratus acciperet.

VENETIIS, M D LVIII.

AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM,
INCLYTVM REGEM POLONIAE,
magnum Ducem Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, & Samagitiæ, necnon Bari, Roſſaniq; Principem.

ARTAXERXES, ille Perſarum Rex, SIGISMVNDE AVGVSTE, Regum maxime, ac potentiſsime, cum aliis excelluit uirtutibus, æterna laude digniſsimis, tum uerò humanitatem ita coluit, ut ex eo multorum populorum animos deuinciret, ac ſtudia ſibi maiorem in modum conciliaret. quo in genere multa narrantur, ſed illud præcipue, quòd, cum ei per uiam equitanti homo ruſticus, & operarius aquam, è proximo flumine utraque manu ſumptam, ſitienti obtuliſſet, iucundo uultu accepit; non rei, qua donabatur, humilitate offenſus, ſed potius optima eius, qui largiebatur, uoluntate oblectatus. quo quidem nihil præſtantius, nihil magno Rege dignius eſſe potuit. ſiquidem non minus regium, ac magnificum eſt, exigua libenter, prompteq; ſuſcipere, quàm magna liberaliter elargiri. Atque ego, te huiuſmodi animo eſſe, cum nunquam dubitarim, Rex potentiſsime; munuſculum tuæ Maieſtati offerre ſum auſus, etſi tanto Principe minime dignum, eorum tamen, quæ noſtri tenuitas ingenii præſtare poteſt, maximum, atque ampliſsimum. in quo etiam illa me ratio mouit, quòd ad te id, quod mittimus, maiori ex parte attinet; cum pro tua, tuorumq; dignitate harum non nullæ orationes habitæ ſint. tuos enim appello Eſtenſes Principes, pro ea ſanguinis coniunctione, ac beneuolentia, quæ inter te, parentesq; tuos, Eſtenſiumq; Principum nobiliſsimam gentem, ſine ulla unquam diminutione ſemper interceſsit; atque etiam, ut tibi, quem de meis commodis, ac ornamentis, pro innata tua benignitate, cogitare certum, exploratumq; habeo, mei in te grati animi perſpicuum afferrem argumentum. Neque uero me fallit,

id quidem, pro meo ſingulari erga te ſtudio, exiguum eſſe: uerum qui magna præſtare nequeunt, haud ſimul eos decet à paruis etiam abſtinere; &, qui maioribus in rebus uſui eſſe non poſſunt, ob id leuioribus in muneribus, apud eos, quos præcipue obſeruant, collocandis, diligentiam imminuere, preſertim cum in omni genere officii pluris animi uoluntas, quàm muneris magnitudo, facienda ſit. Accipies igitur hoc munuſculum ſerena fronte, Rex potentiſsime, eiusq; patrocinium ſuſcipe. hac enim ratione & noſtram, quæcunque eſt, in ſcribendo induſtriam excitabis: & humanitatem tuam, mihi antea perſpectam, & à me in omnibus meis & ſermonibus, & ſcriptis declaratam, illuſtrius etiam, quàm antea, patefacies.

Venetiis, menſe Nouembri, M. D. LVIII.

Tuæ Maieſtati deditiſsimus
Hieronymus Faletus.

HIERONYMI FALETI
ORATIO IN FVNERE SIGISMVNDI IAGELLONIS, POLONIAE REGIS,
PRO HERCVLE FERRARIENSIVM DVCE IIII.

NESCIO, SIGISMVNDE AVGVSTE, Rex potentiſsime, & uos Patres ampliſsimi, ac Equites ornatiſsimi, utrum inuitus me ad hoc ampliſsimum dicendi munus Hercules Ferrarienſium Princeps, an lubens potius legauerit, ueritus fortaſſe, ne ego tuum dolorem, tuumq; luctum, & grauiſsimum uulnus, quod tibi ac uniuerſo huic regno Sigiſmundi patris tui acerbiſsima mors inflixit, lacrymis luctuq; meo potius augeam, quàm mæſtum atque afflictum animum, illius & corporis, & animi uirtutibus celebrandis, recreem, atque confirmem. Sed, cum audiſſet te in eius locum, & iure æquiſsimo, & omnium populorum conſenſu, Regem ſucceſſiſſe; ac pro ea neceſsitudine, qua cum illuſtriſsima familia tua coniunctus eſt, eaq; beneuolentia, qua te præcipue proſequitur, conuenire intelligeret, ut tibi uehementer gratularetur: indignum profecto exiſtimaſſet, ſi tantus Rex, qui ſemper laudi ſtuduerat, nullum ab eo, cui dignitas illius cariſsima eſſe debuit, ſuæ uirtutis præmium aſſequeretur. Et ſane, tempori ſeruiiſſe, ne dicam ingratus fuiſſe, uideri poſſet, ſi, quibus ſtudiis, & qua fide parentem tuum, quoad uixit, obſeruauit, atque ante omnes colendum duxit, eadem nunc mortuo denegaſſet. nam, ſi quis uiuentibus laudes nullas tribuit, aliæ tamen rationes non deſunt, unde amor & ſtudium patefit: mortuis autem id unũ præſtare poteſt, ſi eorum egregia, & præclara facta ueriſsimis laudibus extulit, atque illuſtrauit. Quod eo magis hoc etiam nomine mihi faciendum putaui, arbitratus, ſi modo quis ſenſus eſt inferis, ut credimus, hanc iucundã nobis uirtutis eius commemorationem, non mediocrem illi

uoluptatem

uoluptatem allaturam. etenim magnificus iſte funebris apparatus, Ducum, Comitum, Equitumq; tantus concurſus, ſigna militaria, equi, arma, ſcuta, lugubres ueſtes, regia, eaq; pretioſiſsima, feretri ornamenta, & horum ſimilia, quæ fieri nunc tanto ſtudio uidemus, bellicæ laudis, uictoriæq; inſignia, ac maximorum opum ſunt monimenta. Quæ omnia non adſtantibus minus, quàm mortuo ipſi, ornamento eſſe dici poſſunt. Oratio uero, quæ illius res geſtas ornatiſsime complectatur, (ſi modo ulla unquam tantis meritis par oratio poterit inueniri) ſemper Sigiſmundi Regis uirtutem apud poſteros extollet, atque admirabilem reddet. Verum quod multi ſummi oratores in hac cauſa forte conqueri poſſent, id mihi iucundiſsimum accidiſſe, re ipſa comperi; tantam ſcilicet eſſe huius Regis laudem & gloriam, ut omnis uerborum copia illius uirtute inferior eſſe uideatur. hac enim potiſsimum de cauſa uehementer gaudeo, quòd quanto plura de illius uirtutibus dixero, tanto ſemper maiora & ampliora ad dicendum mihi relinquentur. Atque hæc uniuerſa quanquam uobis omnibus Equites notiſsima eſſe non ignoro: tamen, ut ueterem in clariſsimorum Imperatorum ac Regum funere conſuetudinem ſeruem, & ut earum rerum, quas in hoc Principe præclariſsima uidimus, gratiſsima recordatio fiat, breuiter aliquid, ne longior hæc mea parum diligenter exculta dictio uobis tædium pariat, in hoc ampliſsimo conſeſſu memorandum exiſtimaui. Tria ſunt, Rex inuictiſsime, quæ in ſumma perfectaq; laude ſpectari ſolent; Res externæ, corporis, & animi. Quæ omnia in Sigiſmundo, patre tuo, adeo magna & ampla fuerunt, ut præripere potius dicendi facultatem, quàm præſtare, mihi uideantur. Primum enim in ea regione natus eſt, quæ non tantum ſoli natura, ſed etiam rerum geſtarum gloria, quas ille poſtea ſeu pace, ſeu bello geſsit, ceteris omnibus antecellit. Quibus uero maioribus, quo ue genere ſit ortus, quanquam omnes optime norunt, conuenire tamen ſum arbitratus, non omnino uetuſtiſſimam egregiamq; illorum ſtirpem ſilentio præterire: ut omnes intelligant,

telligant, cum maiores eius clariſsima uirtutis exempla reliquerint, ipſum nulla ex parte ſe illis inferiorem præſtitiſſe. Verum ne admodum uetuſta quæramus, ea, quæ in omnium ore uerſantur, dicere aggrediar. Vladislaus Iagello, huius Regis auus, tuus autem Sigiſmunde proauus, qui ex potentiſsimis Lithuanorum regulis in Polonia regnauit primus, ea morum integritate, ea fortitudine, eo demum conſilio fuit, ut in maximis Sarmatiæ fluctibus atque procellis, omnium conſenſu creatus fuerit Polonorum Rex, quippe qui ſolus turbulentiſsimos regni motus ſua prudentia ſedare, atque comprimere poſſet. Is autem cum regimen cepiſſet, atque Bohemos, a religione huius imperii, & maiorum inſtitutis abhorrentes, ad uerum Dei cultum, & conſentaneas perfectæ fidei opiniones traducere conaretur; & æmuli atque inuidi quidam per regnum ſermones diſsiparent, eum ſiti quadam, atque cupiditate regnandi potius, quàm ueræ religionis ſtudio, in hac re elaboraſſe, ea modeſtia ac animi altitudine fuit, ut uocata concione regnum ab eis oblatum repudiarit: ubi tantus omnium Bohemorum clamor, tantusq; fremitus exortus eſt, tantaq; omnium uel aduerſariorum etiam eius conſenſio, ut non ſolum huic fortiſsimo ac ſapientiſsimo Regi Bohemiam committendam cenſerent, uerum etiam digniſsimum poteſtate & dominatu omnium rerum una uoce prædicarent. fuit enim non ſolum Rex fortitudinis, uerum etiam patientiæ laude admodum inſignis, Themiſtoclem imitatus, qui cum eſſet in conſilio Græcorum à reliquis ducibus conuiciis indigniſsime uexatus, petulantiam illam non pari conuicio, ſed patientia comprimendam putauit. Quid hic Periclem referam? quid Iulium Cæſarem, & alios complures, qui non alio maiore ſtudio maieſtatis Imperatoriæ nomen, quàm patientiæ & manſuetudinis laudem uenabantur? Quorum exemplo, ducem ſecutus naturam ſuam, ad omnem Rege dignam laudem Vladislaus incumbens, præſtantiq; animo contendens, hoſtibus formidabilem ſe præbuit, Polonorumq; nomen, clarum antea ſuo ſplendore, clariſsimum reddidit. Eam uero in primis excellentis uirtutis opinionem maxime adeptus eſt, cum apud Dobrinum Germanorum uis ingens affluxiſſet, quæ totam Pruſsiam, maxima cum Polono-

rum

rum clade, crebris incurſionibus infeſtam redderet. tanta enim celeritate Princeps magni animi, atque rerum bellicarum diſciplina peritiſsimus, militem ad pugnam inſtruxit, ut uno impetu hoſtes oppreſsi, exterriti, cæſi, capti, & profligati ſint, ad quinquaginta paulo minus hominum millia. Ex qua uictoria ingentem auri, argentiq; uim, & cuiusque generis prædam in Poloniam aduexit. Nec diſsimili clade, multisq; uictoriis Crucigeros, Lithuaniam, Poloniamq; populantes, una cum Sileſiis, atque Ruſſiis oppreſsit. Huic exacta admodum ætate, cum annos regnaſſet quinquaginta duos, uita functo, Vladislaus filius, maior natu, ſucceſſit. Qui cum Rex ab Hungaris abſens expetitus eſſet, belloq; Turcico modo Scythas in Ruſſiam irruentes, modo Valachos in Poloniam, Amuratemq; ipſum ex Hungaria eieciſſet, tandem apud Varnam, cum eodem Amurate, imparibus copiis, pugna commiſſa, magna hoſtium edita ſtrage, interiit. Cuius Regis tanta uirtus fuit, tantum robur, ut, quàm diu uixerit, duo maxima Polonorum, atque Hungarorum regna ſumma ac incredibili laude conſeruarit. Poſt Vladislaum, imperium ad Caſimirum eius fratrem delatum eſt, principem ſane omni uirtutum genere clariſsimum: qui cum in uaria bellorum adminiſtratione & plurimum, & ſtrenue uerſatus maiorem in modum excelleret, Pruſsiam, & Pomeraniam, ampliſsimas regiones, ad imperii ſui ditionem adiunxit, Valachorum bellicoſiſsimo regulo ſpem eius clientelæ olim acceptæ aduerſus Turcas non ademit. omnes enim fuerunt in illo rege uirtutes, ſed præcipue ſingularis & admiranda frugalitas, (etſi hoc uerbo ſcio laudari reges non ſolere) ut cum Fabricio, & Curio, ceterisq; illis Romanæ, id eſt ſummæ modeſtiæ uiris, quos hiſtoriæ celebrant, iure ſit conferendus. ex quo facillimum ei fuit, iis ſemper uirtutibus, atque artibus imperium conſeruare, quibus eum antea dignum imperio cuncti iudicauerant. Cuius, ut multa eius facta prætercam, tanta eo tempore fuit prouidentia, atque conſtantia, ut cum urbs Cracouienſis graui peſtilentia laboraret, ciuesq; omnes paſſim in diuerſa loca diffugiſſent, & Mariæburgus, præſtantiſsimus Cruciferorum magiſter, facultatem nactus, traiecta apud Toruniam Viſtula, magno exercitu in maiorem Poloniam adducto, exuſta

Silupeia,

agros omnes cis & trans Vartam ferro & igni uaſtaſſet, ipſe in tanta rerum omnium penuria, tanta urbis ſolicitudine, tanto tumultu ac metu obſeſsis opem tulerit, hoſtes plane profligarit, multaq; oppida cum Cuiauiæ, tum Caliſsienſis oræ obſidione, ac totius regni naufragio liberarit. His uero periculis ſolutus, ut facilius ab hoſtium excurſionibus imperium defendere, idemq; augere poſſet, ad comparandas finitimorum amicitias, coniungendamq; cum principibus uiris affinitatem animum conuertit. Ea de cauſa Eliſabetham, pudiciſsimam, & ornatiſsimam mulierem, uxorem duxit, filiam Alberti, Romanorum, Hungarorum, & Bohemorum Regis, è totius Germaniæ familia præclariſsima, quæ ſupra trecentos annos cum magna rerum geſtarum gloria in Boiaria inferiori, ſeu orientali, quam nunc Auſtriam appellamus, imperauit. ex qua (ut filias prætermittam) ſex clariſsimos præſtantiſsimosq; filios ſuſcepit: quos ea diſciplina ad maiorum inſtituta erudiuit, nihil ut aliud ſpectaret, niſi ut legibus pudoris, uerecundiæ, modeſtiæ, atque ipſius religionis animos eorum informaret, ea uidelicet ſpe ductus, & in ea ſententia confirmatus, tales filios in regendo imperio futuros, qualis illorum educatio præceſsiſſet. Quæ omnia effecere, ut Bohemi Vladislaum, filium eius natu maximum, ſummo ſtudio Regem ſibi expoſcerent, atque aſciſcerent, Hungari Caſimirum, ac Iohannem Albertum, Lithuani Alexandrum, Sigiſmundum Sileſii, Federicum Romana Eccleſia ad dignitatem Cardinalatus expeteret. Ex hoc igitur Caſimiro patre, & Eliſabetha matre natus eſt Sigiſmundus: ex his, inquam, præſtantiſsimis Regibus, fortiſsimis Imperatoribus, clariſsimiſq; maioribus, ſuam excellentiſsimam ducit originem. Huius autem Regis cum in mores, ac uitam, reſq; geſtas paulo attentius intueor, in dubium uocor, huic ne plus ornamenti, atque ſplendoris eius maiores, an ipſe ſuis maioribus attulerit. Quod ſi eius ortus ab illa præclariſsima indole, maximis animis innata, excitetur, & temporis etiam uetuſtate confirmetur, ſuperabit

ſane illum antiqui generis ſplendorem & claritatem, qua Achillem Thetide, Aurora Memnonem, Theſeum Neptuno, Romulum Marte, Ioue Sarpedona procreatos ferunt. Quod etiam de Alexandro Magno, & de Scipione Africano, ac de uniuerſis illius ætatis heroibus traditum eſt; qui non niſi diuino conſilio orti, atque ſemine diuino ſuſcepti exiſtimati ſunt. Cum enim per ætatem licuit, ſtudiis literarum deditus, tantum in his ingenio, induſtriaq; profecit, ut omnium linguarum cognitionem celerrime adeptus ſit. uerum, parto regno, cum Polonia undequaque maximis bellis, quæ pater ac fratres geſſerant, exinanita eſſet, maiora quædam animo menteq; concepit. Nam cum tota Scythia in Ruſſiam influeret; Aſiaq; ad huius regni imperium, Turcarum auxilio freta, animum intenderet, ac ſimul omnis Iagellonum familia, quæ ob uirtutem opesq; ſemper illi ſuſpecta eſſet, formidinem iniiceret; Sigiſmūdus in medio relictus, ac magnis undique periculis circunuentus, patriæ ſperatum animi, ingenii, conſiliiq; ſui lumen oſtendit. nam finitimos alios reconcilians fœdere, alios ſocietate ſibi coniūgens, alios liberalitate alliciens, amicos ſibi, fidosq; parauit. cum Turcarum tyranno etiam pactiones omni iureiurando initæ ſunt. Quæ omnia tanto conſilio prouidebat, tantaq; peragebat fortitudine, ut omnium opinionem egregia cum laude ſuperaret. Nam in prouidendo calliditas, in aggrediendo fortitudo, in periculis conſilium, in agendo induſtria, in perficiendo celeritas, in laboribus patientia, ac cæteræ omnes militares, imperatoriæq; uirtutes tantæ in hoc uno erant, ut maiores in ullo (ſi replices ueterum annalium memoriam) uix, aut ne uix quidem inuenias. Inediæ, frigoris, atque caloris moleſtiarum cum tolerantiſsimus, tum patientiſsimus fuit, adeo ut hunc ad hæc omnia perferenda natura factum, atque educatum eſſe omnes homines crederent. Itaque cum formæ dignitatem, corporis proceritatem, ac fortitudinem Natura attuliſſet, hæc omnia præclariſsimis his ſtudiis, & artibus, continentiaq; uitæ ita auxerat, ut in

ſpecioſiſsimo

ſpecioſiſsimo corpore fingendo atque formando natura pariter & ars ipſa inter ſe contendiſſe uiderentur. nam ſi caput, ora, latera, humeros, manus, brachia, ſi pedes, crura, & omnia eius decora robuſtaq; membra ſæpe diligentius inſpicerem, uidebar mihi profecto Herculem quendam aſtantem aſpicere. Erant igitur in Sigiſmundo pulchritudo, robur, & continentia: quæ quidem omnia uel in Principe neceſſaria ſunt, uel certe maxime probantur. Ac pulchritudinem quidem omnes uidebant: fortitudinis autem, ac pugnæ multa prœclare commiſſa prœlia ſunt teſtes: continentiæ uero multorum patent teſtimonia, qui cum eo familiariſsime, coniunctiſsimeq; uixerunt. Cum uero in imperio conſtitutus, tum ad recuperandum Smolenchum oppidum in finibus Moſcouitarum, quod, propter crebras eius gentis incurſiones, Polonorum præſidiis olim tenebatur, animum applicuit. et cum Baſilius Moſcouitarum Princeps id oppidum, ſicuti pleraque alia Ruſsiæ & Lithuaniæ loca, ueteri quodam iure pertinere ad ſuum imperium ratus, per aliquot mẽſes tanta pertinacia obſideret, ut in ſuam poteſtatem redigeret; hincq; populari proximos Lithuanorum fines cœpiſſet: Sigiſmundus, è Cracouia Vilnam profectus (ut ex propinquo intentus in omnes rerum caſus, bellum adminiſtraret) tanta celeritate exercitum comparauit, ut uix ante citra amnem Boryſthenem, miſsis exploratoribus, qui altitudinem fluminis exquirerent, quo facilius equitatum traduceret, ſubitariumq; pontem ex lintribus, & lembis contractis efficeret, inclinatis haſtis in hoſtes impetum fecerit. Qui dum ſolutam aciem peditum, impediti equitum multitudine, cum magna eorum cæde, cruoreq;, & morientium gemitu cuncta compleri uiderent, ſibi celerrima fuga conſuluerunt. Poloni uictores, captis hoſtium caſtris, magna præda ex regio apparatu potiti, atque amplius ſeptem hominum millibus interfectis, quinque millia equorum, multosq; illuſtres duces, & cum his Michaelem Goliizam, inter Moſcauitas

 fortiſsimum

fortiſsimum, & bellicoſiſsimum, ceperunt. itaque genus illud immanitate barbara, durum, ac efferum, & ante id tempus indomitum, Sigiſmundus ſuo Marte, ſuaq; uictoria compreſsit. Qua in re ſi hominum ferocitatem, ſi diſsimilem pugnandi rationem, ſi loca inculta & aſpera conſiderabimus, ſi denique hoſtium multitudinem cum Polonorum paucitate, quos Sigiſmundus in Boryſtenem traiecerat, conferemus, inueniemus profecto ex multis uictoriis, quas olim Iagello Vladislaus, Caſsimirus, & Ioannes Albertus, aduerſus Germanos, Turcas, Prutenos, Hungaros, & Valachos conſecuti ſunt, haud earum ulla hanc unam eſſe inferiorem. Ad ea uſque tempora cum Ruthenorum plebs, rerum nouarum cupida, & ſimul ſpe recuperandæ libertatis à Polonis deficeret, tum Sigiſmundus, abiecta omni cunctatione, infracto fortiq; animo ſeſe ipſum colligens, & quaſi lætatus, quòd ſibi fortuna uberem uirtutis ac fortitudinis ſuæ declarandæ materiam præſtitiſſet, omnia, quæ ad propulſandos hoſtes, urbesq; tutandas neceſſaria iudicabat, urbes muniri præſidiis, ſubſidia commeatumq; importari, exercitum ſcribi, diligentiſsime ac uigilantiſsime curauit. Hic quid de Sigiſmundi fortitudine dicam? aut quid potius non dicam? duobus maximis exercitibus Lithuania, Pruſsiaq; obſeſſus, uix retento imperio, nulla externi auxilii ſpe, ſola magnitudine animi, incredibiliq; conſilio, ac rei militaris ſcientia, non ſolum hoſtes multis ſæpe cladibus afflixit, ſed etiam eouſque deſperationis adduxit, ut ſæpius de fuga, deq; deditione cogitauerint. iis enim artibus, quas à puero ſibi ingenio induſtriaq; parauerat, omnibus facile oſtendebat, unam eſſe uirtutem, quæ neque capi inſidiis, neque frangi, aut expugnari uiribus poſſet, unam, quæ omnium conatus illuderet, contemnere. itaque huius amore ductus, noctes atque dies operam dabat, ut modo hoſtes pugna laceſſeret, modo fugam diſſimularet, non nunquam ex improuiſo ſe hoſtibus oſtenderet, adeo ut nullam ipſis pugnandi ſpem, aut ocii facultatem relinqueret. Liberatus

autem

autem, ſolutusq; omni periculo, non humili, deiectoq; animo, ut multi in aduerſa fortuna, ſibi torpeſcendum putauit, ſed quamprimum ad Viſnouenum, quod ab hoſte premebatur, animum adiecit: ut, quod à maioribus relictum acceperat, incredibili animi fortitudine tueretur. Igitur cum iam aduerſus Moſcos, Scythasq; multa egregia memorandaq; facinora ediſſet, certior factus illud quibuſdam incurſionibus agitari, ratus (quod in tali caſu ſolet euenire) urbe potiri ſe poſſe, ſex millibus equitum duntaxat, quos fide & liberalitate ſibi adiunxerat, Viſnouenum uerſus progreſſus eſt, cum ſtatueret uel rebus feliciſsime geſtis imperare, urbemq; ipſam in libertatem reſtituere, uel in bello fortiſsime pugnando pro ciuium ſuorum ſalute occumbere. Cum enim Sigiſmundus ita ſibi multo ante perſuaſiſſet, nihil eſſe turpius infamia, uiriſq; fortibus dedecus eſſe perinde, ac ipſam mortem, uel magis etiam fugiendum; ut hanc animi ſui magnitudinem, mortiſq; contemptum omnibus palam faceret, in caſside, in ſagulo, in militaribus ſignis mortis ſimulacrum, tanquam pulchrum quoddam inſigne, geſtabat: ut etiam declararet, uirtutem ne ipſa quidem morte extingui perimiq; poſſe. Alii caſtella depicta geſtabant, quot, acriter oppugnando, etſi cum multis, præcipua tamen fortitudine ceperant: alii circulos, aut quiduis aliud pro numero hoſtium, quos in prœlio aliquo duriſſimo interfecerant: alii, ut fortaſſe oſtenderent ſe lucem rebus patriæ afflictis attuliſſe, ſtellis ſcuta diſtinxerant: alii denique alia aſſumpſerant, quibus uirtutis ſuam memoriam proderent. Quantum autem apud omnes nationes admirationis, atque dignitatis habeat, Patres, mortis contemptio, illud uel maximum eſt argumentum, quòd nulla uirtus æque doctorum hominum monimentis celebratur, nulla ſimili laudis genere effertur. Nam apud Macedones erat olim lege ſancitum, ut qui nullum hoſtem in acie interemiſſet, is capiſtro uinctus ac ſuſpenſus ignominioſa morte uitam finiret. Apud Scythas etiam nemini licebat in ſacris lex mac.

epulis

epulis circumlatum poculum accipere, niſi qui in re militari prius aliquod uirtutis ſignum oſtendiſſet. Neque Amazonibus erat conceſſum ullo pacto nubere, niſi quæ hoſtem pugnando iam interfeciſſet. Romani etiam, unde ad omnes mortales egregia fortitudinis exempla manarunt, equeſtribus imaginibus, coronis muralibus, caſtrenſibus, ciuicis ſuos milites, ſuosq; Imperatores donabant. Quid duo illi Decii, pater, & filius, non ſe pro ſalute patriæ in armatas hoſtium cateruas, contempta uita, libentiſsime deuouerunt? Age, quid de L. Marcio dicam, qui rempublicam Romanam, in Hiſpania duorum Scipionum interitu collapſam, propria uirtute reſtituit? Mitto M. Marcellum, qui primus Annibalis impetum armis atque acie repreſsit: fortiſſimum illum Marium, ſexcentos alios, quibus gloria militaris multo ipſa uita potior fuit: nec iniuria: cum illa uigeat in omnes annos, æternaq; laude floreat, huic exiguos terminos natura circumſcripſerit. Hac igitur ſententia cum uerſus Veronouiam, & Buſcum, & Zigouiam arces, magnis opibus, præſidiisq; munitas, cum duodecim duntaxat militu m millibus profecturus eſſet, æque ac ſi potentiſsimum haberet exercitum, aut animo futura prouideret, uno die hoſtem adortus, altero urbes longa obſidione debilitatas, ſibi rerum omnium incredibili quadam felicitate uendicauit. Cum autem ante Oſſacouiam exercitum contra ingentem Valachorum multitudinem duxiſſet; &, parta uictoria, cum plures aduerſarii imperium eius uirtutemq; timerent; ea omnes humanitate clementiaq; ſuſcepit, ut ex inimicis amiciſsimos efficeret, ipſe iis æque ac pater, æque ac de omnibus egregie meritus, in oculis eſſet. Quid enim hic commemorem uictorias, quas apud Iluſcum, Cameneciam, Trebouuliam, Medibozum, Caniouiam, Bialogrodum, apud Goſdeciam, Prumarcum, Zeburgum, Guteſtadium, Brunsbergam, apud Reſſam Raſtemburgum, apud Piſſam, apud Bartenſteniam & Heilisbergam adeptus eſt? contra Moſcos, Tartaros, Valachos, Germanos, ac ipſos Turcas,

omnium gentium ferociſsimos, fortunatiſsimosq́; . Hac fortitudine, Patres, in re bellica nunquam uſus eſt Cyrus, nunquam Alexander, nunquam Pyrrhus, nunquam Iulius ille Cæſar, qui omnibus omnium ſæculorum ac gentium Imperatoribus rerum geſtarum gloria antecelluit. Et quoniam inter cætera magni ac præſtantis animi argumenta enumerantur ædificia, prætermittendum non cenſeo quantum in eis conſtruendis auri argentiq́; conſumpſerit. Quid enim memorem huius unius arcis opus, quod in hac ueſtra inclyta urbe à fundamentis extruxit, itaq́; erexit, ut non hominum, ſed Deorum immortalium ſedes eſſe uideantur? Quid uero Baſilicam huic templo adiunctam? Quid Vilnenſe, & Rupenſe fanum? quæ quidem opera cum effecit, non ille ſuum uſum, non priuatum aliquod commodum, ſed publicum decorem, publicamq́; dignitatem ac ſpeciem cogitauit; eaq́; pictorum, ſculptorumq́; præſtantiſsimorum manu adeo curauit exornanda, ut ſeptem illis, quæ in uniuerſo terrarum orbe memorãtur, mirabilibus addi poſsint. Ita omnes cogitationes, & actiones ſuas ad ueram gloriam, & Dei cultum retulit. quo factum eſt, ut omnes, non ut quoddam terreſtre oraculum humanæ ſapientiæ intuerentur, ſed uelu ti diuinum hominem è cœlo ad propulſandas tyrannorum iniurias, ad propagandam uirtutem ad nos delapſum exiſtimarent. Equidem, quibus artibus ſibi Sigiſmundus parauit imperium, partumq́; retinuit, uosmet equites conſiderate. omnia mehercule uerba ad ipſius uirtutes exponendas leuiora mihi, frigidioraq́; uidentur. adeo enim omnibus bonis hunc ornauerat munieratq́; Natura, ut in eo memoriæ firmitas ineſſet, qualem in Mithridate; recta de unaquaque re exiſtimatio, qualem in Themiſtocle; ingenii uis, qualem in Cæſare; ſolertia uero, atque prudentia, qualem in Fabio fuiſſe legimus. Iuſtitiam uero, quam omnium uirtutum ducem, ac reginam iure ſemper duxit, adeo diligenter coluit, ut etiam hoſtes ipſi inter ſe factionibus odiisq́; priuatis diſsidentes, alium ducem ſibi præeſſe nollent.

Quàm uero in omnes beneuolus, quàm munificus, quàm liberalis fuerit, unuſquiſque ueſtrum, Equites, certiſsimus teſtis eſt: quandoquidem præclarum mihi iam dediſtis iudiciorum ueſtrorum teſtimonium, non ſolum amicis de ſe bene meritis aurum & argentum, ſed ueſtimenta quoque in neceſsitate munificentiſsime obtuliſſe. exiſtimabat uidelicet nulla alia Rex magni animi officia præſtantiora, quàm ea, quæ ex clementia, & liberalitate conferebat: contra, nihil Principe indignius, nihil odioſius, nihil à diuinis decretis alienius auaritia, & inhumanitate: qui quidem etiam illud præ oculis & in ore ſemper haberet, quod à ſummo omnium Doctore nobis traditum eſt: quod quidem in extremo etiam iudicio ad memoriam reuocabitur, ubi unicuique pro meritis præmia eſt redditurus. Hoſpitem, inquiet, me non recepiſtis, nudum non operuiſtis, ægrotum non uiſitaſtis. Quæ quidem nonin eam ſententiam accipienda eſſe duxi, ut credatis uelle me aditum ad gloriam eſſe reliquis uirtutibus intercluſum, aut reliqua facinora non ſine digno ſupplicio punienda, ſed ut, de multis uirtutibus nullam eſſe aliam, quæ propius ad Dei bonitatem, quàm humanitas & liberalitas, accedat, apertius indicarē. Bonos uero non ſolum laudibus, ſed etiam dignitate cohoneſtabat, improbos acerrime inſectabatur, ſeuerus & grauis in aſpectu, in ſermone atque congreſſu facilis & humanus. Præterea, quæ ex liberalitate illius promiſſa, & oſtentata erant, ſanctiſsime obſeruabat, diligentiſsimeq; præſtabat. Amicos uero amore conſtantiſsimo, planeq; intimis animi ſenſibus diligebat, omniq; omnes officio fouebat. Quin & hoſtes etiam atrociſsimos humanitate & clementia liberaliter tractabat. Sed, ut uno complectar uerbo, nihil eorum prorſus in hoc defuit, quæ ſummo Regi, ſummoq; Imperatori conuenire poſsint. nam, ueterum monumentis accurate obſeruatis, tum, præſtantium uirorum, qui proximis temporibus aliqua laude floruere, exempla imitatus, ea ſibi delegerat, quæ præſtantiſsima iudicabat.

iudicabat. nam in adminiſtranda republica non, uti plerique ſolent, auctoritatem ac poteſtatem illam regiam exercuit, ſed nec à ueſtro ſenatorio ordine quicquam de recta religione deflexit. In popularibus ſtudiis multitudini gratus, in bellicis conſilis atque deliberationibus ſummus Imperator, & in regno gubernando iis omnibus præ cæteris Regibus Rex præſtantiſsimus. Literarum uero ad omnes humanarum rerum diſciplinas adeo ſtudioſus fuit, ut nullum ferè diem prætermitteret, Cæſarem imitatus, quin aliquid legeret, & audiret, arbitratus Principis magni intereſſe ad gubernationem cuiusque regni maiorum ſapientiſsime res geſtas intelligere. hinc plurimarum rerum obſcuras & neceſſarias intelligentias, tanquam fundamenta imperii, enucleauit. Hoc igitur, ſi pro ueritate aperte loqui datum eſt, nemo unquam imperium maiore pietate, fide, conſtantia, dignitate, iuſtitia adminiſtrauit. Idq́; uerum eſſe, nemo ibit inficias, ſi quis cæteros omnes ſummos ac præclariſsimos Reges Sigiſmundo æquiparare uoluerit: neque fuit omnino quiſquam qui ea formæ præſtantia, eo robore, ea animi magnitudine atque conſilio fuerit, ut non ſolũ Sarmatarum,ſed totius orbis terrarum imperio, omnium, qui ſaperent, iudicio dignus ſit exiſtimatus: qui & partum imperium tanta fortitudine,iuſtitia, & omnium beneuolentia gubernauit, ut non ſolũ Polonis, cæteriſq́; Sarmatiæ populis,cum ultimum diem ſuum obiit,immortalem domeſticæ uirtutis memoriam, ſed etiam famam exteris nationibus, & gentibus æternã, & incredibilem imitandi cupiditatem reliquerit: qui moriens te Sigiſmunde eius filiũ inclytum, uerißimam non tam corporis, quàm animi ſui effigiem,magnanimum & nouũ Regem uidit ſibi in imperio ſuccedentem,magno totius regni ſtudio cõprobatum. quod nemini unquam, qui in ampliſsimo loco uita functus ſit, ſcimus ante contigiſſe. Quo fit,præſtãtiſsimi Equites,ut in hoc mærore ueſtro, quem uos omnes ob Sigiſmũdi mortẽ capere uideo, Hercules Princeps æquiorẽ ſe præbuerit,qui cogitaret eum nunc uos Regẽ ac Ducem nactos,quẽ grauitate,cõſilio

C prudentia

prudentia, animi magnitudine, iuſtitia, fide, & ceteris bonis artibus, & ſtudiis parenti parem eſſe ſcimus. Debetisq; idcirco lætari, ueſtram inclytam Iagellonum familiam in priuatis rebus & publicis talia exempla, tale uobis decus, famam amicis, ornamentum regno reliquiſſe, ut inde ſumma ad uos gloria, ſumma redundare utilitas nunquam non poſſe uideatur. eoq; leuius mortem eius ferre debetis, quòd illum non modo nihil mali accepiſſe in morte putandum eſt, ſed cum iuſtus, grauis, fortis, & conſtans fuerit in uita, in morte uero ſumma pietate, fide, ac maximo chriſtianæ religionis cultu deceſſerit, potius ex his ergaſtulis & tenebris ad ſuperos euolaſſe, ubi æterna illa luce, in qua omnia inſunt bona, cum immortali animorum cœtu perfruatur. Addo etiã illud, eo nomine non parũ ei gratulandum, quòd eo tempore à uobis diſceſſerit, & in æternam illam domum migrauerit, quo quidẽ fortuna magis extimeſcenda, quàm dignitatis, aut laudis acceſsio ſperanda. eò enim magnitudinis & gloriæ iam proceſſerat, nihil ut omnino eſſet in hoc regno expetendum, quod ipſe ſua uirtute non eſſet ampliſſime conſecutus. Præterea quod diuturnitas, atque obliuio temporis (iam enim ad te meum ſermonem conuerto Bona Sereniſsima) poteſt efficere, ut omnem iſtum dolorem tuum auferat, id tua ſapientia præſtare debes, lætariq; potius ea immortali gloria & fama, quã ſummus Rex maritus tuus apud omnes homines reliquit, quàm dolere, quòd & te omni uirtute inſignem, & regnũ pulcherrimũ reliquerit. quantũ enim ad hanc humanã uitam attinet, eiusq; miſerabilem conditionem, uix intelligere poſſumus quem fructum ferat ipſa nobis. Ita legibus tenemur uniuerſi, ut nemini detur libertas recuſandi mala quamplurima, quibus hæc mortalis conditio affecta eſt. omnes uitæ principium à lacrymis & acerbitate facimus: omnes infinitis miſeriis quaſi laquei implicati, in metu atque dolore uerſamur, eaq; ratione apud Thraces multi infantes in lucem editos non ſine mærore & maximis lamentis excipiunt, contra uero funera omni tripudiorum genere, & cantu proſequuntur, arbitrantes omnibus his

malis

malis, quæ nobis fert longæua ſenectus, non niſi poſtrema ui tæ hora liberari: neque minus, omnem illam animorum noſtrorum cupiditatem expleri poſſe: adeo ut Crœſo diuitiæ, omneq; uoluptatis genus Sardanapalo ſatisfecerint, omnes res memorabiles in rebus bellicis effectæ, atque illa inexplebilis gloriæ ſitis, qua flagrabat Alexander Magnus, extincta ſit. Quinimmo reliquarum rerum omnium eundem eſſe finem, neque ſolum homines ipſos, uerum etiam humanas artes, atque diſciplinas, omnes nationes & imperia concidere, & obliuionis tenebris obrui neceſſe eſt. Athenienſis gens illa, quæ innumerabiles Perſarum exercitus fuderat, quæ tantas res geſſerat, quæ Græciæ imperio potita fuerat, armis Macedonum, quorum nomen ſane obſcurum ea tempeſtate extiterat, oppreſſa eſt, omnesq; imperii illius opes facile breui temporis momento corruerunt. Sparta autem, quam tam multos annos nõ mediocri imperio floruiſſe cõſtat, poſtremo Romani, orbis rerum triumphatores, ac domini, deleti ſunt. Tantum uero abeſt, ut ab his fortunæ telis tuta ſit Regia maieſtas, ut multo grauior ſit eius conditio, & exitus acerbior: ſiquidem ut fumus ſemper ſumma petit, ſic morbi, cædes, inſidiæ, & reliqua uitæ mala eos potiſsimum circumueniunt, qui ſunt in altiſsimo gradu collocati; quales fuerunt Metellus Macedonicus, L. Sylla, Octauius Cæſar, & pauci admodum præterea, quorum uarii caſus, & ea mala, quibus agitati ſæpiſsime ſunt, facillime humanæ miſeriæ magnitudinem perſpicue nobis oſtendunt. Ideo ſi recte cenſent Stoici animum, infirmitate corporis occupatum, in miſeria eſſe; fateantur iidem neceſſe eſt, neminem, quamuis ſapientia præditum, in tantis corporis doloribus beatum eſſe. Cum autem animo & corpore conſtemus; qui poſſumus, quàm diu in hac uita uerſamur, ſummum bonum id exiſtimare, preſertim cum, ita cogente natura, ipſa mala corporis animum etiam ipſum ſæpiſsime offendant? Quid hic Priami infelicitatem, quid Cyri mortem, quid Cambiſis exitum, quid Magni Pompei miſerabilem illam

cædem referam. Ea de cauſa Solon ille Græciæ ſapientiſſimus, interrogatus à Crœſo, Lydiæ Rege, quem beatiſsimum omnium arbitraretur, Tellum quendam Athenienſem reſpondit, qui in opibus exiguis, in patria florente, liberos & forma & uiribus excellentes ſuſceperat, poſteaq; mortem tranquilliſsimam obierat. Annumerauit etiam Cleobin, & Bitona, Argiuos; quorum mater cum à Iunone, cuius erat ſacerdos, precata eſſet, ut illis largiretur quod maximum homini præſtari poſſet à Deo, fuit illis, ut ſummum præmium pietatis, mors attributa. quem finem uno ore appellant uitam beatam, florentem, atque felicem, omni genere mali uacantem, & omnibus bonis affluentem: eo quòd mors nil aliud eſt, quàm rerum perfectio ad ultimum finem aſſequendum. quem quidem finem perfectum eſſe tunc dicunt, cum inſtar eius, qui aliquò ſagittam aut haſtam collimans, directis intentiſq; oculis ſcopum intuetur, ratio ipſa quidem finem propoſitum, tanquam ſignum, conſpicit, in quod omnes ſimul dirigat actiones. Si igitur in uitæ principio eſt uitæ etiam finis conſtituendus: cui dubium eſt, quin illud ſit nobis ultimum omnium rerum expetendum, cuius beneficio in lucem editi ſumus, & in cuius cupiditatem impetu naturæ uehementer incitamur? In illum igitur fontem omnium bonorum inexhauſtum, atque perennem, unde profluximus, & cuius beneficio conſeruamur, magnopere uidetur optãdum ut celeri conuerſione redeamus. Sed quoniam in hac uita nihil eſt firmum, ſtabile, & diuturnum, ſed omnia fluxa, fragilia, atque caduca; fieri non poteſt, ut hoc generis ornamentum perpetuum maneat. Fuit itaque Sigiſmundus eximius ille quidem Rex, ſed ipſe quoque Rex mortalis, in morte autem animi conſtantia firmus, ac plane immutabilis, adeo ut ad diuinitatem ipſam omnibus modis aſpirare certo uideretur. Eaq; uel una conſolatio, Bona ſereniſſima, tete ſubleuare debuit, quòd, cum in terris tantopere pro augendis tuis commodis ſemper laborarit, nunc pro tua

tuorumq;

tuorumq́; filiorum incolumitate deum precaturus eſt. Iam uero Auguſte Rex, cum ex iſto dolore, quo Bonam Reginam, matrem tuam, tuasq́; ſorores mæſtiſsimas, ac totum hunc ſenatum affectum uidemus, facile fiat, ut tu quoque langueas, omnesq́; animi tui partes diuexentur: tamen, ſi Regi, parenti tuo, uita functo, eiusq́; memoriæ tribuendum aliquid putas, æquo animo, quemadmodum & ratio poſtulat, & leges præcipiunt, ſuſtinere illius interitum debes, neque mortem potius, quàm præclaram illius uitam, et maxima in uniuerſum regnum, ac preſertim in te merita ponderare: eoq́; magis hoc te decet, quòd apud omnes talis huius ampliſsimi regni ſucceſſor, & hæres habearis, qui non ſolum ſplendore ſatis ornatus iudiceris, ſed tua induſtria & uirtute nihilo inferiorem, forte etiam aliquanto maiorem laudem tibi ſis comparaturus. O felix & fortunata domus Iagellona, quæ ab eodem principio minime dubitat procreari poſteros ſuis maioribus & dignitate, & geſtarum rerum gloria ſimillimos: quod raro in aliis eueniſſe conſtat: cum ſæpiſsime ex aureo parente argenteam naſci ſobolem, ex argenteo auream uideamus. oſtentet iam, ſi quis uelit, imagines ſuas, nobilitatis ſeriem à ſtirpe repetat, Herculem, aut heroum aliquem, generis ſui principem, & auctorem, quocunque orationis genere confirmet, aut ſe etiam Ioue prognatum patre dicat, dum nobis uere liceat Sigiſmundũ hunc Regem nominare: quod quidem iam maxime licebit, cum alterum Sigiſmundum pari uirtute ac integritate florentem, iamq́; iisdem laudibus æqualem, tanquam immortalis gloriæ pignus habeamus. Tibi igitur, Sigiſmunde, nouo Regi, omnium harum rerum cauſa gratulor, idq́; eo animo, quo quis facere debet, cum ex tota animi alacritate coniunctiſsimo gratulatur, nec hoc ſolum, quia Rex digniſsimus tanto Regi feliciter ſucceſſeris, (omnino enim is tuus erat locus) ſed quòd ea uirtute, atque animi amplitudine in eum locum ueniſti, quem, uel ſi alieniſsimus fuiſſes, ſolus tuo ſplendore, atque iſta animi tui altitudine facile

conſequi

conſequi potuiſſes. Quis enim te Rex alius, aut æquitate, aut animi magnitudine, aut prudentia, aut beneficentia, aut moderatione, præſtantior eſſe poſſet? Quare tuis quoque iſtis heroibus, uniuerſoq; regno ualde gratulor, quibus multo plus ex tua uirtute ſplendoris, quàm tibi ex iſto ampliſſimo regno uel auctoritatis, uel dignitatis acceſſit. Sed quoniam locus hic non eſt, ut tuam uirtutem pluribus uerbis exponam; gratulationi meæ id adiungam, ut eiuſdem Principis mei nomine iſtam tuam felicitatem perpetuam tibi exoptem; Deosq; omnes orem, ut actionibus tuis præſtantiſſimis, animoq; tuo, nihil unquam non præclarum cogitanti, uoluntas eorum reſpondeat; quodq; regnum à patre accepiſti, omnium gentium ſummo conſenſu, incredibili lætitia, id non ſolum tibi perpetuo fortunent, ſed ita augeant, atque cumulent, ut tua ſumma uirtus, & par uirtuti, multis argumentis teſtata, humanitas poſtulat.

AD

AD EQVITES POLONOS.

SAEPE ego uos, illuſtres Poloni Equites, non modo ut ueſtræ prouinciæ ornamentum, ſed plane ut Europæ uniuerſæ, atque adeo terrarum orbis lumina, & quaſi ſidera quædam micantia intueor, ſi quando id mihi uel caſu aliquo, uel fortuna contingat. nunc uero, cum præſens animaduerto ſplendorem iſtum, qui partim ex aſpectu ueſtro, partim ex ea, quam uobis ſumma uirtus peperit, dignitate, ob oculos meos effulget; magnam ſane in admirationem rapior, titubat animus uehementer, mensq; in uarias dicendi formas agitatur, neque uox, neque lingua conſiſtit. Nec poſſum ſane non etiam atque etiam commoueri, animoq; angi, cum indoctus, minime eloquens, ac pene dixerim elinguis, apud uos Equites omni laude præſtantes, uosq; Senatores omniũ ſapientiſsimos, grauiſſimos, diſertiſsimos, de iſto ueſtro tam excellenti bono & gloria in hac ſummi Regis ueſtri coronatione, deq; eiuſdem Regis laude, in hac temporis anguſtia, ſim uerba facturus. ſunt enim hæc eiuſmodi, ut qui ea, quantum res poſtulat, non dicam exornare, ſed dicendo complecti omnia uoluerit, ei conſiderandum uideatur, ac plane ſtatuẽdum, ſatius eſſe de maximis rebus ſilentium facere, quàm ita dicere, ut argumenti propoſiti dignitatẽ minime aſſequatur oratio. Sed quãdo mihi officium dicendi Hercules Ferrarienſium Princeps mandatum eſſe uoluit, ſuſceptam rem, dabo operam, ut ſuſtineam, ſpe maxime recreatus humanitatis ueſtræ: quæ certe, ſi me grauitate oneris oppreſſum ſenſeritis, inclinanti ſuccurret, uiriumq; noſtrarum confirmabit imbecillitatem. quòd ſi noſtrã orationem, ut ſpero, diligenter attendetis, profecto mecum omnes iudicabitis alium Regẽ uobis poſterisq; ueſtris magis aut ad pericula fortem, aut ad uſum & diſciplinam peritum, aut ad labores firmum ac uigilantem, aut ad conſilia prudentem, ad caſum fortunamq; felicem eligi hoc uno potuiſſe neminem. etſi iure ſuo &

ſucceſsione hereditaria electio cum iuſtiſsima, tum pruden tiſsima, conſilioq; optimo contigerit: quod antiquiſsimus mos omnis omnium genium indicat: et hoc quidem tam apud alios, qui ante Romanos imperarunt, quàm apud chriſtianæ pietatis cultores, quiq; uel eos multis ſæculis anteceſſerunt. Nam ſi genus ad dignitatem pertinet, quis regio nomine dignior, quàm regia ſtirpe, eaq; antiquiſsima, & auguſtiſsima procreatus? ſi uirtute tantum nominis gloria comparatur, quis Regi ueſtro non dicam præferendus, ſed, ut dicam quod ſentio, conferendus omnino uidetur? &, ut pauca de multis attingam, eſt ne aliquis animi magnitudine nobilior, eſt laude liberalitatis illuſtrior, ingenii flore præſtantior? Prætereo pietatem in matrem, humanitatem in omnes; etiam alienos & ignotos, poſtremo, quod omnium eſt maximum, ardens quoddam & ſingulare chriſtianæ ſtudium religionis, nullo unquam tempore, finitimis populis diſſentientibus, intermiſſum, acerrimeq; & conſtantiſſime cuſtoditum, ac defenſum. Quæ tam uaria tantarum uirtutum munera cum in uno ueſtro Rege uigere conſtet, quis hanc electionem non probet, non ad cœlum efferat laudibus, non gaudio exultans, iucunditate affluens, totus hilaris, cumulate æterno deo gratias agat? (quanquam gratia tanta referri non poteſt, quanta debetur) quòd uos omnes parentes ac liberos, & ampliſsimum hoc regnum, hancq; Gracouienſem ciuitatem uberrimam, cœleſti origine uetuſtiſsimorum Regum, fœdere, coniunctionisq; neceſsitudine & amicitiæ muniſsimam, artium ac rerum præſtantia, nobilitate incolentium reliquis omnibus, quotquot unquam uidimus, audiuimus, legimus, antecellentē, admirabilemq; iuſtiſsimo & fortiſsimo Regi regendam commiſerit, ac iure ſuo immunitatibusq; perfrui conceſſerit. cuius tanta laus, tanta item uirtutis & gloriæ amplitudo à ſe ipſa oritur, & ſua ſponte naſcitur, à ſe ipſa alitur, & augetur: ut iam nullis terrarum regionibus comprendi, non ipſo mundo, non ipſo, ut ita dicam, cœlo definiri, uel includi poſſe uideatur.

Verum

Verum curſus eſt mihi reprimendus uoluntatis ac ſtudii mei. nam cum ex prudentum conſiliis illud primum, aut proximum certe uideatur eſſe, ut, ad quas res peragendas uires non ſufficiant, conſulto eas omittamus, ut ſcilicet infirmitatis potius argui, quàm imprudentiæ condemnari poſſimus: præſtare puto, ingenii tenuitatem modeſte fateri, & in eo quaſi culpam deprecari, quàm in tanta rerum magnitudine exiguis uiribus impudenter experiri. Præclarum putatur, Equites egregii, pacis artibus excellere: bellicam uero ſcientiam una conſequi, & ad ſcientiam, animi fortitudinem adiungere, quia rarum eſt, ideo mirum, & apud omnes homines in omni ætate ſummæ laudi ſemper fuit. quod utrunque, cum in Regem ueſtrum intueor, ſic agnoſco, ut ſtatim mihi ueteres hiſtoriæ ſuccurrant: quæq; in illis legẽdo, atque obſeruando ſæpe mecum ſum admiratus, non in uno duce, aut rege collecta, ſed in plurimis uarie diſperſa, ea cuncta diuinitus in unum Regem ueſtrum collata ſuſpicio, in quo non modo ſummam auctoritatem, ſummamq; tum regendi, ac tuendi, tum etiã amplificandi imperii ſcientiam abunde eſſe perſpicio, ſed præterea datam ab aſtris eã felicitatem ac fortunam, qualem in ſummo imperatore oportere ineſſe, ſcite admodum Romanæ pater eloquentiæ Cicero exiſtimauit. Prætermitto illa, quæ uir doctiſsimus ac ſapientiſsimus Cato demonſtrat, magnam ſcilicet in aſpectu dignitatem, in inceſſu ſpeciem ac uenuſtatem, in eloquio ſententiam ac leporem, atque in omni negocio maturitatem. quàm equidem ſæpe memini, cum per uarias Europæ regiones legatus pro Hercule Ferrariẽſium Duce ad ſummos Principes excurrerem, hæc audiuiſſe multos de ueſtro Rege, dum ſenior etiam uiueret, uerba prædicantes: Sarmatũ Rex Sigiſmundus tum ipſe talis Princeps eſt, tum uero tali filio præditus, ut nulla res tanta ſit, aut tam difficilis, quàm non uterque tum conſilio regere, tum integritate tueri, tum excellenti quadam exequi & conficere uirtute poſſit. Accedit illa, dux & parens bonarum omnium rerum, maxima

omnium uirtutum iuſtitia, quam Plato optimam, Ariſtoteles admirabilem, Cicero præſtantiſsimam, fundamentum perfectæ commendationis & famæ, Iuſtinianus diuinam appellarunt, ſine qua nihil ſane in Principe, quod uere Principis perſona dignum ſit, quiſquam inueniat: cum & ſua quaſi bona rebus omnibus communicet, & ſine ea, quidquid ubique eſt, iaceat prorſus, ac plane apud omnes obſoleſcat. Quæ quidem uirtus clarior quàm ipſe lucifer, aut heſperus, mirum in modũ hoc in Rege ueſtro refulget, ut nihil uel expectet, uel optet, nil exigat, quod non ſit legibus iuſtiſsimis, & optima æquitate temperatum. adeſt enim illi diuinis ac humanis legibus animus obtemperans, mireq; ſemper deditus, ſine cuius imperio nec ulla quidem domus, ne dum ciuitas, nec hominum uniuerſum genus, nec rerum natura omnis, nec ipſe etiam mundus conſiſtere poteſt. Itaque recte traditum à ſummis uiris, nil tam aduerſum ciuitati, uel regno, quã iniuſtitia. nam unde abeſt iuſtitia, ibi adeſt iniquitas, & improbitas, ibi cædes, homicidia, rapinæ & furta uigẽt: quæ niſi diuina ope & iuſtiſsimarum legum ſuffragio tollerẽtur, probi & liberales incertas, atque in caſu poſitas res ſuas haberent, & non modo opibus affluentes ac diuites, ſed etiam inopes ac pauperes, ipſæq; ciuitates maximos in luctus inciderent. Nec multa ſunt exempla colligenda. patet omnium mentibus atque oculis urbs ipſa Roma, orbis terrarum domina: quæ poſtquam, deſtitutis legibus, iniuſtitiæ locum dedit, cum iniuſtos foueret homines, & ad imperia extolleret in libera ciuitate non ferenda, pedem protinus referre, ac primo ſenſim in deterius labi, deinde graui caſu ruere cœpit. ita quæ multorum ſæculorum labor, plurimorum uirorum uirtus pepererat, neglecta iuſtitiæ cura facile perdidit. Quid inſuper loquar de illa perturbationum moderatrice cõtinentia, quid de modeſtia, quid de magnitudine animi, de æquanimitate & tolerantia, quid de animi gratitudine? Non cõmemorabo ſingulas eius uirtutes, neque ſigillatim in iis laudandis & cõprobandis inſiſtã: quãdo omnes tãta

ſerie

ſerie & quaſi affinitate inter ſe cōiunctæ ſunt, ut altera abſque altera plane conſiſtere non poſsit. omnes enim uirtutes inter ſe ita connexæ coniunctæq; cohærent, ut, qui profeſſus unam tantum fuerit, nullam omnino ſe eſſe habiturum ſperare poſsit. Non igitur opus eſt, neque aggrediendum cenſeo, quandoquidem id fieri uix poſſe puto, ut omnes eius uirtutes accurata oratione perſequamur: cum unam ex multis plene perfecteq; celebrare non facile quiſquam, uel potius nemo plane poſsit. illam quidem, qua reguntur animi motus, affectiones ſedantur, libidines comprimuntur, ornem uerbis, an tacitus prætermittam? alterum pro eius merito non licet: alterum ſi committam, ignoraſſe uidear fortaſſe, quod omnibus notiſſimum eſſe conſtat. quis enim huius Regis temperantia illuſtrius? quis illum unquam uel ira præcipitem, uel gaudio ſupra dignitatem exultantem, uel minima cupiditate geſtientem, denique uel metu conſternatum, uel ulla omnino in re à ratione auerſum unquam uidit, aut uno eum in uerbo notauit, quod Principi grauiſsimo non congrueret? Notiſsimum eſt, bene merētes quo ſtudio extollat, quibus augeat honoribus, & commodis, quàm ſit etiam in alienos, modo aliqua uirtute excellant, munificus ac liberalis, quàm in hoſtes, ſi furorem depoſuerint, clemens, ſin pertinaces in odio fuerint, fortis ac ſtrenuus. Verum inter cæteras eius uirtutes ea, quæ Regina quædam & parens uirtutum omnium reliquarum iure duci poteſt, primum locum ſibi beneficētia uendicat. id enim illa maxime ſpectat, ut omnibus bene ſit, ut uniuerſum genus humanum ſolida, ſi fieri poſſit, felicitate perfruatur. cuius rei uos quidem Equites (ut alii prope innumerabiles omittantur) aut cuncti pariter, aut plerique, perſpicuum affertis teſtimonium, qui, ſi quando uobis tempora minus ſecunda eſſent, minus ex uoluntate fluerent, ſubleuati, ac ditati, multa & maxima liberalitatis & munificentiæ ſigna retuliſtis. Sentio mihi non licere in tam breui tēporis ſpatio illa omnia, quibus Rex ueſter regno dignus

eſt, connumerare. ſed, ſi modo mihi de ſola prudentia plene differere datum ſit, quæ una omnis in hoc Auguſto Rege eminet, deq; eius prudentiæ partibus, ut pote quanta ſit in regendo induſtria, in conficiendo celeritas, in prouidendo conſilium: uerear equidem, ne longior, quàm par ſit, oratio, preſertim ornamentis eloquentiæ deſtituta, faſtidiũ pariat audientibus. Extat enim illa uirtus, ſublimis inter alias, omnium ampliſsima, ſine qua nulla alia neque recte tractari, neque percipi queat. Quapropter non nullos philoſophorum fuiſſe legimus, qui in ethicam, ſiue monaſticam, œconomicam, & politicam, ut Ariſtoteles, & Plato, alii uero, ut Tullius, & Seneca, in prouidentiam, intelligentiam, atque memoriam diſtribuendam exiſtimarunt. Quæ omnia cum ille ſibi non ad ambitionem, inanem ue laudem, ſed ad ueſtram, omniumq;, qui eius imperio parent, tranquillitatem, ad ueſtra commoda augenda, ueſtras fortunas in omni fortuna tuendas, mira uigilantia, induſtriaq;, impellente uoluntate, adiuuante natura, coluerit, atque comparit; reliquum eſt, ut de felicitate, quam præſtare de ſe ipſo nemo poteſt, cum à ſola fortuna pendere exiſtimetur, agamus, quam & græci, & noſtri philoſophi finem uocant, ſummumq; bonum; ſiue ſit ea in honeſtate ſita, ut Socrates, Xeno, Cleantes, & Stoicorum reliqui; ſiue in exercitatione perfectæ uirtutis, ut Ariſtoteles, & Theophraſtus; ſiue in mentis uoluptate, ut Epicurus, Ariſtippus; ſiue in perturbationũ & dolorum uacuitate, ut diuus Hieronymus; ſiue in primis & maximis naturæ bonis, ut Carneades; ſiue in uoluptate pariter, & honeſtate, atque indolentia, ut Theodorus peripateticus; ſiue quocunque modo per complexionẽ ſimplicis ſententiæ multiplicetur in plurimis, ut eleganter ac diſerte à Cicerone traditum eſt in eo libro, qui de finibus inſcribitur bonorum & malorum. multis tamen uarie ſentientibus, omnium ſententia Regem ueſtrum felicem protinus eſſe, nemo inficiabitur. ſi uero de illa felicitate, ſeu fortuna, quam Cicero definit eſſe ſummis uiris ad amplitudinem, ad gloriã, ad res magnas præclare gerẽdas cum fortuna

diuinitus

diuinitus iunctam, oratio habeatur: ecquis hunc Regem ueſtrum, cum opes eius, imperium ampliſsimū utriusque Sarmatiæ, fortiſsimum fortunatiſsimumq; conſpexerit, non fateatur eſſe, non dicam iis, qui felices unquam habiti ſunt, parem, ſed ualde præſtantiorem? Adſunt etiam ad amplitudinem fortunæ cætera illa, quæ corporis bona nominantur, uigor, & alacritas in ſenſibus, corporis magnitudo, robur, forma. Quænam igitur ex fortunæ & felicitatis dotibus in eo deſiderari poſſunt, cui quidem ita fortuna fauit, ita ſeſe dat, ita gerendis in rebus prona ubique uidetur, ut, non modo ſi conſilium & uoluntas anteceſſerit, uerum etiã optima quæque ſubminiſtret? Cum uero ad eius proximam radicem, unde editus eſt, mentis oculos conuerto, ſummiq; parentis eius felicitatem, &, ut ita dixerim, diuinam conditionem intueor; non eſt, cur hunc ueſtrum Regem, omni uirtute ornatiſsimum, tam diuinæ fortunæ ac felicitatis dotibus locupletari potuiſſe miremur. Cum, Alexandro mortuo, omnia fere Tartarorum atque Moſcouitarum incurſionibus infeſtarentur; eoq; res perducta iam pene eſſet, ut Polonicum nomen, quod prius uniuerſam Sarmatiam ſuo ſplendore illuminauerat, tanquam orbatum ſuo lumine obſcuris in tenebris iaceret; Sigiſmundi, huius ueſtri Regis patris, ſapientia, ſummaq; fortitudine protinus effectum eſt, ut non ſolum recuperata reſtitutaq; ſint omnia, ſed & ea Princeps uere magnanimus auxerit, aucta amplificarit, amplificata defenderit, & cuſtodierit. Plura quidem eius conſilio, uirtute, ingenio conſtat eſſe geſta, quàm aliquis hac tẽpeſtate aut ſperare, aut optare auderet. Quis enim crederet, ò præſtantiſsimi equites, Lithuanos, Ruſsios, Samagitasq;, ac cæteros populos, qui ueſtro parent imperio, ſæpe inſidiis, ſæpe armis petitos callidiſsimorum ac ualidiſsimorum hoſtium, tam breui tempore quietem & libertatem priſtinam eſſe conſecutos? totq; feras barbarorum nationes profligatas, è finibusq; ueſtris longiſsime extruſas? En teſtes adſunt tantarum uictoriarum, uiri præſtantes, Ioannes

Tharnouius

Tharnouius, Petrus Cmita, Stanislaus Laſcus, Petrus Firlegius, Andreas Gorcanus, & alii complures huius regni exercituum ſtrenui Imperatores; qui Regis exemplum ſecuti, æmulatione præclaræ laudis incitati, eorundem hoſtium impetum toties ſuſtinuerunt, eoſdemq; toties ſuffoſsis equis ad pedes deſilientes in fugam coniecerunt. Hæc ſane magna ſunt, hæc digna uiris, hæc æternis literarum monimentis per omnium ſæculorum memoriam propaganda. Verum ſi Auguſti Regis & belli, & pacis peritiam ante oculos propoſueritis, non dubito, quin iſta omnia commodius atque celerius ab eo regi, expediri, conficiq; exiſtimetis. Non ne iam uidetis Aſiaticos homines, ſuos fines amplius non egredi? feras gentes, maximeq; omnium barbaras, Valachos, Scythas, Moſcosq;, cum bellum mouere cupiant, armis tamen, metu perterritos, abſtinere; Germanos non ſatis tutos ſuis finibus, Marcomannia, Sileſiaq; contineri. Percurrite animis, percurrite Iagellones illos ueteres, Vladislaos, item Caſimiros, quorum uirtute, dignitate, gloria, apud omnes gentes ueſtrum nomẽ, ueſtra uirtus enituit. Adeſt enim profecto in hoc Auguſto ſolo illa horũ omniũ uis animi, atque cõſilii, & in gubernando rebusq; gerendis intelligẽtia. Atque hæc quidem & his longe maiora eius ingenio ſi committantur, exitum omnia, qualem optare uobis licet, facile conſequantur. Ac cæteri quidem illas uirtutes, quæ in bellis momenti habent plurimũ, ſimul cum ætate adepti ſunt. Hic uero ab ipſa pueritia adeo ſe ſtrenue geſsit, ſic obiuit omnia, quocunque res uocauit, modo ducis egregii, modo militis numera fortiſſimi, ut noſtra ætate nemo fuerit, qui perfectius Principis excellentis officia ſit executus, aut firmius ea, quæ omnibus uidebantur grauiſsima, ſuſtinuerit. Mitto in deliberando prudentiam, in conficiendo celeritatem, in regendo iuſtitiam, denique in ignoſcendo regiã quandam ab animi altitudine profectam facilitatem, atque clementiam, ita, ut quisquis ad hunc Regem acceſſerit, nõ iam mortalem, ſed ab ipſis aſtris ad uos delapſum eſſe, ne-

ceſſario

ceſſario fateamur. Vſque adeo nihil non ad gloriam, atque ad exemplum illorum imperatorum, quorum eximias laudes orbis terrarum cantat, referre conſueuit. Quid igitur miremur, ſi hunc unum ita diligunt omnes, ut eundem ſimul omnes uereantur, ac metuant? cumq; homo natura ſit animal cupidum imperandi, parere tamen huic certatim omnes uolunt, & ſe fortunatos, ac plane beatos in eius imperio arbitrantur. Hæc longinquæ gentes cum audiunt, hæc poſteritas, loquentibus hiſtoriis, cum accipiet, quis aut nunc dubitat, aut dubitare unquam poterit, quin hoc uno in Rege multi Cyri, Ageſilai, Epaminondæ, Camilli, Sciplones, Catones, aliiq;, quos mirata antiquitas eſt, ita fuerint, ut diuerſas, ut diuerſa eſt temporum ratio, partes ageret, & in iis omnes alios uinceret, ſibi autem ipſe omni in actione par eſſet, hoc eſt ſemper admirabilis, ac plane ſingularis? quis uero de iis, qui nunc uiuunt, optimi regiminis, atque imperii felicitatem non fore in hoc uno repoſitam affirmat? licet ea uirtute, & omnium rerum excellentia ad regendum aptiſsimus, iampridem approbatus à uobis extiterit, æquiſsimo certisſimoq; iure imperium ſibi uendicarit? Plerique enim magni uiri dubitare aliquãdo conſueuerunt, an regnãdi cauſa ius uiolari poſsit. & ex antiquiſsimis græcorum quendam Ariſtoteles inducit, cui duriſsimum eſſe uidebatur, eos bello premi ac ſubiici, quos natura liberos genuerit, cum neque indignius quicquam, neque minus æquum ſit, quàm uelle aliquem alterius iactura locupletari. ic circo Cicero temeritatẽ C. Cæſaris accuſauit, quòd impulſus libidine dominandi, omnia diuina & humana iura peruertere auſus eſt. At, qui in ditionem & poteſtatem alicuius natura cadunt, quiq; iuſtiſsimi Regis imperio parent, iis ſæpe maior felicitas oritur, atque confirmatur. hoc enim humanis diuinisq; legibus traditum eſt, ut imbecilliores uel animo, uel fortuna, fortioribus ac præſtantioribus lubentes obtemperent. Inde factum eſt, ut quodam naturali iure, quod gentium appellamus, homines hominibus indicere

bella

bella conſueuerint. Quapropter ſi quem antecellere cæteris omnium uirtutum genere uidemus, natum & datum gentibus ut imperet; non ſolum domeſticum iis imperium, in quos ius habet, poterit iuſte conſtituere, ſed & iis, quibus dignior atque illuſtrior habeatur: ita humanæ ſocietati digne imperando conſulere, ſi modo Princeps eiuſmodi ſit, ut animum nullo in loco deſidere, & quaſi per ignauiam hebeſcere patiatur: ſed iacentem excitet, excitatum impellat, ut curet ac tueatur in primis patriæ commoda, ſibi gloriam pariat, omnes ab iniuria defendat. neque enim is, cuius poteſtas eſt, ad ſuum arbitrium leges reuocabit; neque ſibi uendicabit uni, quod omnibus patere, omnium commune debet eſſe; ſed omnium ei actionum finis erit decus: quales illi fuere, primi urbium conditores, qui homines in ſiluis beſtiarum more uitam temere agentes, unum in locum ad certa quædam iura compulerunt: quos certe non diuitiarum magnitudo, non agrorum lata poſſeſsio, ſed illa, cui omnes diuitiæ, omnes agri cedant neceſſe eſt, una inquam illos gloria tam præclari muneris ad ſtudia incitauit. Horũ exemplo hic Rex ueſter, quæcunque uobis & uniuerſo regno putat expedire, hæc amplectitur, & amat, huc omnia dirigit conſilia, omnia confert ſtudia: nihil prorſus agit, quod non & ueræ uirtutis, & perfecti norma ac ratione metiatur. o uere mihi, nec ſemel tantum, ſed ſæpe felicem appellandam Poloniam, o fortunatam Lithuaniam, Ruſsiam, Pruſsiam, Maſouiam, Samagitiam, & ciuitatem hanc beatiſsimam, iucundiſsimis quaſi nuptiis digno ſociatam uiro, quæ tanta omnium bonorum affluentia, auſpice deo, nupta exultat, ac triumphat. Contueor ergo ciuitatem hanc (ex hac loquor præſenti forma, quam illi Rex ueſter, artifex nimirum rerum optimarum egregius, ſolito præſtantiorem attulit) ueluti miræ cõpoſitionis & elegantis corporis nympham, ut & diuus Ioannes dicere ſolebat, uidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cœlo, à deo paratam, ſicut ſponſam ornatam uiro ſuo. huius ergo præclariſsimæ

ciuitatis

ciuitatis uos Equites & Principes membra quædam iudico, ipſum autem Regem ueſtrum non ſolum caput, ſed & cor eſſe exiſtimo: quæ duo uti ſunt in tota humani corporis conſtitutione præcipua membra, ac totam illam ſtructuram regunt, & moderantur, quorum alterum, cor ſcilicet, ob egregiam ſuam dignitatem, animam corporis eſſe Ariſtoteles aſſeruit, tanquam omnium ſubiectorum Imperatorem & Principem diuina prouidĕtia in medio corporis collocatum. Caput uero, quia diuinis rebus quaſi cognatum eſt, in ſumma arce defixit, ut, quod ſublimius extat, cæleſtia contempletur. quis ergo neſciat omnem neruorum multitudinem initium à capite ſumere, & ſpiritus quidem in cordis organo genitos, exinde tranſmiſſos ad cerebrum, à naturali calore in quaslibet partes diffundi? Vt igitur ſenſuum omnium ſedem eſſe caput uidemus: ſic uos tanquam membra à tam præſtanti capite, ideſt ab optimo Principe, omnium bonorum ſpirituum, & ſapientiæ, & iuſtitiæ, & felicitatis eximiæ fomenta recipitis. Quanta igitur huic capiti ueſtro præſtantia ſit à Deo opt. max. attributa, paucis à me uerbis, ne, quæ ipſi noſtis, longiori oratione exponerem, audiuiſtis. quæ ſunt eiuſmodi, ut mihi perſuadeam, nihil in humanis rebus uerius, nihil naturæ conuenientius dici, uel omnino excogitari poſſe. Hunc itaque Regem ueſtrum, ad quem in his ſanctiſſimis ædibus coronandum ueſtra nobiliſſima præſentia conueniſtis, uti cor & caput rerum pub. perpetuo fouebitis, coletis, omniq; pietate æterno Deo gratias agetis, ut hæc ueſtra uita, quæ corde & ſpiritu tota continetur, uigeat, non ad exigui ſpatium temporis, ſed ad immenſam omnium ſæculorum memoriam, eamq; poſteritas alat, æternitas cuſtodiat, cunctisq; bonis adaugeat; ut, quicunque ſuccedent uobis, & ſuas in hac prouincia ſedes habebunt, Regem ipſum admirentur, tota uirtute ornatum, uos efferant laudibus, quorum erga tantam uirtutem ea, quæ decent, iudicia, animorumq; præclara monimenta perſpicient. Tu uero, Auguſte Rex inclytiſsime,

fruere æternum iſto tuo bono. Chriſtum tuæ gloriæ auctorem ſemper intuere, omnes tuas curas in Reip. ſalute defige, & ad æternam atque diuinam gloriam, ut facis, aſſidue ſpecta. Verum, cum tempus iam admonere uideatur, ut, quò me ſtudium animi uehemens impulit, inde me reuocem, & ad inſtituti ſermonis finem perueniam: orationem meam Herculis Ferrarienſium Principis, tibi nõ ſolum affinitate, uerum omni plane beneuolentia coniunctiſsimi, mandato concludam: teq; rogabo, quod tibi fore cariſsimum uideo, ut Principem ipſum meum, meq; nunc eius nomine te alloquentem, libenter pro tua ſingulari humanitate excipias.

HIPPOLYTI ESTENSIS, S. RO. E. CARDINALIS LAVDATIO.

I VRE FACIT, ſi quis, examinatis ante uiribus ingenii ſui, aggreditur ad ea, in quibus non fruſtra locatur opera, ſed euentu præclaro elucet induſtria. Veruntamen, etiam ſi non aſſequamur quod ſummum eſt, elaborare tamen egregiis in rebus magni ac ſapientes uiri ſemper eximia laude dignum iudicarunt. itaque Xenophon ille Socraticus, ob eloquentiam Muſa Attica appellatus, cum Ageſilai Lacedæmoniorũ Regis, domi foriſq; celebratiſsimi, laudes aggrederetur, intelligeretq; ſe neque uirtutem illius, neque gloriam facile ſcribendo pro dignitate poſſe complecti, nihilo tamen ſecius id ſibi muneris ſuſcipiendum exiſtimauit, quòd non recte ſe res haberet, ſi, quoniam ad ſummum uirtutis gradum Ageſilaus perueniſſet, iccirco eum non niſi ſummis laudibus extollere fas eſſet. præclare ille quidem, ut cætera omnia. ſi enim ad omnem clariſsimorum uirorũ laudationem ſoli, qui præter ceteros excellunt, oratores adhiberentur; ea eſt eorum plerunque penuria, ut optimus fere quisque illaudatus non ſine iniuria uel maxima prætermittatur. Cuius ego exemplo auctoritateq; niſi hodierno die confirmatus eſſem, Patres ampliſsimi; mandatum hoc mihi laudationis munus non dicam renuiſſem, ſed dubius certe anxiuſq; ſuſcepiſſem: quòd nihil uereor, ne exiſtimatio, non dum apud uos ob adoleſcentiam parta, naufragiũ in his maxime dubiis quaſi dicendi fluctibus factura ſit. Dicendum eſt enim de Hippolyti Eſtenſis, Cardinalis ampliſſimi, laudibus, de quibus nec dici plura ſane poſſunt, quàm omnium uoce linguiſq; celebrantur; &, ſi taceatur aliquid, magna illius iniuria, uirtutumq; omnium haud leui offenſione fiat, neceſſe eſt. Qua in re plurimum illud mihi aduerſatur, quod reliquis aliis in cauſis maxime ſolet prodeſſe, ueſtra ſcilicet hæc attentio atque expectatio, quippe quos res

E 2 ab illo

ab illo geſtas oratione me adæquaturum, aut certe pro tempore explicaturum ſperare uideo. Accedit & illud, quod ego ſemper iudicaui, uel mediocrem cuiuslibet hominis laudationem plurimum habere in ſe difficultatis, cum propter ipſum arduum negocium, quod multam doctrinam, eximiumq; iudicium poſtulat; tum uel maxime, quòd cum hominum diuerſæ, occultæq; ſint uoluntates, ac multiplices ſenſus, non poſsit commode libereq; ſine multorum offenſione tractari. Quæ res ſi magnam in quibuslibet mihi ſolicitudinem afferre ſolet: in Hippolyto certe laudando, dum tot res geſtæ, tot aduerſæ factiones, tot contrariæ ſententiæ, tot diſsimilia ſtudia mihi occurſant, dum animo plura de illo iudicia, à pleriſque facta, repeto, ac oculis unumquenque circumluſtro; qui me æſtus, qui terror, quæ tenebræ circunueniunt, ne quibusdam multo plura dixiſſe, quã dixerim, non nullis autem nihil plane dixiſſe uidear? A uobis igitur hoc unum Patres peto, (ſi modo uobis æqua & honeſta uidetur poſtulatio) ut, cum offenſionem negligentiæ, quòd propter laudum multitudinem multa prætermiſſurus ſum, uitare non poſsim, æqui mihi iudices eſſe uelitis, neque uero illius uirtutis magnitudini iniuriam à me fieri ullã exiſtimetis, ſi eã dicendo aſſequutus nõ fuero; ſed, quod in ipſo præpotenti Deo, cæleſtibusq; laudãdis fieri ſolet, quicquid in dicendo mihi defuiſſe uideritis, deſiderio id meo, ſtudioq; compenſetis. Dicam igitur, ueſtris etiam æquiſsimis auribus fretus, de eius patria, quæ uobis communis eſt, de genere, parentibus, deq; ipſius educatione, ac moribus; resq; ab illo, pro temporis huiuſce anguſtiis, in omni uirtutum genere geſtas, ſic enumerabo, ut, quæ ego audio à quibuſdam, minime ſatis pro illius dignitate deſcribi, nec inter præcipuas eius laudes (manant autem maximæ laudes ex ſolida ueraq; gloria) reponenda contẽdam. Quanquam autem haud neſcius ſum, generis laudem haudquaquam magnum dicenti pondus afferre; eam tamen, cum ad uirtutem, quæ uera laus eſt, non nihil conducere uideatur,

tur, minime mihi prætermittendam exiſtimaui. Nam qui parentibus nati ſunt obſcuris, uirtutem illi quidem ſibi parere potuerunt, ſed illa tamen aſciticia in deteriorem illis partem ob generis humilitatem ſæpiſsime labitur. qui uero maiorum exemplis incitati ad gloriæ cupiditatem incubuerunt, ita demum omni uirtute cumulati extiterunt, ut inter omnes excelluerint: qui quòd firmiſsima ad amplitudinem habeant fundamenta nobilitatis, omnibus ſummis honoribus digniſsimi exiſtimantur, quippe qui duplici ad dignitatem præſidio ſint muniti, uno, quod à familiæ celebritate, altero, quod à uirtutis magnitudine proficiſcitur. Ego uero, quanquam nullo modo is ſum, qui genere editos illuſtri, ſolos ad uirtutem natos eſſe credam, cũ ſit omnibus ad laudem curſus apertus, id tamen dico, plurimum adiumenti nobilitatem ad uirtutem amplexandam, atque ad honores conſequendos afferre. ut enim in ſemine cauſam eſſe ſcimus ſtirpium atque arborum: ſic & maiorum ſatu ingenerari plerunque poſteris indolem uirtutis uidemus. Et quemadmodum ſolis radiis oppoſita quædam corpora ſplendorem à ſole mutuatum reflectendo augere, & illuſtriorem reddere ſolent: ſic ipſa uirtus, omni ſplendidior ſole, à nobilitate maiorem accipit lucem, quàm ea eſſet, quam ipſa ſola contulerat. Atque ego in Hippolyto illud maxima laude dignum iudico, quòd, cum ipſius maiores, ob uirtutem, antiquum heroum genus iam pridem attigiſſe credantur, eam ille famam non hercle imminuit, ſed ita auxit, ut, niſi talibus parentibus eſſet ortus, ad tantam uirtutis amplitudinem peruenire potuiſſe uix ego exiſtimarem.

Ferraria, Patres, in ea Italiæ regione urbs eſt, quæ flos ſemper, roburq; noſtræ gentis eſt habita, cæli clementia, ſoli fertilitate, affluenti rerum copia; Padi metropolis, à Bois eo tempore, quo Romæ Capitolium conditũ ſit, pulſis Etruſcis conſtituta, auctaq; poſt aduentum Attilæ Hunnorum Regis, Aquilea, Ateſte, Montagnana, Monſilice, & Calaonio, aliisq; finitimis oppidis in Euganea euerſis, extincto

Foreſto

Foreſto Euganeorum principe, dum pro Aquileienſium ſalute, magna peditum ac equitum manu Seſti magno animo obuiam prodiret, relictis filio Achario, ac Alforiſio Maroeloq; nepotibus. Quorum atauis non Eſtenſium tantum, ſed Boiorum ac Saxonum Regulos prognatos, nec non Caroli Magni inclytam gentem deductam eſſe diligentiſsimi Italiarum rerum ſcriptores memoriæ prodiderunt. nam Tarquinio Priſco Romæ regnante, cum Ligures, Inſubres, Sueui, Senones, Sicambri, Cimbri, Chamani, aliæq; Gallicæ & Germanicæ gentes, ductoribus Belloueſo, Sigoueſo, Medone, Helitonio, alpes ad eam diem inſuperabiles tranſgreſsi in Italiam confluerent; deinde Boii Boæmia, Herciniaq; à Marcomannis, Sueuiæq; populis expulſi ueſtigia priorum Rege Ciconio ſubſequuti, cumq; iam inter amnem Padum alpesq; omnia poſsiderent, Pado traiecto ratibus, pulſisq; ab agris Etruſcorum Vmbrorumq; ueteribus colonis, cis Apenninum ſe tamen tuentes, poſtquam uarias condiderunt ciuitates, Mediolanum, Ticinum, Comum, Laudem Pompeiam, Bergomum, Brixiam, Parmam, Mutinam, Bononiam, Ferrariam, Veronam, Vincentiam, Tridentum, & alia pleraque oppida inſtauraſſent, quatuor limitum præfectos eorũ imperio Theodotus eorum Rex inſtituiſſe dicitur. nam Licatiis Heroldum, Anaſsis Hirandum, Nariſcis Chamanisq; Rodulphum, Atheſi aduerſus Italos, Romanosq; Adalogerionem cognatum ſuum præpoſuit; qui quidem ab initio terminorum præfecti, tandem per ſe principes & Reguli eſſe cœperunt. Adalogerioni Aetius in Euganeis Regulus è Boiorum origine uetus initium ducens, nepos Theodeti e ſorore, ſucceſsit, dictusq; ab eo Atheſi Atheſinus, atque Euganeorum ſedes eius Regia in ripa Atheſis, addito T nuncupationem Atheſte traxit. Deinde cum Longobardi ſub idem tempus, ſucceſſu Boiorum inuitati, in Italiam ruerent, Vuelfus, pronepos Aetii, in Vindeliciam ſuperiorem confugit: cumq; in ripa Gelonis conſtitiſſet, locus ille ab eo cognomen Vuelfoen traxit; omnesq;

omneſq; huius nominis Vuelfones Boiorum Principes pro diere; & inter alios Vuelfus Regulus Charionum, auunculus alterius Vuelfonis, qui cum mortem obiret abſque liberis, Chunigunda eius filia collocata fuit à parentibus Aetio nono, ſeu Azoni Eſtenſi Euganeorum præfecto, unde ortus eſt Vuelfus Dux Boiorum quartus, qui admittente matre, & auia ab Imperatore Henrico quarto hæres auunculi inſtitutus, & ab eodem Ducatus Boiariæ præfectus eſt anno ſeptuageſimo milleſimo. cuius poſteri ſunt ii etiã, qui Brunſuicenſes & Luneburgenſes appellantur: quoniam ille Bauariam, Saxoniam, & Ducatum Angriuariæ, Veſphaliamq; tempore proſcriptionis Vuelfus adeptus eſt. Hac enim ortus ſtirpe antiquiſsima Albertus, Alberti Vberti pronepos, cum ob furorem Berengarii quarti in Saxoniam ad Othonem primum ſe conferret, ducta uxore Alda, eius Othonis filia. Othone mortuo, Saxonum Regulo, ab Alberti filii ſtirpe eiuſdem Principis hæreditatem ad ſe traxiſſe dicuntur. Qua in familia quando Vtilo filius Theodonis armato milite cum Theodoperto filio Theodorici Francorum Regis aduerſus Danos properaret, interfecto illorum Rege Conchelario, quòd utilo egregia uirtute cognitus erat, & eo bello fortiter ſe geſſerat, limiti Ambuaritorum inter Belgas citra Rhenum & Moſam flumina præfectus factus eſt, ſororemq; Theodorici uxorem duxit. à quo Vtilone Caroli Magni antiquiſsima ſtirps deducta traditur. Celebrent Romanorum ſcriptores Coruinos, laudent Torquatos, Troianos generis auctores, & ſiqua habent uetuſtatis & ſingularis nobilitatis exempla uetuſtiora oſtentent. Quòd ſi Athenienſes ſibi gloriæ duxere, quòd terra geniti dicerentur; ob idq; reticulo quodam aureis cicadis diſtincto caput ornabant, ut oſtenderent ſe inſtar cicadarum è terra, quam incolerent, fuiſſe generatos: ſi Aborigines in Italia inter eximios titulos hunc ſibi præclarum putauere, quòd non aliunde oriundi, quàm è terra ipſa, quam incolerent, ut, quæ alimenta præberet, eadem natalibus initia præbuiſſet: ſane

Eſtenſium

Eſtenſium familiæ par commendatio, atque originis laus tribui debet, quæ in Germania annis abhinc mille ducentis & amplius floruit, Ateſte, aliiſq; Euganeorum urbibus annis amplius mille centũ, ad ea ſcilicet tempora, cum Foreſtus, ac deinde eius filius Acharius, nepoteſq; Alforiſius & Maroelus, anno ccccxxi. ſeſe irruenti Attilæ obiecerunt: itidemq; poſtea, uſque ad Vtarii, Longobardorum Regis, tempora: à quo legimus confirmatum eſſe Gutholdum in Eſtis, & locorum contingentium principatu. Ferrariæ uero perpetua Principum ſucceſsio non fuit, ſed eò temporis duntaxat, cum Federicus aduerſus Gregorium nonum ira æſtuaret, cum Ferraria, quæ ad Imperatorem defecerat, cum ſociis ciuitatibus ad obſequium eſt Eccleſiæ redacta: in qua recipienda in primis enituit Azonis Eſtenſis opera: eoq; merito ciuitatis illius regimen illi Pontifex attribuit; cum exiſtimaret Azonis imperium æquo animo Ferrarienſes paſſuros, eo maxime quòd olim non Ferrariam tantum, ſed Inſubriam, Liguriam, Veronenſes, Vicentinos, Anconitanoſq; Eſtenſium familia diu rexerat. Ad illud igitur urbis imperium non alius debuit euehi, quàm qui regia prognatus ſtirpe, auorum regna repeteret. Ita Eſtenſium familia, ex uniuerſa Italia fere poſtrema, in Pontificum fide ac ditione perſtitit, & fluctuantem Petri nauiculam ſæpius confirmauit, quæ Gottos, & Longobardos non parua ſtrage affecit, cum effera illa gens omni ex parte in Romanos fines irrumpere tentaret, atque, Federico Aenobarbo Imperatore inſultante aduerſus auctoritatem Põtificis, pro tuenda libertate Eccleſiæ ſeſe obiecit. & cum Imperatorius miles inſignia Aquilæ nigræ in areola aurea geſtaret, Rhainaldus etiam, in principatus & uictoriæ ſignum, Aquilam, cyaneo colore circunductam, albam effinxit, cum antea monocerote argenteo, eodem colore uteretur. poſteaq; uictor, more Hieronicorum, illam dicauit militibus: neque unquã poſtea in hoſtem ab Eſtenſibus proditum eſt, quin iuxta ſigna Aquila alba ſtaret, qualem Rhainaldus auſpicatiſsimo

ductu

ductu ab hoſte reportauit. Tantus denique progreſſus, incredibiliſq; curſus Eſtenſium ad omnem excellentiam factus eſt, ut neque ante Romanum imperium, neque eo euerſo, Italus quiſquã aut populus, aut reſpublica, aut Rex fuerit, qui tantum ſibi imperii uendicauerit; nullum genus, quod Italo nomini maiora beneficia dederit; nulli homines, qui acrioribus ſtudiis libertatem defenſarint, ac legibus inſtitutiſq; cuſtodierint. Eſtenſes, inquam, extiterunt, qui rem militarem obſoletam in Italia, cum ad omnẽ barbarorum undequaque erumpentium libidinẽ expoſiti Itali homines eſſent, atque ad inteſtina bella tractanda, quaſi prorſus imbelles ipſi eſſent, auxilia trans alpes expoſcerent, cum uirtute, tum etiam diſciplina reuocarunt. Eſtenſes Italiam, ut externum iugum excuteret, ſeq; in libertatẽ uendicaret, partim rationibus & conſiliis, partim etiã poteſtate coegerunt. Eſtenſes fuerũt, qui ſtudia literarum extincta reſtituerent, aperto Ferrariẽſi gymnaſio ab Alberto ſecundo, ac doctiſsimis uiris undequaque cõuocatis, Theodoro Gaza, Bartholomeo Saliceto, Giliolio Cremonenſi, Petro Ancharano, Antonio Butrienſi. Eſtenſes denique fuerunt, qui barbaris in Italiam irrũpere conantibus, in ipſis Padi faucibus regno conſtituto, uirtute, imperio, conſilio, felicitate ſeſe obiecerunt, impetuſq; furentium, atque omnia diripere, ac diuexare cupientiũ uitæ ſuæ periculo colligarunt, à progreſſu arcuerunt, à reditu refrænarunt. His igitur ortus maioribus Hippolytus, matre Eleonora Regis Aragonum filia, patre Hercule illo Eſtenſi Duce, omnium fortiſſimo, feliciſsimoq;: de cuius laudibus, ut de Carthagine legimus, tacere multo ſatius eſt, quàm pauca dicere. Hic enim tota ſubnixum Italia fregit Brachium; ipſamq; Italiam, in illo ruẽtis in deteriora ſæculi curſu, plurimis non foſſis, aut propugnaculis, ſed tropheis muniuit; in quo Gallorum exercitus, magnam Italiæ partẽ peruagatus, ſtetit, & cum morte ſoceri Neapolitanorum amiſſum fere magnum ſuſtinuit, antiquæ inſitus familiæ, ut duabus illa nixa radicibus & altius creſceret, & felicius

F pullularet,

pullularet, nouum decus, noua ſpolia, noua trophea per ſe patremq; ſuum tota parta Italia tantæ uetuſtæ gloriæ accumulauit. Grauida mater, acceptorum à Deo beneficiorum non immemor, quoniam auguſtum quiddam in utero ſe ſe geſtare ſibi uiſa eſt, annuente uiro quicquid peperiſſet Deo dicauit, Hippolytoq; nomen indiderunt. Per ætatem dum licuit, uix dum primis informatus literarum elementis, ſupplicibus Deum adorare uocibus exorſus eſt, neque ullā rem prius, quàm ſacras laudes, quæ Deiparæ uirgini ſtatis horis cantantur, memoriæ mandauit: cumq; præter docilitatem ſuauitatemq; multa modeſtiæ ingeniiq; ſigna præſeferret; itaq; eſſet educatus, ut parentibus reſponderet; ne domeſticis deliciis emolliretur, ſub duris ſeuerisq; magiſtris bonis artibus accuratam cœpit operam impendere; quod erat reliquum temporis, uenationi tribuebat; qui dignum principe homine id exercitationis genus eſſe intelligeret, in quo deſidiam omnē excuteret, uitæq; ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret. nam diluculo ſurgere, frigus caloremq; ferre, curſibus ac itineribus defatigari. & animo præſenti ac forti, ingenioq; apprimen callido eſſe uenatores aſſueſcunt; unde corporis firmitas, ſenſuum uigor, ſerior ſenecta, laborum patientia, auocatioq; à uoluptatibus proficiſcitur. Et ſane iuuentus procax, & in libidinē natura prona, niſi laboribus aſſiduis honeſtisq; uoluptatibus, ac laudabilibus ſtudiis occupetur, in deterrima quæque labatur neceſſe eſt. Hinc cum Lacedæmonii ipſi, tum Parthi, penes quos educandorum liberorum ſumma laus fuit, iuuentutē uenatione certatim exercendam curabant. quod ſane niſi recte fieret, non diuini uates, naturæ fidi interpretes, heroas fere omnes uenatores fuiſſe ceciniſſent, neque uenationem, qua Chironem propter eius ſummam iuſtitiam, unde mox ad mortales defluxit, donatū ornatumq; ferunt, Diis acceptam retuliſſent. In hoc igitur exercitamenti genere Hippolytus perpetuo uerſabatur: neque ullum omnino poſt literas præſtantius, nobiliq; uiro dignius inuenire potuit à

curis

curis cogitationibusq; , quæ cor exedunt , auocamentum , quàm uenationem . Atque his quidem moribus imbutus , ætate adhuc non omnino adulta , ad Mathiam , Pannoniarũ Regem, proficiſcitur : à quo & in filium adſcitus, & Strigonienſis Archiepiſcopatus dignitate illico honeſtatus ; atque adeo benigne , honorifice , amanter exceptus eſt , ut nemini dubium relinqueretur, quin, cum primum per ætatem liceret , in regnum cooptaretur . Secutus non ita multo poſt atrox ille Mathiæ Regis caſus, qui plus miſeræ Chriſtianitati cladis attulit, quàm plerique , Chriſtianarum rerum ignari, opinarentur . Pax erat tunc in Germania , tantaq; Principum concordia conſtituta , ut cum ſuis quiſque finibus contentus uideretur eſſe , ſi quis paulo pedem proferre tẽtaſſet, de repente in illum cæteri omnes inſurgere non dubitarent. pacis autem qui fuerat auctor , idem ſe patronum , & uindicem ferox natura & bellicoſus Mathias ſeſe præſtabat . illo uero è medio ſublato , cum nutare cœpiſſent res Italiæ , ac non nulli Principes ad Mediolanenſem ditionem animum adiicere , factiones diſcordiasq; alere , odia nutrire , ipſe ſe in Italiam retulit . Iam in tanto rerum tumultu operæpretium eſt uidere , qualem Hippolytus ſe , nondum corroborata ætate , præbuerit , & quod primum de ſe aduerſis in rebus periculum fecerit . Hæc enim cum audiſſet Ludouicus Sfortia , Inſubrum & Ligurum Dux, ſummo ſtudio ad ſe illũ accerſiuit, atque , ut ad Cardinalatus proueheretur dignitatem , non multo poſt omni ſtudio atque ope curauit . Mirũ dictu, ut ab omnibus amari, obſeruari, coliq; Mediolanenſibus cœperit . illi plauſus maximi, illi conſalutationes perhonorificæ, ſigna ad hæc beneuolentiæ permulta impertiebantur. ad illum plebs , ad illum negociatores , ad illũ nobilitas cõfugiebat , tanta frequentia , ut omnibus pateret, ſi omniũ eſſet ſuffragiis gubernator deligendus, neminem plura Hippolyto puncta fuiſſe laturum . Ecce magna rerum mutatio . nam Galliarum Rex Ludouicus , magna Heluetiorum , & aliarum gentium manu coacta , cœpit Inſubriam inuadere ,

unus tamen, cum omnia labarent, Hippolytus deterreri nõ potuit, atque ita cauſam ſuam probauit, ut Rex ipſe fortitudinem Hippolyti nõ ſolum admiraretur, ſed etiam diligeret. idemq; moderatione animi tanta in illius belli uarietate uſus eſt, ut & Regi uictori, & Venetis uictis ſatisfaceret. Patris obitu, coactus Mediolano cedere, Ferrariam petiit, non aliter, quàm ut cælo delapſum exceptum ferunt Palladium fabulæ. uoces primo lætantium oppreſſerat miraculi magnitudo: mox erumpente lætitia, uirgines, pueri, ſenes, omnis ordo, omnis ætas uiſendi ſtudio ruebat circunfuſa, præſaga quaſi belli uenturi, & uictoriæ. nam Veneti inſtructam claſſem Pado inducere, omnemq; agrum Ferrarienſem flamma, ferro, excidioq; deuaſtare. quo in diſcrimine Alphonſus frater, tanto nuncio perterritus, hæſitare, confundi, terreri interdum pro magnitudine rei cœpit. quid enim aliud, omnium ſtudiis perſpectis, agat? nunc cuſtodes, nunc exercituum præfectos incuſare, modo inſidias, modo defectiones, modo uim ſubuereri, ſuſpitionis plena denique omnia habere. unus Hippolytus, erecto animo, belli grauem illam molem magna fide, conſtantia, uirtuteq; ſuſtinuit. nam metuentes animare, fugientes retinere, omnes hortari publice, priuatim ſaluti ciuium conſulere, arma expedire, milites conſcribere, plebem ad ſigna uocare, tormenta diſponere, hoſtem ferocientem coercere, nec ullam omnino quietem capere, donec eam uictoriam Alphonſo fratri, ac patriæ dederit. Quod ego factum omne hic libens prætermitto, quoniam ad recentiorem hiſtoriam, motusq; Italicos res ipſa me uocat: qui mihi uidentur ſorte quadam Hippolyto contigiſſe, uirtutiq; eius ampliſsimum campum patefeciſſe, ut animi, conſilii, fortitudiniſq; exercendæ occaſionem haberet uberrimam. Merito enim magnifica illa Demetrii uox celebratur, nihil eo uideri infelicius, cui nunquam quicquam euenerit aduerſi. languet enim, & quodam modo putreſcit ſine aduerſario uirtus ipſa: quæ profecto, Patres optimi, fortiſsimum quenque periculis, calamitatibus,

Demetrij sententia

miratibus, aduerſiſq; caſibus obiicit. Deus id quoque ſibi habet pulcherrimum ſpectaculum, ut quorundam eſt opinio, uidere fortem uirum cum aduerſa fortuna colluctantem, nunc hoſtes à patria expellere, tormenta ſuperantem, terrores periculaq; omnia contemnentem. Ex hoc genere fuiſſe illos arbitror ueteres Mucios, Regulos, Rutilios, Fabricios, Metellos, & præterea ſexcentos, qui, magnis ex periculis, animi præſtantia ingentem ſunt gloriam conſecuti. Sed quid ego diutius de Hippolyto ſileam? cur non potius ad eius res, in omni uirtutum genere excellentes, orationem meam conferam? non enim illius uitæ curſum, propter hominis claritatem, ſummæ dignitatis amplitudinem, uarietatemq; fortunæ nemini non cognitum, ſine magna culpa licet prætermittere. Vexabat Iulius ſecundus Pontifex totam Italiam, Venetorũ, Florentinorumq; Reſpublicas oppreſſerat, Galloſq; ex Italia eiecerat, Alphonſo non nullis oppidis ſublatis, adeo ut de ſumma rerum dubitaretur. in hac tanta multorum calamitate mirum dictu quàm ille infractus animo, diuini ingenii, conſilii, uirtutis magnitudine fretus, ſua ſponte, eximiaq; fortitudine, ſine tormentis, ſine exercitu, ſine ullis copiis, clauum patriæ, ueluti gubernator, optimus uigilantiſsime rexerit, ac ſuſtinuerit. O felicem artem poeticam; quæ res geſtas ornare, amplificare, in maiuſq; ualet extollere. quem illa campum in Hippolyto uel bello, uel pace nacta foret. quocunque enim tuliſſet gradum, ſequi populus uniuerſus, circumcurſare, procedere, uias denique, uix anguſto tramite relicto, obſtruere, ad bellumq; gerendum non modo uectigalia, tributa, delectuſq;, ſed præſens aurum, mundum muliebrem, ſupellectilem, & ipſa libera uenum corpora offerre. Hæc uera ſunt, Patres, atque cõſpicua fortitudinis exempla, non fucata, non ambitioſe quæſita, neque, quod ſolent pictores, ut magis lucida ſplendentiaq; reddant opera, obſcuris tenebricoſiſq; coloribus inumbrata. Conferat, quæſo, ſi quid habet uetuſtas quod præferendum putet.

tet. plenæ ſunt aures Horatiorum, Scipionum, & Fabiorũ, quòd hoſtes, patriam petentes, repulerint, eamq; liberam ſeruauerint: ab Hippolyto domus, ciuitas, patria conſilio, uigilantia, fortitudine ſunt liberata: ut ueteres illos adæquaſſe, ne dicam ſuperaſſe uideatur. Accedebat diuinum quoddam ingenium, ac mira quædam perſuadendi opifex prudentia, necnon, ſiue Deus, ſiue mater, ut ita dicam, rerum ipſa Natura dederit, uis quædam incredibilis ad Principum animos alliciendos, ac deuinciẽdos, ut ſtatim quemuis mortalem uel hoſtem ad ſe amandum potuerit adducere. nec enim illo ſane alter erat uſu naturaq; acutior, qui'ue rectum profundiori mente ſulcum duceret, ex quo ſapientia, ut ait Pindarus, conſilia pullularent: aut qui ſagacius ſimul, ut uelle cœpiſſet, occultas hominum uoluntates perueſtigaret, ſententias exquireret, iudicium eliceret, res conſideraret ipſas, earumq; curſus, ac futuros euẽtus proſpiceret. prudenter diſponere, docte gubernare, nullo ne repentino quidem rerum caſu opprimi, non obſcuris falli, nõ dubiis torqueri, non intricatis impediri, memoria rerum innumerabilium, coniectura uero prorſus admiranda, ut quæ non multum à diuinatione differret. Age uero, quàm mirus, ubi res poſtularet, diſſimulandi artifex; quàm peritus, uultu tegere, & taciturnitate celare, quæ uellet; quàm doctus, fingere ſe ſcire, quæ etiam ignoraret; quàm denique eruditus, ipſis tempora rebus accommodare. Multa mihi quidem ad has omnes eius uirtutes exempla occurſant, quibus manifeſto oſtendere poſsim illuſtriora amplioraq; eſſe omnia, quæ à me dicantur, & infra rem eſſe orationem meam. ſed non decet, non expedit, non licet. uoſmet cum animis ueſtris conſiderate, hoc toto decennio, quo tantum de Italorum imperio diminutum eſt, qualis, quantuſq; fuerit Hippolytus; quot aliorum errata, auctoritate, conſilioq; neceſſe illi fuerit emendare, quot artibus diuerſa ſentientes in ſuam ſententiam allicere, quanto ſtudio dubios retinere. quòd ſi illi præſcripta lex non fuiſſet, nutumq; alterius

rius non obſeruaſſet, nec aliena, ut ita dicam, ſententia res conficere coactus eſſet; eſſetis fortaſſe Eſtenſes illuſtriores, imperiiq; ueſtri eadem, quæ olim, magnitudo ac dignitas eſſet. Senſit tamen Ludouicus, Pannoniæ ac Bohemiæ Rex, miſeræ ſpes altera Chriſtianæ gentis, dignus orbis terrarum imperio, qui ſocium hunc ſibi, hoc eſt unicum feſsis rebus auxilium, aſciuit; & quaſi cum eo communicato regno, partitaq; expeditione, ut ipſe armis, ille conſiliis hoſtem propelleret, qua ſecuritate, qua gloria lætus, non ſecus ac fratri innixus, ſuo robore, huius prudentia inualuit, preſertim cum Budæ inter ſe Nobilitas, Palatinatum appetens, diſsideret, qui ſummus poſt regiæ maieſtatis dignitatem magiſtratus eſt, tanta orationis copia, & conſilii magnitudine excelluit, ut unam atque alteram factionem ad concordiam reuocarit, eaq; hominum armatorum multa millia legem conditionemq; ab ipſo Rege coegerit accipere. Poſtremo, cum Turcarũ Imperatoris copias innumerabiles appropinquare audiuiſſet, undique omnia ſubuerti, populis communi terrore perculſis, non ille tantum animos omnium ad tutandam prouinciam reuocauit, priſtinamq; eis fortitudinem reſtituit, ſed Belgradum, multasq; ad Saui, atquæ Iſtri fluminis arces poſitas, accuratiſsime quibusuis munitionibus adhibitis, inexpugnabiles reddidit. At quanto temperamento poteſtatem illam, dignitatemq; Cardinalatus moderatus eſt, cum Diaconorum ordinem ampliſsimum decurio duceret, atque in Vaticana Baſilica ſacerdotum præfecturam adminiſtraret populo Romano, qui omnẽ ſpem in eo Principe ob ingenii acumen & rerum gerendarum præſens conſilium collocarat? Adeo nihil in uita expetendum putauit, niſi quod eſſet cum laude, & dignitate couiunctum. Ita magnus ſemper fuit, ut, cum ipſe ceteros uereretur, ſine diminutione maior eſſet, nec, quos æquales ſibi exiſtimaret, deprimeret, nec melioribus inuideret, nec humiliores contemneret; ſed hos ornaret, illos uero ingenti honore proſequeretur. Cumq; eſſet tanta poteſtate Cardinalicii ordinis,

quantam

quantam ego quidem aut uiderim, aut legerim: neminem tamen illius potentia afflixit, neminem fortuna debilitauit, neminem magnitudo oppreſsit, nemo illius dicto aut liberiore ioco petitus, nemo acri reſponſo reiectus, nemo ne eorum quidem, qui ei miniſtrarent, non modo non inclementer acceptus, ſed ne aſpere quidem increpitus. Pericles, quem Olympum uocant poetæ comici, quòd eam in dicendo uim haberet, ut tonare in concionibus, ac fulmina emittere uideretur, cum animam ageret, amiciq; circunſtantes dolore affecti, illius trophea, uictoriasq;, quòd nouies pro patria proſpere pugnaſſet, celebrarent; cubito ferunt innixum ſuccenſuiſſe illis, quòd communia ſibi cum multis, fortunæq; potius, quàm uirtutis, opera laudarent; id uero, quod maximum pulcherrimumq; in ſe fuiſſet, prætermitterent; quòd ſcilicet eius cauſa nemo unquam Athenienſium pullam ueſtem induiſſet. At hoc quanto rectius licet in Hippolyto gloriari, qui non modo non inducendæ ueſtis pullæ, ſed ne iraſcendi quidem aut indignandi cuiquã iuſtam occaſionem præbuerit? quippe qui probe didiciſſet ſeueritatem pari iucunditate condire, grauitati comitatem adiungere; ut adeuntes facile, comiter, benigne exciperet, nec ipſius auctoritas facilitate, nec aliorum amor grauitate decreſceret. fronte, uultu, ſermone, oculis occurrebat: nec, ut multi ſolent, ſellæ affixus manum tantũ, & hanc cunctanter pigreq; porrigebat. quod non tam in eo laudandum duco, quàm illos improbandos, qui effecerunt, ut hæc iam laudanda uideantur: cum paucis omnino contingat affluere fortuna, & iiſdem arrogantia carere. Ac mihi quidem non tam eius in excipiendo humanitas, quàm in audiendo attentio admirabilis uidetur. non enim oculis, non uultu, non manu, non denique toto ipſo corpore aliud agebat. dabat aures attente: percũctabatur ſæpe: ſæpe etiam dicta colligebat: ut aliquanto plus in illo audiente attentionis, quàm in te ipſo dicente, poſſes agnoſcere. Iam uero, quanta inerat in reſpondendo dignitas, quanta grauitas,

quanta

quanta ſuauitas, ſententiarum uerborumq; ingens pondus, ſententiæ neque leues, neque de communi hominum opinione, ac ſenſu ſumptæ, ſed graues, tanquam de media prudentiſſimorum ac prope doctiſſimorum uirorum porticu depromptæ. Cum uero illius oratio breuitatem grauitatemq; regiam contineret, ab omni quoque fuco procul eſſet, minime tamen aut obſcura, aut aſpera, aut ieiuna uidebatur, ſed illuſtris, integra, periucunda, multarumq; rerum grata quadam uarietate diſtincta, atque mira urbanitate conſperſa. Ipſe autem, ſi quid à quopiam peteret, iis utebatur uerbis, ita blandis pariter atque honorificis, ut non dare te illi beneficium, ſed accipere ab eo ita petente iudicares. quodq; de multis ſæpe falſo circunfertur, neminem unquam triſtem dimitti ſolere: nemo eſt omnium mortalium, in quem hoc magis, quàm in Hippolytum, conueniat: qui, ſi quando re aut opera non poſſet, emori pene mallet, quàm non ſuis illis officiis, ſuauiſsimi ſtudii plenis, omnino ſatisfacere. Non dico, quemadmodum perſonam Alphonſi fratris tutatus ſit, ut non ſolum animis, ſed oculis etiam omnium, habitu, ſtatu, inceſſu, ſeſsione ſeruierit. Mitto, ad tantum euectus gradum quàm procul ab omni fuerit æmulatione, contentione, oſtentatione preſertim ingenii: quæ quàm iucunda, tam præceps inconſultaq; ſolet eſſe. Nec illud commemoro, ſecundis cum rebus nihil de prioris uitæ moderatione manſuetudineq; immutaſſe, aduerſis nihil item de auctoritate, firmitudineq; animi decedere paſſum eſſe. Taceo domeſticum ſplendorem, hominis uirtuti ac dignitati reſpondentem, uitæ cultum cum elegantia & copia. Commemorare nolo frugalitatem & gubernandi rationem. qua uirtute licet Principes ornari non ſoleant, qui ſi iuſti, fortes, ſeueri, magnanimi, graues, largi, benefici, liberalesq; ſint, priuatorum hanc laudem non amant: nulla tamen res compoſiti animi tam index eſt, quàm domeſtica diſciplina; ex qua etiam facillime perſpiciatur, cui potiſsimum ſumma rerum tutius credi poſsit; cum, qui ſe

ipſos, ſuamq; familiam, nulla ratione adhibita, negligunt, ſine dubio ad regendam rempublicam inepti plane uideantur eſſe. Hippolytum autem (quis credat?) inter tot negocia, quibus nemo unquam noſtra tempeſtate plura maiora ue geſsit, aut exercere potuit, in re domeſtica, tanquam optimum patremfamilias, diligentiſſimum, atque accuratiſſimum fuiſſe laudare poſſumus. Sed quis tam, obſecro, eloquentia polleat, cuius tam larga felixq; dicendi copia, quæ tantum hoc ingreſſa pelagus, laudum numero circumuenta, exitum non deſperet, aut, ſplendore præſtricta, quò uentus & unda agat, cæcutiens non feratur? Ignoſcite igitur, Patres, ſi multa prætereo, ſi non deligo, quæ maxime excellunt, ſi non ago oratorio more, ſi denique non ſuo quæque loco à me collocantur. dum enim cogito, quidnam pro expectatione ueſtra, & magnitudine rerum dignum eloqui poſſim; dum aliud mihi ex alio occurrit; dum optimum iudico quicquid præterierim: (quando præterire multa, ex infinita pene copia, neceſſe fuit) inde factum, ut me oratio, materq; ipſa orationis diſpoſitio deſtituerit. An ego illius cogitans pietatem, cum ſummo Deo ſeſe à puero uouerit, dederit, dicauerit, alieni ſe abſtinentem præſtiterit, ſtatis horis laudes, precesq; ſuas nunquam præterierit, pauperes iuuerit, ſacras cæremonias, atque Pontificia miniſteria ſic tenuerit, ut nullam aliam rem cogitare, didiciſſe, feciſſe unquam uideretur; quot pro Alphonſo fratre, quot pro patria ærumnas ſuſtinuerit; quantam auri uim profuderit: an hæc, inquam, cogitans, ad alias ſimul eiuſdem laudes, quæ menti occurrunt plurimæ, animum adiicere, easq; pro cuiuſque dignitate oratione poſsim explicare? Audiuimus multos in hoc Cardinalicio ordine magnos uiros fuiſſe: ſed audiuimus tantum. dicuntur multi de pauperibus benemeriti, ſed dicuntur duntaxat. legimus multorũ ad ſacros uſus largitiones, ſed legimus tantummodo. hunc uero noſtris oculis uidimus, ſenſimus, experti ſumus, non famæ, non moribus, non hiſtoriæ, ſed noſtro iudicio, noſtris ſenſibus, nobiſmet ipſis

bismet ipſis credimus. Itaque celebrent in illo alii iuſtitiam in populis gubernandis, quòd neque crudeliter quidquam eripuerit, nec leuiter remiſerit. laudent illum alii in Pannonica Legatione ad Mathiam; alii in Bononienſi ad Leonem X. admirentur; alii uero, in magiſtratus ſui adminiſtratione quàm parce potentia ſit uſus, quàm ſancte ſeruari leges uoluerit. me quotauis illius iuſtitiæ portio adigit, ut in ea una, quæ campum mihi dedit ampliſsimum, prætermiſsis ceteris excurram. Quàm multis illum uiduis, quàm multis pupillis opem tuliſſe, quot uirginibus dotes dediſſe, quot miſerorum inopiam ſubleuaſſe, quot exulum miſeriis opem tuliſſe, quot nobilium egeſtatem ſuſtentaſſe exiſtimatis. quin & legem quandam ſibi non ambitionis, ut multi, ſed pietatis cauſa indixerat; ut quodam quaſi uoto teneri illum iudicares. Puellis maritandis, & publicæ ſodalitati, ad id opus inſtitutæ, multum dedit, & priuatim multum contulit; neque annum prætermiſit ullum, quo non dotes ſupra decem perſolueret. Nec minori templa, xenodochia, quæ hoſpitalia appellamus, liberalitate proſecutus. quæ facile laterent, ſi uno tantum in loco geſta eſſent: ſed quia in Pannoniis, Mediolani, Romæ, Ferrariæ ante omnium ora geſta ſunt, propterea tum ad noſtram, tùm ad omnium mortalium notitiam peruenerunt. Quis hæc audiens, Patres, tamq; amplam largitionem intelligens, non illum credat ceteris impendiis peperciſſe, ut huic uni poſſet rationi ſufficere? Ipſe autem cum ueræ liberalitatis, quæ inchoata abſiſtere neſcit, omnes articulos teneret, optimeq; ſciret, ubi opus eſſet, parcere, &, ubi res exigeret, effundere, integras ſæpe Legationes hoſpitio accepit, Duces, Reges conuiuiis, apparatu, ludis, ſpectaculis honorauit; nobiles, & in quibus aliquid antiquæ ſtirpis, reſiduæq; uirtutis ac nobilitatis eluceret, fouit, excepit, amplificauit: familiam tantam aluit, atque remuneratus eſt, quantã uix alius unquam præter prædia, & ſacerdotia, ceteraq; multa, quæ largiſsime in uſus quotidianos elargiebatur, cũ præſenti auro, tum

magiſtratibus, partim emptis, partim, quorum uendendi poteſtas penes ipſum eſſet, donatis. familiæ ſupra quinquaginta aureorum millia largitus eſt. Aedificent alii palatia, molesq; ſaxeas in cælum ferant. ſuum alii genus, accumulatis diuitiis, cum ſumma nobilitate certare contendant. alii uero incumbant theſauro, & ſoccis etiam habeant auro ſuppactum ſolum. nullum eſt magno Principe, immortalitatem exoptante, impendii genus dignius, quàm quod erogatur in egentes, in Deum colendum, in familiam commodis augendam. Nec defuit tantæ uirtuti ſuus honos. contigit enim illi, quod haud ſcio an alteri noſtra tempeſtate, ut tanta poteſtas non modo non odioſa, ſed etiam grata, popularisq; haberetur. itaque nemo unus uni homini tam carus unquam fuit, quàm hic humano pene generi uniuerſo. Nam quid ego de populi in eum miro amore dicam? ſed detur hoc patriæ, detur generi, detur parentibus. Mediolanenſes non ne extremam ſortem pro illius nomine, quod apud illos numinis loco colebatur, adire uoluerunt? Quid uero tua illa, Hippolyte, ad urbem Romam profectio? cum omnis ordinis, omnis generis, omnis denique fortunæ infinita pene frequentia obuiam ſe ferret; omnis Flaminia uia, omnis Campus Martius, tota denique urbs facibus per luceret; tuumq; nomen, clamoribus populi ingẽtibus repetitum, Tiberis ripæ, ipſi ſeptem colles perſonarent; tectaq; ipſa pene ſeſe commouerent. ſiue enim in communi gaudio ciuitatis uenienti gratulabantur, magnum iudicium: ſiue tui cupidi uidẽdi progrediebãtur, eo maius. ſin utrunque, quid omnino potuit magis honorificum excogitari? Quid illo acerbiſsimo obitus die? an non tota urbe, ut mæror publicus ſic publicum iuſtitiũ fuit? Nam de familiæ in eũ amore, ſtudio, fide, pietate quid opus eſt multa narrare? familiæ, inquam, illius infelicis, quæ non lucra, non munera, non beneficia, ſed ipſum Principem pro pretio complexa, rara illa fidelitatis exempla, à paucis ſapientiæ profeſſoribus tantum aliquando ſeruata, intermiſſa iam, & uetuſtate prorſus obſcurata,

ſcurata, propter unum Hippolytum in lucem reuocauit, per tela, per hoſtes, per omnia uitæ diſcrimina illum ſecuta, nullos labores, nulla itinera, nulla pericula declinauit: ut etiam ſi uitam pro illius dignitate profudiſſet, nullam partem uideretur illius meritorum aſſecuta. Quid Principum erga eum ſtudia commemorē? Nihil dico de Leone X. Pontifice optimo, nihil de Iulio II, nihil de Regibus Neapolitanis, quàm comiter eum, quàm honorifice, cum rés illorum ſtarent, exceperint. In Pannoniam cum ſe recepiſſet, tanto ab inuicti animi Mathia, Ludouicoq; Regibus, proceribusq;, natura alioquin aſperis, in honore habitus, ut ne præſenti quidem Pontifici maximo maiorem natio etiam religioſiſsima exhibere poſſet. Quid in Sarmatia à Sigiſmundo? non ne ille, immo uero certatim Reges omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, pro illius dignitate egerunt? & illic potuit ne quiſquam aut ab ipſo Rege, aut ab omni nobilitate ſtudioſius unquam obſeruari? De ueſtro autem in eum amore, obſeruantiaq;, Patres, quod apertius quæram argumentum? extat in uultu cuiuſque ueſtrum mæſtitia, & in frontibus animorum iudicia perleguntur. uos quidem ipſi teſtes uobis eſtis, quantum illi tribueritis. Quid illi poſtremo maius potuit contingere, quàm Alphonſi fratris eximia pietas, tum in omni uita, tum uero eius maxime obitu declarata? nam, ut prætereạm, quæ uiuenti ſæpe officia præſtitit, quantoq; ſtudio coluerit, in eo nunc & laudando, & ornando minime defatigatur. familiam remunerat, ſacellum dedicat, ſepulcrum erigit ingens, nobile, dignum Hippolyto, dignum quod ab Alphonſo Principe Hippolyto fratri fiat. C. Iulio Cæſari Dictatori, cum Cn. Pompeii deiectas ſtatuas reſtituiſſet, M. Tullium Ciceronem dixiſſe fernnt: Dum illius reſtituis, erigis tuas. Cur non ego hoc apud te uſurpem, Alphonſe Princeps; qui tantum Hippolyti fratris memoriæ conſulas; cum hæc tua, ut uno complectar uerbo, bonitas in Hippolyti monimentis æternum ſit trophæum habitura? Quid dignum magnitudine iſta animi tua

tibi

tibi precer, aut quid iſti optem tam pio, tam ardenti, ac uerè fraterno amori? Det tibi, quam mereris ætatem, ſummus Deus. nam ſi det quam uelis, minus tamen, quàm & ipſi cupimus, & tuæ uirtuti debetur, profectò det. ſeruet idem Deus quem dedit animum: ſemper bene facias, neque in eo aut animus tuus, aut fortuna langueſcat, felicitatemq; tuam ſummam eſſe ducas, feciſſe felices. Te uero, Hippolyte, quæ tam ſubito miſeræ Italiæ importuna mors eripuit? quod fatum extinxit? quæ infelicitas oppreſſit? quis ergo illius libertati ſtudebit? quis in tanto naufragio diſiectæ nauis clauum tenebit? quis ſtudia bene fortiterq; ſentientium accendet? quis audẽtibus ducem ſe præſtabit? Huccine Regia illa Boiorum, unicum cum uirtutis, tũ ſanctitatis, ſeueritatisq; præſidium, huccine terror ille familiæ tuæ decidit, qno ſemper Barbaria omnis intremuit? O prouinciam Italiæ quondam ocellum, nunc meram lippitudinem. o miſeros populos, o infelices, qui te uno nitebantur, in tua unius ſpe requieſcebant, nullos caſus pertimeſcebant; quibus omnis calamitas te uiuente leuis uidebatur; quòd minime uererentur, quin tuis conſiliis, tua ſapientia, ac uirtute omnibus caſibus, atque infortuniis uendicarentur. Iſta mors uaſtitatem agris, ſolitudinem urbibus, exitiũ gentibus attulit. Iſta mors nouos in Italiam adduxit exercitus. Iſta mors iugum Italiæ impoſuit. nunc denique ſentiunt ſeruire ſe populi, quibus nulla reliqua ſpes libertatis te mortuo remanſerit; ſed magis ſentient in dies, cum te magnæ res, ingentesq; occaſiones, ac neceſſitates poſtulabunt. De te enim omnibus moleſtiis liberato, omnibus anguſtiis erepto, omnibus iam periculis exempto, quid dicam aliud, niſi tecum actum eſſe feliciter, qui noſtro æuo uirtute animi, ac magnitudine, magis quàm euentu rerum, felix, exemplar ueræ fortitudinis, prudentiæq; fueris, ita ut cum quolibet antiquorum tuas uirtutes reliqueris comparandas. Pugnaſti cum fortuna maximis ſuffultus tuarum uirtutum auxiliis; à quibus plus accepiſti dignitatis gloriæq;; quàm

quàm abs te illa bonorum ſuorum abſtulerit. Præſtitiſti patriæ non minus certe, quàm debueras, plus profecto, quàm aut aliquis unquam præſtiterit, aut ab aliquo ſit ullo unquam tempore poſtulatum. Tu quidem unus noſtra tempeſtate inter mortales natus es, qui in ſumma poteſtate ſumma moderatione ſis uſus. Itaque uirtus tua nunquam intremuit, nunquam prudentia hæſit, nunquam iuſtitia claudicauit: probatus patriæ, iucundus amicis, carus tuis, omnibus denique gratus. te cognati ſtudioſum neceſsitudinis, te familiares beneficum, te bene meriti memorem, te iniuria preſsi auxiliatorem, te periclitantes ſeruatorem, te uirgines patrem, pupilli tutorem, pauperes elargitorem, templa inſtauratorem, xenodochia adiutorem, ſacerdotia paſtorem, cæremoniæ, miſteriaq; Pontificem ſenſerunt, ac re ipſa cognouerunt. Tu populis, patriæ, principibus, Regibus carus, ac iucundus: ipſi tibi pariter cariſsimi, tuisq; beneficiis ornati nunc tuum obitum iniquiſsime ferunt. Habes denique tanti fratris teſtimonium, ex quo cineres oſſaq; tua quaſi quodam ſolatio fouentur. ſi non ſpiritu inter nos, ſaltem uirtutis laude uiuis, æternumq; uiues. Habes, quod homini dari poteſt maximum, gloriam, ac laudis æternitatem. neque tam ſaxis, quàm monimentis perpetuæ laudis, tuum nomen incidetur; ornatusq; ueriſsimis laudum titulis hominum memoriæ traderis ſempiternæ. nec erunt tam ingratæ literæ, ut de te non perpetuo loquantur, tuam gloriam immortalitati non conſecrent: nec tam iniurioſa poſteritas, ut te non in primis, tot expreſſum imaginibus, cognoſcendum exiſtimet. illa te mirabitur, illa ſola uirtutum incorrupta teſtis laudabit. Principes imitabuntur, imitandumq; ſuis liberis proponent. te in omnibus concionibus oratores memorabunt. tua ſemper grauitas, tua fides, tua conſtantia, tua probitas, tui mores, tua in republica tuenda cura, atque prudentia omnium mortalium ſermonibus ac fama celebrabũtur.

Nec

Nec uero admirabilis illa, ac incredibilis, planeq; diuina uis ingenii tui, magnitudo conſilii, tolerantia rerum humanarum, robur animi excelſi unquam ſilebitur. Poſtremo omnes Italiæ nobilitatem, auctoritatem, libertatem, quæ te uno nitebantur, hæc pene omnia tecum ſublata, & tanquam conſepulta ſimul interiiſſe fatebuntur.

ALPHONSI FERRARIENSIVM DVCIS III. LAVDATIO.

MISERAM profecto, multisq; obnoxiam in primis eſſe calamitatibus mortalium uitam, nemo eſt, qui non quotidie uel ſuis caſibus, uel alienis doceatur euentis. Ac tu quidem, Hercules Princeps, cum & græcas, & latinas hiſtorias peruolutaueris, humani generis conditionẽ unus optime omnium, pro tui iudicii præſtantia, cognouiſti. uerum quæ te doctrina, quænam antiquitatis obſeruatio magis, quàm tuorum funera, de communi omnium, qui hanc in lucem editi ſunt, infelicitate potuit erudire? certe tua uirtus, quo maiores ei tenebræ circumfunduntur, eo clarius elucet. non enim luctus domeſticus, è creberrimo tuorum interitu ſuſceptus, animi tui uim afflixit. pugnaſti ſemper cũ fortuna, eamq; tuis optatis aduerſantẽ egregie ſuperaſti. Sed exclamandum eſt in parentem omnium naturam, quæ nos odio potius nouercali, quàm materno amore proſequitur. cuius æque ſi quando bona ac mala pendere uelimus; inueniemus, nihil propemodum homines à ceteris animantibus differre, immo potius deteriori ſtatu procreatos eſſe. nam etſi mentis ac rationis munere uidentur excellere: tamen hæc prærogatiua prodeſt illa quidem interdum, ſed, ut uſu compertum eſt, & ſæpe, & uehementer obeſt. quis enim, quæſo, ſua mala libenter admittit? quis æquo animo perniciẽ, & ea, quæ plurima homini contingunt, incõmoda, ceruici ſuæ ſentit atque intelligit imminere? quæ quoniã in cognitionem noſtram cadunt, maiore iccirco dolore afficimur, grauioremq; triſtitiam animo ac mente concipimus. quo fit, ut omnem uitæ noſtræ curſum in labore corporis, atque in contentione animi peragamus. quis enim illius incredibiles uigilias & labores, huius admirabiles curas ac dolores exponat? Excidia, ruinæ, iacturæ, naufragia, cruciatus, exilia, & cetera, quibus ipſæ animi ægritudines pa-

riuntur, ex huius genitricis noſtræ gremio uberrime in capita noſtra redundant. Et quaſi hæc illi parua ad calamitatem noſtram, miſeriamq; uideantur, quæ ſunt grauiſsima: illud extremū, proh dolor, ac nimis horrendum firmiſsima lege ſanxit, ut ſemel homini ſit omnino moriendū, & ex hac pulcherrima, rerumq; omniū iucundiſsima luce diſcedendū. O legē terribilē, & extimeſcendā; o teterrimū immaniſsimūq; decretū; o iugum aſperum, & intolerabile. Ad id ergo naſcimur, ut in tam amara, tam difficili, tamq; breui peregrinatione, fatorum arbitrio rapiamur? à quibus nulla uis auri, nulla imperii magnitudo, nulla uirtutis aut formæ gloria, nulla ſtemmata, nulla nobilitas quenquam exemerint. Tam impio decreto illud quoque adiectum eſt, ut huius neceſsitatis tempus ignoraremus, terminumq; ipſius migrationis ab oculis noſtris natura longe remouerit. nec enim illi curæ eſt, matura ne an immatura ætate moriamur: immo uias mille ingenioſa reperit, quo facilius ad tam grauem exitum delabamur, miſeri, quorum uita quandoque breuior eſt, quàm earum beſtiolarum, quas ait Ariſtoteles apud Hyppanim fluuium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, eadem die, qua naſcuntur, obire. Hæc uero licet dura, aſperaq;, & pene intolerabilia ſint, attamen multo difficilius atque iniquius pateremur, niſi pro certo haberemus, ſummum omnium rerum opificem id ita iuſta deliberatione conſilioq; conſtituiſſe. Quam quidem ſententiam, quoniam ſubterfugere neminem poſſe ſcimus, æquo tranquilloq; animo feramus neceſſe eſt, illiusq; nutui pareamus, quem omnia elementa, & quæcunque creata ſunt, nulla controuerſia, reuerentur. quicquid enim corrigere nefas eſt, leuius fit patientia. Sed multi ceruicem à tali iugo ſe ſubducere arbitrantes, uana proteruitate animum inflati, ambitione, auaritia, ſuperbiaq; tranſuerſi aguntur. In quos recte illud à Poeta dictum eſt: O curas hominum, & quantum eſt in rebus inane. o ignaras hominum mentes, qui longas ſpes, et inanes curas ſuſcipiunt, quas deinde, præter

ter eorum opinionem, fallet euentus: quorum opera futura ſunt eiuſmodi, quales araneorum telæ, aut puerorum in compitis erectæ caſæ. nihil eſt enim in uita tam firmum & ſtabile, quod uno momento temporis non extinguatur. Præclare igitur ſanctiſsimus ille poeta Dauid fluxam & inſtabilem rerum humanarum conditionem exponens, ait futurum, ſi in altera libræ lance uanitas ipſa, in altera autem hominis ſtudium fuerit impoſitũ, ut ipſa uanitas longe multumq; præponderet. non potuit apertius hominum amentiam explicare: qui præclara cupientes, & eam deinde cupiditatem in res fluxas & inanes conferentes, turpiter irriſi, & æternis ignominiæ maculis aſperſi relinquuntur. Vt autem in turbato mari fluctus ipſos magnitudine & fremitu inter ſe diſpares ſubinde attolli, atque repente frangi cernimus: ſic in his falſis undis, & quaſi quodam humanarum rerum æſtu, alios extolli, atque repentino motu deprimi uidemus, alios uiciſsim ad eum locum aſcendere, unde ſint etiam ſtatim deiiciendi, ruinæq; magnitudine conterendi. Iam, quæſo, ad nos ipſos aliquando reuertamur; ut, nihil aliud nos eſſe, quàm puluerem, & umbram, intelligamus. Quæ quidem cum à Democrito ſumma cum prudentia animaduerſa, ac notata eſſent, huius humanæ uitæ curſum conſtanti animo deſpicere auſus eſt. cuius ut in dies maiori faſtidio teneretur, omnia urbis monimenta, ut ſepulcris legendis in memoriam mortuorum rediret, continuo inuiſere ſolebat. Nobis autem, qui Deum opt. Max. Chriſtumq; eius filium colentes, ſperamus fore, ut aliquando a mortuis excitemur, & regiæ eius beatitudine perpetua perfruamur, dum exitialem uoluptatum appetentiam, atque improbas noſtras cupiditates coerceamus, atque in horribili & tetra morte omnem noſtræ cogitationis aciem defigamus: (quo quidem nihil in homine uere pio ac ſapiente præſtantius, laudabilius, ſanctiusq; inueniri poteſt: ſiquidem Platonis præclara ſententia eſt, omnem ſapientis uitam mortis meditationem eſſe) nobis, inquam, quos recte factorum præ-

mia; ſcelerum ſupplicia manent, quid agendum eſt? hoc uidelicet unum, hoc quidem omni ſtudio, ut, quid futuri ſimus aliquando, interdum, atque adeo ſæpe meditemur. Sed, heu, non in Gyarem, aut aliquem in carcerem conditi aſſeruamur, non in ultimam Orchadum Thylem damnati ad tempus tranſmittimur, ſed eò relegamur, unde nunquã niſi extremo omnium iudicio poſt multa annorum ſæcula redituri ſumus. Quæ res quantum inferre terroris mortalium animis debeat, ex eo intelligi poteſt, quòd nõ ſine ſummo honore commouemur, ſi quando morientem quempiam inſpicimus, lacrymisq; & gemitu communem omnium ſortem calamitatemq; ſignificamus. Hinc in amicorum, affinium, cognatorumq; morte mæſti dolemus, gemimus, & affligimur, & eo triſtiores ſumus, quo propius nos caſus ille attingit, & mortuum ipſum magis amamus. Et cum ipſius amici caſus per ſe ipſum nobis amarus moleſtusq; ſit, propterea quòd ab illius amicitiæ commercio diſtrahimur atq; auellimur, nihilominus noſtram quoque uicem dolemus, qui rem nobis cariſsimam iucundiſsimamq;, nunquam eam redempturi, amiſimus; eo quòd natura nos ad ſocietatem genuerit, ut alter alterius (quod etiam in beluis obſeruari cernimus) conſuetudine delectemur. ſic enim Hercules Phyloctеten, Lælium Scipio, Oreſtes Pyladem, à ſuo nunquam latere diſcedere patiebantur. Quid illos in amicorũ funere egiſſe remur? Nam & Achilles non prius arma cepiſſe fertur, quàm mortem Patrocli audiſſet, cum ad id antea non Vlyxis adductus eſſet facundiſsima oratione, non Neſtoris auctoritate, non Phœnicis precibus, non regiorum munerum magnitudine, non cara Briſeide reddita. quodq; ab illo hæc omnia non impetrauerunt, expreſsit miſerandus amici ſuauiſsimi caſus, & ſubiti doloris impetus eximius. Quamob rem, Hercules Princeps, quis eſt, qui dolorem tuum infinitum, atque incredibilem luctum in tam graui, tamq; omnibus deflendo caſu Alphonſi inuictiſsimi patris tui aut accuſet, aut miretur? nemo profecto eſt tam durus,

durus, aut humanitatis expers, qui id audeat. quin omnes potius communem calamitatem cognoſcentes tecum luctu publico gemimus, ac mæremus. Quid enim? non amicum, non familiarem, non ſocium, ſed heu patrem cariſsimum luges, & eum patrem, qui cum tibi natura carus eſſet, uirtute cariſsimus & tibi, & cunctis ciuibus, ac populis nunquam non fuit. ac neſcio, an ea, qua tu illis, pietate, atque obſeruantia patrem ſuum ullo tempore quiſquam coluerit. par tibi fortaſſe aliquis in animi mærore fuit, ſuperior certe nemo. Atque hunc luctum eo leniri difficilius eſt, quòd alieniore tempore hunc mors, in medio nimirū gloriæ ſuæ curſu, eripuit, quam bello Rauennati, et paulo ante bello Veneto non mediocrem pro ætate ſua ipſe ſibi pepererat, qui non tantum Eſtenſium domus columen, ſed etiam totius Italiæ ſplendor extiterat. Accedit etiam grauior illa cauſa dolendi, quòd hic caſus antiquorum tibi uulnerum; & ſopitarum iam pene plagarum memoriam refricauit. nam in primis Alexandri Pontificis, aui tui materni, tum ampliſsima fortuna, tum conſilio et auctoritate merito Pontificis mortem in memoriam redigit, quem fere decem natus annos ex hac luce migrantem puerilibus oculis aſpexiſti; et Albertum Nicolai filium, animi magnitudine atque præſtantia, et omnibus iis, quæ ad Principem pertinent, inſignem, nec multo poſt Alexandrum fratrem eius non ſine magno eorum, quibus præfuerat, fletu, mortuos ſuggerit. Et ut alia ſigillatim repetam, Cæſarem Borgiam, ipſius Pontificis filium, eundemq; auunculum tuum febre correptū, cum ab omni impetu, omniq; iniuria et externa, et ciuili totam fere Flaminiam præclare defendiſſet, & Iſabellam ſororem patris, uxoremq; Franciſci Mantuanorum Reguli, forma in primis, ac moribus ornatam, quos ex hac uita decedētes prope puer ſenſiſti, in memoriā reuocat. Quid porro acerbius, aut grauius animo tuo poteſt obuenire, quàm id reminiſci, in quo egomet referens ſingultu lacrymiſq; impedior? Lucretia Borgia, tua ſanctiſsima mater, cuius præ-

præclariſsimas laudes, & eximiam animi uirtutem referre, neque huius loci, neque mei, quod tenuiſsimum eſſe ſentio, ingenii eſt, ſingulari uirtutum copia, morum ac ſermonis grauitate, noſtri ſæculi matronarum uere Princeps interiit. Subticere ſtatueram Sigiſmundum, atque Cardinalem Hippolytum, patruos tuos, qui ſecundo loco commemorandi erant: ſed Ferraria, ſed Italia, ſed uniuerſa Chriſtianorum reſpublica, decennali dolore nondum deſinentibus lacrymis, tantam à me iacturam præteriri non eſt paſſa. Quanta autem Hippolyti uirtus ac ſapientia fuerit, facile inde intelligi poteſt, quòd eo uiuēte, omnes Italiæ gentes, populi, Principes nexu quodam animorum iuncti, concordia, fœdere, amicitia in fide ac pace conſentientes & cōcordes quieſcebant, quòd eorum lites cauſasq; tanto conſilio, prudentia, auctoritate ipſe componeret, ut mutuis inter ſe diſſenſionibus depoſitis, in rebus omnibus ſine ulla diſcrepantia ad amorē beneuolentiamq; traducerentur; mortuo autem eo, rupta fœdera ſint, neglectæ pactiones, diſiectæ diſſolutæq; leges, iura peruerſa, è ſinu pax excuſſa, aperta belli ianua, emiſſus è limine furor, Erynnis ipſæq; Eumenides ab inferis excitatæ ſint, quæ ferro igniq; Italiam peruagantes omnem, cædibus & ſanguine impleuerunt.
Talem igitur uirum, cuius memoriam tuebitur poſteritas omnium ſæculorum, mortis iniuria, & huius excelſæ fortunæ inuidia in ſummo felicitatis faſtigio, cum æterna uita dignus eſſet, oppreſsit. Poterat hæc omniū grauiſsima moles fortiſsimi cuiuſque uiri animū non ſolum frangere, ac debilitare, ſed ipſius Socratis Soloniſq; uiſcera præ dolore diſrumpere. quod in te procul dubio eueniſſet, niſi tu dignitatis tuæ, uiriliſq; animi partium memor te ipſum ab hoc indecoro officio uindicaſſes, tuaq; iuſtitia ac fortitudine prudentiſsime dolorem temperaſſes. quod ſane minime fuit à nōſtra, omniumq; opinione diuerſum. uidimus enim te ſecundas etiam res moderate, admodumq; æquo animo ferentem. quo nihil eſt in ſummo Principe honeſtius, nihil

inueniri laudabilius poteſt. Nam in tanto rerum culmine, quò te iure hæreditario, tuisq; meritis Fortuna prouexit, nunquam animo elatus, ſuperbe quicquam aut intemperanter egiſti; ſed humanarum rerum non ignarus te humiliter, comiter, ſummiſſeq; apud omnes ſemper geſsiſti. Eandem expectationem, magne Princeps, in aduerſis ſuſtines: præſta te tui ſimillimum in funere parentis: tuam conſtantiam, tuam fortitudinem, tuam moderationem, quæ aliis exemplo ac documento ſunt, ipſe imitare: neque aut à philoſophia, aut ab hiſtoria conſolationem, & auxilium petas. ſummam habes in te ipſo uirtutē. eam ne in hoc tuo caſu languere ſinas: ea utere: eam exerce: ſis, qui nomine, idem re, Hercules uere in aduerſis, duriſsimisq; caſibus, nunquam animo debilitatus, ſemper uictor, & admirandus. quòd ſi te hiſtoriæ delectant, refer tuam mentem ad Horatium Puluillum, qui, cum in Capitolio Ioui ædem Pontifex dedicaret, atque inter nuncupationem ſolennium uerborum, poſtem de more tenens, mortuum eſſe filium audiret, non ob id manum à poſte remouit, ſed uultu prorſus immutato, nullaq; animi perturbati apparente ſignificatione, tantum dixit, Cadauer eſto. Paulus uero Aemilius cum ex quatuor filiis formæ inſignis ac egregiæ indolis duos ei fortuna abſtuliſſet, quorum alter triumphum illum patris nobiliſsimum, quem de Rege Perſeo egit, funere ſuo quartum ante diem præceſsit, alter triumphali curru uectus, poſt diem tertium expirauit; eum caſum quo robore animi ſuſtinuerit, ex oratione, quam de rebus à ſe geſtis ad populum habuit, colligi poteſt. qui cum in maxima Romanorum felicitate timeret, ne quid mali reipublicæ fortuna moliretur, Iouem, Iunonem, & Mineruam precatus eſt, ut, ſi quid populo Romano aduerſi immineret, totum id in domum ſuam conuerterent. nec fefellit cupiditatem euentus. liberis enim ſubita morte ereptis, factum eſt, ut Romani potius Aemilii caſum dolerent, quàm ille Romanorum ingemiſceret. Quintus Marcius Rex cum filium ſummæ

pietatis,

pietatis, magnæq; ſpei unicum amiſiſſet, ita dolorem altitudine conſilii coercuiſſe traditur, ut à rogo iuuenis protinus curiam peteret, ſenatumq;, quem eo die lege habere oportebat, (quòd conſul erat) uocaret. His addam Periclem, Athenienſium principem; qui intra quatriduum duobus adoleſcentulis filiis ſpoliatus, iis ipſis diebus uultu priſtinam grauitatem præſeferente, orationem, nulla ex parte infracti indicem animi, grauiſsimam habuit, quinimmo caput ſolito more coronatum ita ſuſtinuit, ut nihil ex uetere ritu propter domeſticum uulnus detrahere uideretur. Anaxagoras, audita morte filii, nihil, inquit, mihi inexpectatum aut nouum nuncias: ego enim ex me natum ſciebam mortalem. Xenophon etiam cum ſolenne ſacrificium perageret, atque è duobus filiis maiorem natu nomine Xilum apud Mantineam in prœlio cecidiſſe audiret, non ideo inſtitutum Deorum cultum abiiciendum, aut omittendum putauit; immo audiens fortisſime illum pugnantem interiiſſe, Deos, quibus ſacrificabat, teſtatus eſt, maiorem ſe ex uirtute filii uoluptatem, quàm ex interitu dolorem ſenſiſſe. In horum tam forti moderatoq; animo quid inerat aliud, quàm ut egregiis conſtantiæ ac fortitudinis exemplis nos à Diis immortalibus ea lege creatos admonerent, ut omnino ex hac mortali uita decederemus? idq; non iniuria, ut cum hominem ex elementis principium habere non ignoremus, eundem facile etiam corrumpi poſſe, facile diſſolutum euaneſcere putemus: certosq; nobis fines, terminosq; eſſe conſtitutos, extra quos egredi non liceat, nulla habita ſuperioris uel fortunæ, uel dignitatis, quam quis conſecutus ſit, ratione, credamus. quæ res quamuis aperta, claraq; ſit, confirmatur tamē magis Auguſti magnitudine, Cæſaris triumphis, Alexandri gloria, Pyrrhi militari diſciplina, immenſis Darii pompis, ingentibus Antiochi opibus, uirtutum copia Epaminondæ, immortalibus Philopœmenis laudibus: quæ omnia in uentos ceu fumus abiere. Vrbes etiam, ingenti murorum mole præcinctæ, atque in ipſis terræ uiſceribus

fundatæ

fundata mœnia procumbant. quis credat duriſsima ſaxa poſſe aliquando emolliri, & ad nihilum redigi? En ubi Meſſana cincta marmoribus? ubi coctilibus Babylon? potentiſſima Carthago? pergamis ſuperba Troia? artifices belli Thebæ? iuſtitiæ cultrix Lacedæmon? ſtudiorum bonarũq; artium mater Athenæ? Denique ubinam deliteſcit, quonam euanuit caput terrarum orbis Roma? omnes in auras dilapſæ, earumq; lares eminentiſsimi ita ſolo æquati, ut nulla priſcæ ciuitatis imago, nullum pene ueſtigium extet. quid hic taces Italia, terrarum nobiliſsima? cur non quereris? cur non fatum clamas, cuius inſtituto tot populis, quibus antea ornata fueras, Samnitibus, Volſcis, Latinis, Sabinis, Faliſcis, Brutiis, Lucanis, Hernicis, Salentinis per ſe quondam potentiſsimis, orbata iaces. Aſſyriorum potentia, quæ ſub Rege Nino initium cepit, qui primus intulit bella finitimis, primusq; uictas à ſe gentes imperio ſuo adiecit, certaq; parendi lege conſtrinxit, (animaduerte, quæſo, mutationem uarietatemq; fortunæ, & quo pacto res huc illuc transferuntur) cum mille trecentis & quinquaginta annis ſtetiſſet, à Medis tandem ſubacta corruit. et ii uix ducentis poſt annis à Perſis uicti cecidere. Perſas deinde, cum tantundem regnaſſent, Macedones in ſeruitutẽ redegere. qui deinde à Romanis uicti leges & alienum imperium accepere. Eadem ruina Chaldæos, Hebræos, Sicyonios, Argiuos, Aegyptios, Tyrios, Lydos, Troianos oppreſsit. Athenienſes in primis occurrunt: qui cum omnem oram, quæ intra Pamphylicum, & Ponticum littus interiacet, poſſiderent, uix ſeptuaginta & duorum annorum ſpatio à Lacedæmoniis ſuperantur. Lacedæmonii cũ omnem Peloponneſsum, Macedoniam uſque, armis partam haberent, non multo poſt à Thebanis ſubiguntur. & ii non diu in regno perſeuerantes, ab innata & peculiari Macedonum ferocia, ac militari uirtute debellantur. Poſtremo Macedones, cum in uniuerſa Græcia nulla amplius reſpublica eſſet, quæ ſuſtinere potentiam eorum, ac uirtutem bellicam poſſet, intra

triceſimum annum ipſimet inter ſe mutuis diſſenſionibus euanuerunt. De Carthaginienſibus, quorum caſus recentior eſt, ſatis patet: qui non contenti Africæ imperio, quanta ab oceano Athlantico ad Aethiopas Nilumq; porrigitur, & quæ magnitudine ſua, diuerſarumq; gentium cultu, & multarum nationum uarietate, tertia pars orbis meruit appellari; Hiſpanias cum Balearibus, Galliasq;, & Italiam cum adiacentibus inſulis, Sardinia, Corſica, Sicilia, totam denique Europam animo anxio affectabant; multis poſtremo affecti calamitatibus corruere. Nec inter noſtros Italos aliquas tacebo Reſpublicas, Locros, Campanos, Tarentinos, Heraclienſes, Tuſculanos, denique Romanos rerum dominos, gentemq; togatam. de quibus falſum ne, an uerum illud ſit, Imperium ſine fine dedi, quia non eſt huius loci quæſtio, conſulto prætereamus. Iam plane intelligimus nihil firmum, nihil ſtabile ſub cælo, omniaq; conſumi & ad nihilum redigi non dubitamus. quod recte maiores noſtri non ignorantes finxere, Saturnum proprios natos deuorare, nec iniuria. Saturnus enim tempus eſſe creditur; & filii, quos uorat, anni dicuntur, quibus aſsidue ſaturatur. inde eſt Saturni nomen ductum: quandoquidem tempus, quod ſine mundi conuerſione effici non poteſt, in cauſa eſt, ut omnia conſumantur, ex quo dicta mors eſt. concors huic ſententiæ eſt Salomon, qui ſcripſit ſub temporis ſignificatione, ſcilicet anni, diurni, nocturni ue ſpatio, ætatem ætati ſuccedere, ſiderumq; errores, uniuerſaq; ſub cælo traduci. His igitur exemplis rationibusq; perſpectis, nihil eſt, quòd ex tuis quenquam uita excedere, quod lege communi ſancitum eſt, doleas. Illud te fortaſſe ſolicitat, angitq;, quòd ætatis adhuc conſtantis, necdum extremæ, te pater tuus reliquerit. Sed hæc abſit uulgi & imperitæ multitudinis cura. Nam ſi finem illum, cuius cauſa procreati ſumus, recte conſiderabimus: optabilius erit, ante quàm ad ſummam ſenectutẽ perueniatur, è uita diſcedere. quod enim in homine bonum eſt, id quidem ex ea parte, quæ nobilior

nobilior eſt, ex animo ſcilicet potius, quàm corpore, cenſeri nemo dubitat. Idcirco multo maiorem decet ipſius animi, quàm corporis, rationem habere, unde uoluptatem ipſam, quam quærimus, ſummumq́; bonum conſequi ualeamus. quo tandiu uidemur quodam modo fraudari, quàm diu corporeis uinculis animus noſter detinetur; quo longius ab eo diſtrahitur, quando fragilitate noſtra corporis commoda, uitamq́; protrahendam curamus. quibus conatibus nobis ipſis nos eſſe iniurios certum eſt: quos contra expeditiſsimos ad hæc omnia paratiſsimosq́; eſſe deceret. quippe ut Chriſtianorum omittam ſentẽtias, uetus eſt Platonis opinio, quæ cõſtat ex antiquiſsimis literis atq; monimentis, hominis animum æternitatis eſſe participem, nobisq́; datum ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera ſtellasq́; uocamus, ſeuocatumq́; eundem à ſocietate corporis in cælum redire: ubi corruptionis expertes, nullo temporis fine circumſcripti, æterna illa diuinitate fruituri ſumus, unde noſtros ortus duxerimus. Multa nobis ſuadent, Hercules Princeps illuſtriſsime, breuem uitam magis homini, quàm longam expedire. ſed hoc potiſsimum animo ſubiiciamus, innumeras eſſe moleſtias, in quas, ut à principio attigimus, diu uiuentes neceſſario incurrimus, adeo ut ſæpe non modo nos pœniteat ad eam perueniſſe ætatem, ſed etiam, quòd unquam in lucem prodierimus, cum acerbiſsimo animi ſenſu doleamus. tametſi noſtrorum malorum culpa ſæpiſsime eſt in noſmet ipſos conferenda: qui falſa rerum ſpecie decepti, aſsidue optamus ac petimus ea, quæ poſtea conſecuti dolemus; ut qui uitæ curriculum ad multos annos expetũt, ſed, quantis incommodis, difficultatibusq́; ſenectus affecta ſit, minime putant. Quare non temere à Satyrico dictum,

Hæc data pœna diu uiuentibus, ut renouata
Semper clade domus multis in luctibus, inq́;
Perpetuo mærore, & nigra ueſte ſeneſcant.

Idcirco traditum eſt, Egeſiam Cyrenaicum non paucis perſuaſiſſe, ut ipſi ſibi mortem potius conſciſcerent, quàm ut

in his miſeriis humanis continuo uiuerent, adeo ut ab Aegypti Rege Ptolemæo genus illud mortiferæ doctrinæ ueta retur amplius in ſcholis profiteri. Hanc opinionem Cleobis & Bythonis teſtimonia confirmant: qui cum matrem Argiam ad templum cuiuſdam numinis, cuius ipſa ſacerdos erat, humeris ambo uexiſſent; oraſſetq́, mater, ut præmium pietatis filiis id tribueret, quod homini optimum eſſe duceret, poſtridie mortem obierunt. quod idem Trophonio atque Agamedi accidiſſe legimus, cum ab Apolline mercedem templi, quod ei conſtruxerant, uitam beatiorem ſibi petiiſſent. quibus exemplis plane arguitur, mortem eſſe id optimum ſummumq́; bonum, quod hic homini euenire poteſt. itaque Silenus, cum à Migda, Lydorum Rege, captus eſſet, pro ſua miſsione id muneris dediſſe Regi ſcribitur; Homini longe optimum non naſci; proximum autem, quamprimum mori: uti dictitatum ab Euripide traditur. Quòd ſi fortaſſe huiuſmodi gentilium exempla ſuſpecta uobis Patres ſint, tanquam in religionem noſtram minime recipienda: proponite, quæſo, uobis illius ſaltem ſimplicis Iob, iuſtiq́; uiri exemplum: qui dum humanæ uitæ conditionem penderet, ſæpe queſtum aduerſus matrem ferunt, quare ſe de uulua eduxerat, aut utero eductum, nō continuo ſepulcro intulerat. Iam ſatis, opinor, conſtat, illuſtriſsime Princeps, mortem nullo pacto deplorandam eſſe, nihilq́; referre qua ætate, quo ue tempore, qua conditione ad ſepulcrum deferamur. Alphonſum, patrem tuū, nimis cito ereptum, fortaſſe quereris. ſit ita. ueruntamen ita ereptum omnes uidemus, ut lætitiam potius, quàm dolorem, inde te deceat ſuſcipere. licet multum ualere ad patris honorem pietas hæc tua uideatur, cum ita affectus uidearis, ut nemo unquam unici filii mortem magis doluerit, quàm tu mæres illius. id quod multum etiam ad tuam laudem, quæ tamen aliis nominibus eximia eſt, arbitror attinere, qui honorem patri debitum, una cum Hippolyto, & Franciſco, fratribus tuis coniunctiſsimis, qui tecum ſunt

uiuæ Alphonſi patris imagines, præſtitiſſe uidearis. quod etiam ad exemplum ualebit. iſtam enim pietatem ciues tui, ac populi tum erga ſuos, tum in te ipſum, qui parentis optimi loco nobis omnibus es, imitabuntur. quanquam non emergunt nunc, aut, quaſi antea parum perſpectæ, cognoſcuntur tuæ uirtutes. nam ab ineunte ætate eum te præbuiſti, cui pater Alphonſus optime putaret hoc imperium credi poſſe. longe ſemper à deſidia, & ab inanium rerum ſtudio tua uoluntas abſuit. legebas puer, ac diligentius etiam adoleſcens hiſtorias tum græcas, tum Latinas: equum agitabas: armato hoſti lancea occurſabas: feras inſequebare: cum urſis, lupis, apris congrediebare. Quæ effecere, ut Etruſcorum Reſpublica in libertate ſua tuenda non aliũ defenſorem, quàm te, efflagitarit; neque alium potentiſsimus Galliarum Rex ſibi generum legerit; neq; in rebus uniuerſæ Italiæ proſtratis alium Ferraria, qui apud Adrianum Pontificem maximum cauſam pro patre, pro Ferrarienſi imperio ornatius peroraret; qui non egiſti mandata Patris, & patriæ tantum, ſed obtinuiſti. Sed, ne tuarum laudum hiſtoriam texere uidear, Hercules Princeps, noli iam diutius indulgere tuo dolori; depone lacrymas, ac tibi ſtatue ante oculos innumera ac pene infinita caſuũ genera, in quos homines ignari, fortuna ducente, incurrunt. Non ignoras, quot mare abſorbeat, quot furor iraq; bellorum perdat, quot peſtilentiæ uis interimat, quot male ſuada fames, & triſtis egeſtas, ac mille alia huius generis mala, quæ mortales ad hunc exitum quaſi trudere uidentur. Quin etiam ſcimus quoſdam tam priſco, quàm noſtro ſæculo ſceleratas in ſe manus conuertiſſe. plures exilio dulci patria pulſi: multis, magno ipſorum totiusq; familiæ dedecore, turpiſsime uita eſt in carceribus, aut in locis publicis erepta. quot etiam tyrannorũ cruces, tormentaq; paſsi ſunt, quæ non ſine pauore animum perculſus audio, Phalaridis Taurum, Buſyridis hoſpitium, equos Diomedis, Scironis Saxa, Procuſtis toruitatem, Sphyngis ænigma, & alia plurima

rima

rima ; quæ noſtri quoque temporis homines, uel iure, uel iniuria, quandoque ſuſtinent. At uero pater tuus eo genere mortis obiit, quo fortes, pios, iuſtos, ſanctosq; Principes decet, in ſuo regno, in magnifica, præclariſsimaq; totius Italiæ urbe, ditiſsimo apparatu, rerum omnium opulentia, fideli amantiſsimaq; familiarium, amicorum, ciuiumq; nobilium cuſtodia, & populorum obſeruantia. nec uero obiit obſcurus, aut uita turpiter acta, ſed rei militaris diſciplina clarus, & præclare geſtis rebus admodum inſignis: lenitate uero, modeſtia, ac comitate omnes uicit. neque deerat in hoc Principe totius honeſtatis decus, ea, qua motus animorum omnes continētur, quæ ideo appellatur temperantia, & ille animorum concentus ex multiplici repugnantiũ affectionum genere: adeo ut innatã eius prudentiã, & cõſiderata iudicia rationis, ſub huius uirtutis ſalutaris præſidio confirmaſſe diceretur. & recte. noſſe enim quando libidinis immanitas à recta ſententia nos detorquet, idq; à magiſtris ac libris didiciſſe, parũ prodeſt, niſi, cũ res exigit, ratio imperium teneat, atque pro dignitate regium ſuum munus adminiſtret. quid enim, quæſo, Achillis iracundia, aut Aiacis furore turpius? quorum alter luctu atque lacrymis, quãtum ſibi ipſi diſpliceret, oſtendit; alter dedecus, impotentia animi conceptum, morte delere conſtituit. quod etiam in Alcibiade perſpici poteſt: qui cum egregiam indolem intemperantia contaminarit, ignominiæ ſempiternæ maculis eſt aſperſus. Idem Pauſaniæ, Alexandro, & reliquis eodem morbo affectis obiicitur. Alphonſus & uitia nouerat, & uitabat: uoluptates nefarias repellebat: aduerſabatur: omnes denique motus animi temerarios, atque turbulentos coercebat. iccirco magnum nomen animi præſtantis altitudine, & multis continentiæ exemplis adeptus eſt. Commemorare etiam poſſem, quàm ſæpe honeſtatis tuendæ gratia extremum diſcrimen adierit, quàm illuſtres contentiones pro iuſtitiæ defenſione, & totius Italiæ libertate ſuſceperit, quanto impetu & ardore cum ſummo fortunarum omnium periculo

riculo ſupplicibus opem attulerit : & cum hæc illuſtria maxime curaret, ne illa quidem, quæ uidentur paulo minora, negligebat, ut bonis moribus pueri inſtituerentur, iuuentus ad omnes artes excitaretur egregias, ſenesq; grauitatem ſuam ſeruarent, atque uniuerſus populus in uirtutis ſtudio cõſentiret. Quòd ſi me in hoc orationis curſu ad hiſtoriam labi ſinerem, exponerem ea, quæ pro Mutinæ ac Regii urbium recuperatione fortiter, atque laudabiliter geſſit. Iam Carpenſis acquiſitio, Flaminii conſeruatio imperii quàm amplam orationis ſegetem mihi ſuppeditaret. Neque enim fieri poſſe puto, ut hic Princeps tam longe lateq; imperium, tam multis annis conſeruaret, niſi artes præclaræ, quibus erat inſtructus, multis partibus hoſtium uitia ſuperaſſent. nullo modo, mihi credite Patres, non dico imperium augere, ſed ne Ferrariæ quidem unius imperium diu tueri potuiſſet. Mirum enim dictu, quanta populos omnes ſuæ ditionis facilitate æquitateq; gubernaret. idq; erat illi inter ceteras dotes peculiare, quòd ingeniorum æſtimator optimus iis indulgentius fauebat, qui ſtudio, induſtria, doctrina pollerent, eoq; magis, ſi ad hæc bona morum integritas accederet. hoc enim plane regium munus, & gentis Eſtenſis maieſtati conſentaneum, ac proprium ſemper fuit, munificentia uirtutem alere, inopiæ, atque innocentiæ ſubuenire, idq; nõ tam opibus, terræ uenis effoſsis, quàm iiſdem humanitatis & religionis muneribus, quibus imperium eſt aſſecuta. hoc enim arbitror Heſiodum ſignificare uoluiſſe, cum illos diuitias cultoribus ſuis elargiri affirmat. Hæc effecere, Hercules Principes, ut hæc ciuitas hactenus floruerit, ſitq; omnium gentium commune perfugium, itaq; propagarit imperium, ut id propemodũ Adriatici atque Tyrrheni maris littoribus terminetur. exemplo hoc eſſe poteſt illis Principibus, qui aſsiduo angore, ſolicitudine, & cruciatu maximo in congerendis theſauris elaborant : neque uident, in quàm fluxa, & incerta ſede ſint eorum opes locatæ, qui ad eas augendas ſola auaritia utuntur.

tur. quod enim imperii regimen in eo eſſe poterit, cui dominatur auaritia? quem effrænata pecuniarum libido à recta ratione detorquet? cum certe nõ Principem modo, ſed ne hominem quidem appellari fas eſt, monſtrum potius immane, importunum, non ex equo & homine, quales poetæ Centauros fingunt, ſed totum è leonis feritate, & uulpeculæ fraude compoſitum. Nec uero, niſi poſt inductam auaritiam, cum prouinciæ à magiſtratibus exinaniri cœptæ eſſent, Romani imperii magnitudo diſsipari cœpit, & magis magiq; labi, donec omnino corrueret: cum eſſet liberalitate auctum, atque diutiſsime conſeruatum. Nec uero ſilebitur admirabilis & pene diuina eius tum in conflandis, tum in ducendis æneis machinis, omnium grauiſsimis, industria, ac facilitas. & plane ſi omnes, qui ex omni ætate, uel etiam in ipſa Germania ſcientiam tam difficilis artis habuerunt, unum in locum conferantur, cum Alphonſo non uidentur conferendi. neque magis tormẽtorum, quàm belli artifex fuit. adeo, quæ alii excogitabant, ipſe ad exercitationem ita referebat, ut aliquid etiam de ſuo ſemper adiungeret. unde conſtat militaris diſciplinæ rationẽ nõ eſſe in erra nte opinione, ſed in natura & exercitatione ſi tã. id maxime declarat, quòd omnibus innatum eſt pugnandi deſiderium. Quæ enim gens eſt aut tam humanitate culta, aut tam immanis, & barbara, quæ non bellicæ laudis ad ſtudium naturali quodam impetu concitetur? Quantam uero illius cupiditatem natura nobis inſeuerit, ex eo facile cernitur, quòd omnes pueri infantes, ſimul atque ſentire aliquid incipiunt, tubarum clangore, ac timpanorum ſonitu capiuntur. Mirũ eſt enim, quanta certamina ineant, quanto uincendi ſtudio efferantur, quantus in uictis pudor inſit. Itidem Alphonſus in ipſius ætatis primordio dedit inſignia documenta, quanti gloriam æſtimaret. Sed omitto machinas: quas nemo conflauit peritius, duxit facilius, collocauit, ubi pugnandum erat, callidius, aptius, opportunius, rem quidem militarem uniuerſam ita ſapienter ac fortiter

exercuit,

exercuit, ut cum hoſtes retunderet, tum uero paci, ac rerum diuturnitate præclare conſuleret. teſtis Ferraria: quã foueis, aggeribus, omniq; apparatu bellico muniuit, inexpugnabilemq; reddidit. Hæc effecere, ut fortunis quiſque ſuis fruatur, ut ocioſam ac beatam uitam intra lares ſuos traducat, ut uxores, filios, familiamq; citra omnem periculi ſuſpicionem alat. Porro quemadmodum gregis paſtorem oportet curare, ut ſaluæ ſint oues, nec deſit iis, unde uiuant: ſic & Principem curare neceſſe eſt, ut populus ſaluus ſit, illudq; perficiat, cuius rei gratia imperat: imperat enim, non ut ſui ipſius curam habeat, ſed ut ii, qui ſub eius imperio ſunt, ab hoſtium incurſu tutiores per ipſum efficiantur, nec ſuſpenſo, belli motu, animo, ſed iucunde ſemper ac tranquille degant. Hi ſunt illi Principes, quorum uirtutem omnes ſummi, infimi, mediocres admirantur; quorum magnificam ſpeciem intuentes ſtudio incenduntur; qui non modo uiui, ſed multo etiam magis poſt mortem, in ore omnium ſunt; qui patriam caritate amplectuntur, uirtute muniũt, ac tuentur; qui humana omnia, quamuis horribilia, ueri decoris tuendi cauſa, deſpiciunt; qui uitam, cum opus ita fuerit, pro ſalute ſuorum ciuium profundere nunquam recuſant. iure igitur Alphonſus hominũ commemoratione uiget, qui ſeſe in medios hoſtes immiſit, ut patriam liberaret, illam animi præſtantiam imitatus, qua Codrus, morte ſua neglecta, patriam conſeruauit; qua Leonidas, ut aditu Græciæ Perſas excluderet, fortiter extremum diem ad Thermopylas obiit; qua denique. Decii ſeſe pro patria deuouentes in armatas hoſtiũ cateruas proiecerunt. Quid enim corporis elegantiam narrem? cuius aſpectu adeo omnes ſui corporis partes integras & aptas habebat, quibus eius ſpecies ornatior eſſe poterat, ut inſidere uideretur cura quædam propriæ dignitatis. erat autem non tam in colore bonitas, quàm in certa dimenſione lex quædam, quæ omnium ad ſeſe oculos raperet. poterit quidem fieri, ut alios alia magis delectent, ut in picturis:

nemo tamen honeſtiorem aut liberaliorem effigiem uidiſſe non inficiabitur : ſi illa pulchritudinis imago , quæ ſub oculos cadit , quamuis fluxa, & caduca, naturæ ſenſu iudicari poteſt . Quantum uero ad pulchritudinem animi attinet, quæ neque morbo corporis amittitur , neque ætate deflo - reſcit, neque medicamento ullo corrumpitur, quis non eã in Alphonſo cumulatiſsime inſitam fuiſſe fateatur ? ſi illam corporis honeſti pulchritudinem ad pulchri animi ſpeci - em transferamus . atque utinam ſic eam oratione liceret, atque mente licet, & cogitatione, depingere : iam uideretis patres ipſius liberalitatis fontem , unde omnes laudes emanant , atque magnitudinem animi , neceſſariam ad firmiſsimam iuſtitiæ ſui imperii cuſtodiam , negligentis mortem omnem , omnesq; turbidos motus , qui cæco impetu rationis arcem oppugnant , acerrime propulſantis . atque hac uirtute duce , ex omnibus periculis non modo incolumis , uerum etiam uictor euaſit . Taceo Iulii ſecundi , Pontificis maximi , iniuriam : taceo Venetorum impetum , & præclarum illum diem , omnium ſermone celebratum , cum Hiſpanas copias ad Rauennam clade memorabili proſtrauit . Nam Eluetiorum impetu , cum iam Gallus uictor Inſubriam & Liguriam amiſiſſet ; eo depulſo , tota in Alphonſum belli moles incubuiſſet ; miles Hiſpanus & Pontificius aduerſus Proaſtiam in Aemiliam impetum facere tentarent ; ſola ſuorum ciuium manu bis rem bene geſsit . Quocirca ad poſteritatis memoriam pertinere arbitror , extare quod fuerit de uno atque altero bello iudicium omnium . erit enim uictoria ipſa teſtis , ut hoſtium tantorum interitus honoris memoriam conſecutus ſit . Sed quid in recuperanda Mutina , Regio Lepidi , & Herbaria dicam ? Tanta enim celeritate res acta eſt , tanta in uictos clementia, ac liberalitate , ut uirtutes ipſæ inter ſe certare , omnemq; Imperatorũ gloriam æquaſſe uideantur . Quid hic memorem Coruncanii , Catonis , & Aemilii Pauli continentiam ? Quid Africani , quid Quinctii , quid aliorum principum manſuetudinem ,

nem, & in ſeruandis uictis moderationem? Bella uero nunquam ferme, niſi laceſsitus iniuria, ſumebat, nec arma illis ipſis, à quibus uiolatus fuerat, inferebat, niſi, rebus fruſtra repetitis, bellum ante, ſolenni ritu, denunciaſſet. ſuarum autem externarumq; prouinciarum, quas armis recuperauerat, uel ſubegerat, patronus fiebat more maiorum, & eorum commodis egregie conſulebat, uſque adeo ut eſſet eius uictoria ſanis hoſtibus interdum expetenda. quàm multis enim uicinis populis, inteſtinis ſeditionibus agitatis, malorum finem attulit; quanta fide ſocios, & omnes denique, quos ſemel in fidem receperat, tutatus eſt. O diuinum Principem, ueræq; laudis cupiditate flagrantem: qui cum eſſet natus ad bene merendum, neque pro amicis, neque pro inimicis pietatis ullum recuſauit officium. uidebat enim nihil eſſe in rebus humanis neque ad ſalutem generis humani fructuoſius, neque ad Dei uirtutem prædicandam illuſtrius, quàm opem ferre laborantibus, & afflictos erigere. Ergo cum nihil clarius in omni natura Dei laudem & gloriam oſtendat hominibus, quàm illuſtris piorum hominum laus; & omnis animorum contentio ad munificentiam referenda ſit: huiuſmodi Principis mortem, (ſi mors eſt, uita breui relicta, ad æternam migrare) quis eſt, qui lugendam ullo pacto cenſeat, quam amare, & nobis ipſis optare debemus? quod enim uir ille Romanorum omnium eloquentiſsimus olim prodidit, non illa mors, ſed uita potius appellanda eſt eorum, quorum laus emori non poteſt: illorum autem terribilis, quorum cum uita omnia extinguuntur. Inuictiſsimus igitur pater tuus, Illuſtriſsime Princeps, tantarum laudum ſplendore inſignis, ſine tuo, ullius ue mærore, in pace iam conquieſcat: & in illud beatum ac felix animorum concilium abeuntem nemo luctu proſequatur: qui cum in cælum breui momento peruenerit, ex illa ſublimi & illuſtri ſpecula pietatem tuam erga ſe deſpiciens, felicitati tuæ ſecundiſ-

ſimum curſum puppis aureæ uelis, leniter ſpirantes auras, & lætis annorum tuorum ſpatiis gratam, iucundamq; prorogationem à Deo optimo maximo, quod nos quoque ſimul omnes precamur, impetrabit.

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

C V M omnibus in rebus, Pontifex maxime, initio dicendi commoueri ſoleo, & eo uehementius, quo mihi grauiorē cauſam ſentio eſſe commiſſam: tum in hoc tuo gratiſsimo aduentu celebrando ita me multa perturbant, ut quantum mea fides, ardensq; deſiderium, & tua dignitas ad dicendum afferunt copiæ, tantum facultatis huiuſce rei magnitudo detrahat. Quod tamen in me ferendum crediderim: cum & id tuæ maieſtatis reuerentiæ debeatur; & proprium oratoris ſemper fuerit, uti & Demoſtheni, aliisq;, ſummis oratoribus, maximis in rebus eueniſſe legimus. Quæ enim dicendi facultas, quæ ubertas, quæ copia, quæ denique grauitas eſt, qua nunc ego me Principi meo, in referenda tantæ Maieſtati gratia, ſatis eſſe facturum exiſtimem? Equidem cum in omnes partes animo circumſpicio, omniaq; cogitatione peruoluo, nihil ſane uideo, unde potius exordium ſumam, quàm ex uniuerſo illo omnium mortalium gaudio, quod ex aduentu tuo conſtat in animis omnium eſſe excitatum. id quemadmodum ampliſsimum eſt, ſic ſeſe mihi, oculiſq; meis præter ceteras res, quæ ad dicendum occurrunt, clariſsimum ac maxime perſpicuum offert. In quo tamen illud mihi eſt moleſtum, quòd infinitæ rei ne minimam quidem partem aſſequi orationē poſſum. Summæ ſunt atque innumeræ tuæ uirtutes Paule, ſumma item ex tuo aduentu lætitia, ſumma quoque Principis mei erga te fides eſt, atque obſeruantia: ſumma igitur ad hæc explicanda requiritur eloquentia. quæ in me quidem adeo tenuis eſt, ut adumbrare uix liceat ea, quæ cuperem exprimere. Aggrediar tamen, & imbecillitatem meam humanitatis & prudentiæ tuæ magnitudo ſubleuabit. Reſpice quæſo, beatiſsime Pontifex, præſtantiſsimum Herculem, Principem noſtrum: aſpice egregiam prolem, inſignemq; huius urbis nobilitatem: intuere

tuere unumquenque ſuo ordine, & contemplare mares, feminas, iuuenes, adoleſcentes, uiros, ſenes: profecto nullum eorum reperies, qui non ſingularem, ac pene omnium incredibilem uultu ipſo ac facie lætitiam præſeferat. Arrident medius fidius parietes ipſi: tecta lætitia geſtiunt; totaq; urbs, tantum uiſura triumphum, circumfuſa aduolat. Conuerte, quæſo, paulatim tuos ſacratiſsimos oculos, Pontifex optime: nihil profecto uidebis ex hoc expectatiſſimo, & iam diu ab uniuerſo hoc populo deſiderato aduentu tuo, niſi plenum gaudii, plenum lætitiæ, & hilaritatis: uident enim uniuerſi, atque animo contemplantur eiuſmodi ſibi diem illuxiſſe, quo uel gratiorem, uel iucundiorem, uel magis glorioſum ne optare quidem potuiſſent. Nam quæ euenire poteſt aut Principi meo maior laus, aut toti ciuitati gloria, quàm eius antiſtitis præſentia illuſtrari, ac decorari; quo neminem unquam ſol uiderit potentia, uel dignitate, uel nobilitate maiorem, uirtutum præſtantia, & rerum geſtarum gloria clariorem? utinam mihi à ſummo illo omnium bonorum largitore conceſſum eſſet tantum ingenii flumen, ac tanta dicendi uis, tantaq; copia, ut, non dicam enarrare, uerum attingere ſaltem res tuas aliqua ex parte pro dignitate poſſem. ſed uereor ne, ſi de his ad dicendum ordiar, in medio ſermone deſtituar. uerum Pontificiam maieſtatem prætercam, cuius dignitas, atque amplitudo tanta eſt, ut ſilendum potius exiſtimem, (in eo quidem modeſtiæ laudem eſſe poſitam cenſeo) quàm tenuiter de ea dicendum: cum res diuina potius, quàm humana uideatur. Et ut tuæ familiæ ſplendorem omittam, quæ, tot iam ſæculis, inter nobiliſsimas, antiquiſſimaſq; totius Italiæ domos quaſi alter ſol illuxit, ex qua plurimi in rerum diuinarum atque humanarum adminiſtratione tam præſtantes extitere, ut ad ſummam laudem maxima omnium gloria peruenerint. quod hercle naturæ beneficium eſt uel maximum. quandoquidem ſi quos uide-

mus,

mus claris parentibus ortos, ad ſummos dignitatis gradus conſtat hac ſola de cauſa fuiſſe euectos. Scitum eſt enim illud Themiſtoclis dictum Seriphio cuidam in iurgio obiicienti, non propria eum uirtute, ſed propter patriæ ſplendorem fuiſſe à Lacedæmoniis ſingularibus ornatum honoribus. recte quidem, inquit Themiſtocles. Nec ego ſane, ſi Seriphius eſſem, tanta uirtutis inſignia fuiſſem conſecutus: neque tu, ſi eſſes Athenienſis, clarus unquam eſſe potuiſſes. Quod etiam multis in locis uſu uenire potuiſſe puto. non enim præclarus eſſe quiſquam poteſt in ciuitate clara, obſcuris parentibus; ortus nec, in ciuitate non celebri, clarus, quamuis genere fuerit clariſsimus. quanquàm nobiles interdum Athenas, Spartam, Carthaginem, atque poſtremo Romam, omnium ciuitatum, quæ unquam fuerunt, nobiliſsimam, dicimus, propterea quòd uiros per multos aluerit, qui conſilio rempublicam regere, ſapientia conſeruare, uirtute hoſtes arcere, imperiiq; fines propagare, et innumeris denique beneficiis patriam obſtringere poterant. et merito quidem. nam, ſi quid in illa ætate extitit præclare geſtum, dignumq; memoria ſempiterna, id ab hoc potiſsimum ordine geſtum eſt. quod ſatis eſt manifeſtum, res à maioribus tuis et à te ipſo præclariſsime geſtas memoria repetenti, tum uel maxime, cum in Germania et aliis bellicoſis nationibus, ob aliquorum Chriſtiani orbis principum ſectas, excitarentur acerbiſsima odia, atque turbulentiſsimæ ſeditiones, ita ut in optimi cuiuſque fortunas irrumperent: tua tamen prouidentia factum eſt, ut tanta hæreſis, tamq; mala inſtitutio, ab illo naturæ ſenſu ducta, ſuperſtitiones omnes atq; immanitates profligarentur, atque extinguerentur. hoc ita his tantis in rebus es aſſecutus, ut, cum gloriæ cauſa nihil facias, incredibili tamen apud omnes populos gloria circunfluas. O ſingularem ſapientiam: inueteratum iam tot annis errorem tu Pontifex ſuſtuliſti: inueteratam, inquam, tot principum clariſsimorumq; uirorum caliginem, exortam in eccleſia Dei, abſterſiſti:

ſterſiſti, & iam omnia peſtifero anhelitu maculantem uiperam cohibuiſti; diſsidentes Reges, et iampridem inter ſe armis decertantibus, ad concordiam perduxiſti: diſsenſiones, bella, tot Principum, populorum, potentiſsimarumq; nationum in quietem, pacem, tranquillitatemq; conuertiſti. & ut ad recentiora ueniamus, qua prudentia, qua bonitate omnes eas difficultates, quæ hactenus inter ſacroſanctam ſedem & Eſtenſes interceſſerant, non ſolum deleuiſti, ſed Hippolytum etiam in Cardinalium collegium cooptaſti? Ita tu Eſtenſis familiæ immortalis fautor, tu bonorum omnium, tu dignitatis conſeruator, aureæq; pacis auctor, Herculem ipſum, Principem meum, tibi ſemper deditiſsimum, obſequentiſsimumq;, proprio tui ipſius teſtimonio ornaſti, maiorum dignitati reſtituiſti: florentiſsimas urbes, oppida, ſibi hæreditario iure debita, confirmaſti. ſic tua authoritate concitatos olim fluctus pacaſti: optatiſsimam cælo ſerenitatē induxiſti; adeo ut res omnes Principis mei, populiq; Ferrarienſis in feliciſsimo portu ſub tuo numine conquieſcant. An poterit, Pontifex maxime, præclarum aliquod facinus huic tuo præclariſsimo comparari? ueteres quidem felicitatem Auguſti, bonitatem Traiani precabantur: ſed erit aliquando tempus, quo poſteri, res tuas memoriæ proditas legentes, Paulum III. nuncupabunt, teq; omni laude optatum repoſcent, felicitatem tuam, bonitatem, animi magnitudinem, omnium rerum intelligentiam, & omnium eorum, quæ in ſummo antiſtite, in ſummo imperatore deſiderantur. Poſſem equidem hoc in loco infinita, omni ſane laudis genere digniſsima, commemorare, preſertim uero illud, cum, dimiſsis undique nunciis, atque oratoribus, ut Principes potentiſsimos, perfidia hominum diſtractos, rurſus in priſtinam concordiam reuocares, re ex uoto non ſuccedente, ipſemet durum ſane, ac perdifficile iter ſuſcipere uoluiſti, neque te ætas ingraueſcens, neque difficilis nauigatio abſterruit, quo minus, ſuperatis omnibus difficultatibus, publicæ ſalutis cauſa ad

Varum

Varum uſque penetraris, Principes maximos, qui de imperio, de ſumma rerum dimicabant, ad pacem traduxeris. Neque uero me latet, quanta cum gloria aduerſus rebelles bella geſſeris; quot, qualesq; triumphos merueris; quot oppida, ciuitates in ditionem Eccleſiæ redegeris: quarum uictoriarum non inferiorem memoriam tibi comparaſti, quàm Abrahamus, Gedeon, Dauid, aliiq; ſanctiſsimi uiri meruere. Et cum, tanta ſemper cum fide, integritate, benignitate, clementia, neminem non receperis; accidit, ut merito te omnes, uelut diuinum quendam hominem, uel potius mundanum quendam deum, diligant, obſeruent, colant, uenerentur. Quibus ex rebus factum eſt, ut omnes, qui aut re, aut spe denique ſunt boni, omnem dignitatem, ſtudium, & iudicium non modo commiſſum ab hominibus, uerum etiam à Deo commendatum tibi eſſe arbitrentur. Poſthabitis igitur his rebus omnibus, quæ longe ampliorem dicendi campum poſtulare uidentur, ut quæ uires humanas excedant, ad gratulationem tantummodo, gratiarumq; actionem orationem conuertam: quanquam et hoc ſuperuacaneum, ſacratiſsime Pontifex, exiſtimo: quandoquidem tanta lætitia Hercules Princeps meus perfruitur, eiusq; uxor, liberi, fratres, ac uniuerſus populus tantis gaudiis exultant, tanta in uoluptate uerſantur, ut ipſi eam, etiam me tacente, ſuis uultibus, ſuperciliis, oculis ſatis ſignificare, & pro ſingulari decore, atque ornamento, quod ſibi, & huic ciuitati ſacratiſsimæ Maieſtatis tuæ præſentia hodierno die allatum ſentiunt, gratias agere uideantur. tibiq; in primis Hercules Dux, Princeps meus, tot ornamentis, tot meritis, tot beneficiis deuinctus ad pedes tuos ſupplex procumbit: & nos eius nomine procumbimus, non quantas poſſumus aut animo, aut oratione conſequi, gratias habentes Maieſtati tuæ, ſed quantas neque animus capit, neque oratio exequi poteſt: illumq; tibi obedientiſsimum, & obſequentiſsimum pollicemur: tibi hanc ciuitatem, tibi to-

gratulatio et gratiarum actio

tum populum, fortunas omnes, liberos offerimus. quibus omnibus tuo iure, in omnia pacis & belli munia, pro tuo arbitrio, tuaq; uoluntate uti potes. nam, cum is ſit Illuſtriſſimi Principis mei erga tuam ſanctitatem animus, ut ſua omnia tuæ Beatitudini communia faciat; quis dubitat, hanc etiam ciuitatem ad omne ſanctitatis tuæ imperiũ eſſe promptiſsimam? teq; non ſecus Herculi Principi ſubditis populis imperare poſſe, quàm propriis? utinam utinam Ferrarienſium animi tam facile oculis cerni poſſent, quàm cogitatione comprehendi. neminem profecto in tanto nobiliſſimorum hominum cœtu uideres, qui non libenti animo, ſi ita res ferret, pro tua dignitate, pro gloria ſanctiſsimi nominis tui, res ſuas omnes, fortunas, uxores, liberos, uitam denique ipſam profundere paratior inſtructiorq; ueniret. hæc enim ſemper fuit Ferrarienſium uetus conſuetudo, hoc Eſtenſis familiæ inſtitutum, ut ſacroſanctæ Romanæ ſedi & omnia deberent, & omnia ſemper cumulatiſsime perſoluerent. quid referam illius Aldrouandini inſigne facinus? qui, cum Acclinus, atq; Federicus Imperator, atrociſsimi Pontificiæ ſedis hoſtes, Eccleſiam uaſtarent, neq; eſſet unde aduerſus crudeliſsimos tyrannos ſubueniretur, filium cariſsimum Florentinis pro ingenti pecunia obſidem dedit. Hinc magno exercitu collecto, tanquam præſidio diuino munitum, alterum, atque alterum hoſtem repreſsit. didicerat enim è ſacris literis, eſſe quoſdam cæleſtes exercitus, qui piorũ hominum ſalutem tueantur, & ab illis, ubi opus eſt, omnem impetum atque furorem hoſtium propulſent. Hoc ſane præſidio uallatos ſe eſſe ſenſerunt Iacob atque Heliſæus, cum caſtra Dei ſe conſpexiſſe teſtati ſunt. Conferant nunc, qui uolunt, Hermocratis factum, dum florentiſsimas Athenienſium opes attriuit, & patriam ab obſidione liberauit; & illud Dionis, qui tyranni iugum à ceruice patriæ depulit. conferant Camillum, Rutilium, Metellum, Curtium, Scipionem, Catonem, Paulum, Torquatum,

& omnes

gularis, benignitas ſumma, præcipua quædam uitæ ac morum integritas, & quæ in omni ſapiente ſunt pulcherrima, prudentia ſcilicet in reſpondendo, in audiendo facilitas, in deliberando grauitas, in conficiendo maturitas, in agendo, gubernandoq; æquitas inaudita. Nam quid ego de liberalitate dicam? cum præter omnia ferme uiuendi præcepta, quæ à ſummo illo doctore nobis tradita ſunt, te ad miſericordiæ atque beneficentiæ rationem conſtet in primis animum tuum ſemper dircxiſſe. nec enim quicquam in terris fieri poteſt, quod Deo ſit acceptius, aut quo magis ad illius ſimilitudinem accedamus, quàm ferre opem miſeris, præbere refugium afflictis, tribuere miſericordiam perculſis, beneficiis iuuare omnes. nullum ſane eſt ad omnes morbos animi depellendos præſentius remedium, nulla præſtantior medicina, nulla certior in cælum uia, nulla expeditor. ita ſingulæ partes fuerunt tibi colluſtratæ lumine ſingulari, & ita inter ſe congruentes, ut uix ulla maior conuenientia poſsit excogitari. nullus enim unquam error tibi in mente fuit, nullus motus in ſenſu, qui rationis imperium detrectare poſſet: ſed ineſt in te cæleſtis illius æquitatis, quæ animum ad omnem ſanctitatem inſtruit, fidiſsima cuſtodia: ineſtq; firma & ſtabilis uirtutis conſtantia: ineſt excellens honeſtatis decus, & pulchritudo: uoluntatem uero, neque neceſsitate deuinctam, neque cauſæ alligatam, neque ulla perturbatione impeditam ſemper habuiſti. Omnibus denique uirtutibus adeo præditus, adeo ornatus es, ut non te mortalem, ſed plane diuinum omnes arbitrentur. Omitto rerum gerendarum intelligentiam, & cognitionem, atque adminiſtrationem ſingularem eorum omnium difficillimorum munerum, quæ grauiter, conſtanter, felicíſsimeq; obiiſti. Præterea quanto cum ſtudio, labore, diligentia inſudaueris, atque inuigilaueris, ut infideliſsimos quoſdam ad ſanctam fidem, ac uerum immortalis Dei cultum traduceres, quoſdam alios confirmares: quos profecto nihil aliud, quàm immenſæ ſapientiæ tuæ uis conuertere potuiſſet: ut iam

mirum

mirum non ſit, id quod homines doctiſsimi fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Orphei cantu ſyluas, ferasq; omnes unum in locum confluxiſſe, uoluptate illa eximia commotas. ſic etiam traditur Amphiona cantus ſuauitate lapides impuliſſe quò uellet, unde uellet deduxiſſe. hoc opere Theſeus, qui primus Athenienſes per pagos diſperſos in unum locum compulit, & legibus ac inſtitutis deuinxit, immortalem gloriam eſt conſequutus. quo ſignificatur, homines illos agreſtes atque feros, qui uel ingenii tarditate, uel immanitate morum, lapidum atque ferarum ſimiles eſſent, paucorum ingenio fuiſſe moribus humanis, & ciuilibus inſtitutos: ſic tu quoque tua dicendi copia, grauitate, & ſapientia infideles illos, & à noſtris legibus ſanctiſsimisq; inſtitutis abhorrentes, ad colendam Chriſtianorum fidem, & immortalis Dei cultũ pellexiſti: qui prius habebant peruerſas de Pontificatu, deq; Deo ipſo opiniones iniquas, multisq; erroribus inquinatas, & mentes teterrima caligine obcæcatas. Neque uero timeo, ſummum illum patrem, atque rerum dominum, adeo ſcelere irritatum humano eſſe, ut non longe maiorem miſericordiam adhibiturus ſit, ut tuis ſcilicet tum ante actæ uitæ, tum præſentibus exemplis, tuis adhortationibus omnes barbaræ nationes ad Apoſtolatus ſanctiſsimi ueram religionem perducantur. O ſingularem diuinæ beneficentiæ magnitudinem, o immenſam diuinorum beneficiorum copiam, & incredibilem munerum largitatem. Hoc illud fuit, quod multis ante ſeculis à uiris diuino numine afflatis prædictum erat: Fluent ad te omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, uenite aſcendamus ad Montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias ſuas, ut ambulemus in ſemitis eius. Cum iſta igitur omnia in intimis iſtorum ſenſibus hominum defixeris, eosq; ad ſpem gloriæ immortalis erexeris, ſtudioq; diuinitatis tot populos inflammaueris, cui dubium amplius eſſe poterit, quin iam non uirtutis imago, ſed ſolidæ ueræq; tuæ uirtutis ſplendor homines, falſa ſpecie rerum humanarum errantes,

errantes, aut pernicioſis opinionibus deceptos, ad ueram uiam ſalutis attracturus ſit? nec eo animo, ut aliquod humanum præmium tibi proponeres, ſed, cum alta mente præditus ſis in omnibus rebus, quæ abs te ſingulari prudentia & incredibili uirtute efficiuntur, ſiue ad pacis ornamenta, ſiue ad belli gerendi rationem pertineant, oſtendis facillime te humana neglexiſſe, & diuina tantum ſtudio ardentiſſimo contueri. non immerito igitur te optimus quiſque diligit, omnis nobilitas intuetur, omnis Italia laude atque prædicatione certatim concelebrare ſtudet: quandoquidem non uulgari Dei optimi maximi dono atque munere, hæc totius orbis principalis ſedes tibi commendata eſt; multis atque præſtantiſsimis, quæ in te ſunt, uirtutum ornamentis affecta, non tale quid poſtulantibus amicis, non patriæ petenti, non diuitiarum affluentia, non populari gratia, ſed uirtute & ſapientia, quibus Romana ſedes indigere maxime uidebatur. in hoc quoque, Patres, Romanorũ prudentiam imitati eſtis, qui Scipionem bis conſulem effecere, tametſi conſulatum neque peteret, neque ambiret. Verum & id tibi accidiſſe puto, quod Marco Catoni, qui quo minus ipſe gloriam, eo magis ipſum gloria ſequebatur. ſic enim, mortuo Romulo, Numa Pompilius Sabinus è Curibus paruis, & humili loco, ad Romanæ urbis imperium euectus eſt, quòd iuſtitia inſignis, & ſanctitate admirabilis, ſublatis finitimorum odiis, plurimum ad Deorum cultũ contulerat & religionem. qui quidem Romanam non multo poſt ita dignitatem auxit atque ampliauit, ut paulatim omnium gentium principatum obtinuerit. Ac tu quoque is es, Beatiſsime Pater, in quo tota Italia ſuæ incolumitatis ſpem repoſuiſſe gaudet: ſperamus te munus iſtud ſuſcepiſſe, & ſuſceptum ita gerere, ut non ſolum religionem ipſam, ſi qua in parte labat, ſis erecturus, reſtituturus, exornaturus, uerum barbaros omnes, Chriſtiani nominis hoſtes, omnino profligaturus, atque omnem barbariam, quæ tantum numero atque robore corporis confiſa etiam de uniuerſo nomine

Chriſtiano delendo cogitat, non ſolum inquam longe ab Italiæ finibus expulſurus, ſed ita totam Europam, Aſiam, ipſam quoque Africam illuminaturus, ut Chriſti monimenta atque ueſtigia, terris illis ad inſignem diuini beneficii memoriam impreſſa, undique uenerari tuto poſsint. Pari enim religionis ardore multis poſt ætatibus, multos principes Italos atque Gallos duce Gothifredo, uiro ſingulari, animi uirtute & Chriſtiana pietate florentiſsimo, expulſis Turcis, atq; Saracenis, Ciliciam, & Syriam, omnemq; illam terrarum partem armis recepiſſe, & Hieroſolymam (cuius liberandæ ſtudio immenſos labores ſuſceperant) recuperaſſe traditur. Hac enim mente ante hos etiam præditus fuit diuinus ille Moſes, quem ſacræ literæ perhibent fuiſſe inter omnes mortales mitiſsimum, qui tamen & hoſtiũ copias, religione ſacra ductus, ſingulari uirtute compreſsit. Talis fuit etiam Dauid, quem unum diuina oracula laude manſuetudinis unice commendarunt. neq; enim libet exemplis omnia confirmare, qui pietatis intuitu, multarum gentium regna à barbarorum manu liberarunt, atq; omnia præclara facinora pro Chriſti nomine ſuſceperunt; cum ea omnia à te eo facilius effici poterunt, quanto maior & illuſtrior in te uirtus & dignitas elucet. itaque uis & ratio Pontificiæ dignitatis, quæ à diuina illa æternitatis præſtantia ortum & augmentum cepit, ſumum deinceps imperium conſequuta eſt. quod ſane non fabulis, & prophanis exemplis, ſed ſacrarum litterarum teſtimonio multis in locis confirmatur. conſtituit enim Dominus æternæ ſapientiæ conſilio Pontificem ſuper omnes gentes, & ſuper omnia regna, ut radices ueteres, ſi quæ malæ ſunt, minusue frugiferæ, euellat penitus, nouas autem reponat multo meliores, uniuerſiq; gregis ſumma prouidentia curam omnem ſuſcipiat, uehementerq; de humano genere ſolicitus ſit. Hæc enim nobis omnibus propoſita lex in illa diuinitate euangelica per Chriſtum, uitæ immortalis fontem, omniumq; rerum principium, dum Petrum in mare uocauerit, ſoliq; ei

legem

legem ac poteſtatem alligandi, atque ſoluendi ſub illius immenſa ſapientia conceſſerit: Superq; omnes principatus principem conſtituerit, ut diuinæ rei uices ac poteſtatem inter homines poſsideret, ac adminiſtraret. Cum in hac igitur ſacratiſsima ſede ſummaq; potentia ſis conſtitutus, ut ex tam excelſo loco ſupremi rectoris inſtar clauum teneas, mortalium in hoc mundo gubernacula ſapienter & libere tractes, hoc eſt perfectam rationem nulla ex parte ſuo numini repugnantem, quam ſummam legem appellarunt; propterea te omnes, uti in terris Domini noſtri locumtenentem, magiſtrum ac ducem uniuerſalis Eccleſiæ agnoſcere ac intueri debemus, te doctorem ſalutaris uitæ, Chriſtianæ religionis monarcham, Apoſtolicæ auctoritatis uerum heredem, Principum Principem, Regum Regem, Empyrei cæli ianitorem, culparum omnium errorumq; inter homines expiatorem ſimul & iudicem. tibi enim oues creditæ ſunt, pro quarum ſalute optimus ille Paſtor duriſsimam crucis mortem ſubire non recuſauit, quin etiam libenter appetiit. Merito igitur omnes Principes, & Reges, ipſaq; Imperatoria maieſtas, cuius munus ſemper fuit regna & imperia aliis elargiri, quæ gentilibus quondã cum Diis æqualis exiſtimabatur; tuæ Pontificali ſubditur auctoritati. Conferat autem nunc qui uolet illud imperiorum genus, quod fuit, aut Græcis, aut Romanis, ad ampliſsimam hanc tuam Pontifex Beatiſsime dignitatem. iam uidebit quanta ſit quaſi rerum diſsimillimarum differentia. Nam uetera imperia humano ſtudio & exercitatione quæſita, mortalium corporum curæ innituntur: tua uero dignitas, diuina procul dubio benignitate conceſſa, habet firmiſsimam animarum noſtrarum tutelam ab omnium bonorum datore elargitam. illa, inquam, temporalem gloriam breui interituram intuetur, tua uero nihil, niſi quod immortale & diuinũ, spectat, illa denique fluxis opibus intenta, infirma spe atq; animo de gloria tantum mundana cogitat. hæc autem tua, spretis diuitiis, ad immortalitatis certiſsimæ gloriæ fructum nos per-

ducit, atque ueriſsimo lumine ſanctitatis illuſtrata, ad uerum atq; ſempiternum Deum inflammat: cuius principiū cum ad Deum ſolum referat, inuidiam nouitatis non eſt quod reformidet: quinimmo, antequam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in terris oriretur, uerſata eſt inter homines Pontificia dignitas, quam Chriſtus optimus maximus ita auxit, & ampliauit, ut diuinarum etiam rerum ornamentum haud infimum conſtituerit. Quo fit, Beatiſsime Pater, ut mihi pulcherrimum clariſsimumq; omnium hodiernum hunc diem illuxiſſe ſentiam, cum in hoc ipſo mihi diuinitus datum ſit tantum & tam præſens numen intueri, colere, & ſaltem pura mente ac uera fide uenerari. Equidem, Beatiſsime Pater, quoties inter hos auguſtiſsimos, planeq; cæleſtibus ſimiles adſtantium ordines in hac omnium maxime ſolenni ſede Apoſtolica te collatum inſpicio, nihil aliud profecto quàm ſupernam illam in terris maieſtatem uideor admirari. Sed uideo tandem, mē, Pontifex Beatiſsime, iuuenili quadam audacia præcipitem eum curſum iniiſſe, quē tenere ulla ratione uix quiſquam poteſt. ſum enim tanquā in mare profundum & immenſum in earum rerum explicationem ingreſſus, quarum altitudine omnis humana dicendi ratio atque facultas obrui facile poſſet. Quid autem dico humanam? Cælites (me Hercule) ipſi, quorum eſt ſumma uis, infinita poteſtas, uix illo genere orationis, cæleſti, atque diuino, de tantis rebus pro dignitate diſſerere potuiſſent. tantum abeſt ut lingua mortalis, impuris ſermonibus inquinata, dignitatem tantam complecti oratione queat. incutiunt hæc omnia mentibus admirationem, opprimunt magnitudine ſua cogitationes humanas, linguam timidam & hæſitantem reddunt. Sed iam hæc, quæ pro ſua dignitate perſequi eſſet infinitum, omnino prætermittam, ut ad inſtitutum, cur ad ſanctiſsimos pedes tuos me receperim, gradum facere poſsim. Cum Eſtenſis Familia, quæ uel Ferrarienſi, Comaclenſi, Flaminiæq; ditionibus longo iam ante tempore præeſt, huius

ſedis

ſedis ſemper obſequentiſsima fuerit, maiorum ſuorum ueſtigia Hercules perſequutus, te uerum patronum, te primarium ſuum Principem agnoſcit, atque omne obſequium, omne officii genus, omne munus fidelitatis tibi & huic ſanctæ ſedi Apoſtolicæ præſtat, teq; cæleſtis uitæ ianitorem ſumma, quoad uixerit, obſeruantia proſequuturum, & pro tuæ ſanctitatis feliciſsimo ſtatu, nullum periculi, nullum laboris aut difficultatis genus recuſaturũ pollicetur, ſperans ſe inter ceteros ſedis Apoſtolicæ clientes quietiſsimum ſtatum ſub feliciſsimo hoc tuo imperio, &, ut rectius dicam, aureum ſeculum aſſequuturum. nihil enim à te uidemus niſi ſanctum, ſingulari iuſtitia maximaq; animi moderatione, agi, inſtitui, diſponi. Hinc lætatur & exultat Chriſtiana reſpublica, & præter ceteras urbes Ferraria undique lætitia, & plauſu triumphat: uiæ & uici omnes gaudio cumulantur. quid referam dies feſtos accepto tuæ creationis nuncio inſtitutos? quid ſacerdotum per urbem compoſitos comitante uniuerſo populo triumphos? Quid campanarum tinnitus? quid muſicorum inſtrumentorum ſuauiſsimos ſonitus? quid tubarum clangores? Quid tormentorum immenſos reboatus? quid creberrimorum ignium ante omnes ædes in compitis, in plateis, per totam urbem legitimos lætiſsimosq; ſplendores? quid portarum urbanarum, quid ianuarum priuatarum cum tuis inſignibus exornationes? quid denique multorum carcere detentorum relaxationes? quid memorem infinitas uoces, iuuenumq; ſenumq; nocte dieq; clamantium io triumphe, io triumphe? crediderim ſane ipſum quoque Regem Eridanum lætum caput ab undis extuliſſe. quid in omnibus templis laudationes? gratiarum actiones utriuſque ſexus Deum laudantis, qui tali optatiſsimo munere Ferrariam donarit, qui te Principem tantæ benignitatis ac clementiæ conſtituerit: quem omnes clamant, omnes fore credunt, qui pacem in primis ac concordiam inter Principes conſeruet: qui tandem ſeculis noſtris deſideratam illam, nec antea ſperatam

felicitatem

ſelicitatém præſtet. O ergo felicem tanto alumno Etruriam. o fortunatam Italiam. o tanto antiſtite feliciſsimum orbem terrarum. o nos beatos, quibus te Pontifice maximo contigit & uiuere, & abs te gubernari. Reliquum eſt Pontificum maxime, ut quando in uno te tot bona ſita ſunt, & te uno pendet ſalus orbis uniuerſi, tuæ incolumitati conſulas, quæ non ſolum tua eſt, ſed ipſius Herculis, Principis mei, immo totius Italiæ: felicitateq; iſta tua pontificia, & dignitate, qua proxime ad Deum immortalem accedis, cum æternitate frui poſsis. te enim ſaluo, ſalua ſunt omnia, ſalua inquam Italia, ſalua religio, fides integra, integri omnium animi; omnia denique fauſta, omnia pulchra, omnia fortunata, felicitatis & gloriæ plena permanebunt: tecum uigebunt illa, quæ decus ac dignitatem, quæ hominum generi quietem, otiumq; pariunt. tecum florebit uirtus, & honeſtas. tecum erimus, conditione uitæ mortales, ſtatu rerum, omniq; affluentia diuini. quæ cum uideas, conſerua nos in te ipſo, quando tibi, ut conſeruare ac tueri nos unus poſſes, ſummus Deus pro ſua erga nos benignitate conceſsit.

AD FRANCISCVM VENERIVM VENETORVM PRINCIPEM.

CVM nuper iucundiſsimus, & idem optatiſſimus ad Herculem, Ferrarienſium Principē, nuncius attuliſſet, Franciſce Princeps ampliſſime, te certantibus ſtudiis, & mirabili horum procerum conſenſu; quorum eſt, Adriatici ſinus optimum nauarchum, rectoremq; deligere; ad ſummum principatus faſtigium delectum fuiſſe, commiſſasq; tibi huius urbis habenas: tanta ſtatim lætitia affectus eſt, ut non ſolum Princeps meus ipſe, uerum & ipſi quodam modo Ferrarienſium parietes, ipſa urbis Ferrariæ mœnia, lætitia perfundi, & uoluptate incredibili cum Venetis ipſis geſtire uiderentur. Sed, cum ad explicandam tanti gaudii magnitudinem, & ad laudes tuas celebrandas nulla mihi ſatis apta ſuppetere poſsit oratio; magna me tenet admiratio, cur Hercules, Princeps meus, me, hominem puſilli ingenii, cuius eloquentia, dicendiq; exercitatio prope nulla eſt, ut minime cum hoc nouo & inuſitato dicendi genere conueniat, quod ſummos oratores ac ueteranos perturbare conſueuit, ſubleuandum non cenſuerit. nam quis orator tam ſui compos, tam memor, tamq; tranquillæ, ac compoſitæ mentis fuerit, qui coram Venetorum Principe, in throno tantæ maieſtatis ſedente, in tam florenti, ſplendidiſsimoq; excellentiſsimorū procerum ſenatu, quos mihi uidere uideor tot Curios, Catones, Torquatos, tanto muneri ſatis conſtanter, ſatisq; digne ſit facturus? non ignoro quid hic locus, quid hæc concio, quid tanta dignitas poſtulet: & in hoc munere obeundo quot ſummos oratores, & philoſophos, qui ſummam in dicendo gloriam aſſecuti ſunt, ſuſcepti laboris aliquando pœnituerit. quo fit ut tota mente hæſitem, totoq; pectore contremiſcam, ueritus, ne, dum Herculis mei Principis mandata exequor, minus amplitudini tuæ, minus huius auguſti, & ampliſsimi loci

loci dignitati, minus etiam ipſi meo Principi ſatisfaciam. ſed cum incredibilem manſuetudinem tuam, innatamq; humanitatem conſidero, qua ceteros mortales facile antecellis, quamq; in me ipſo iam paucis ab hinc diebus expertus ſum, & qua humiles etiam homines, pro tua benignitate ac naturali facilitate, æquo animo ſemper audire conſueuiſti, recipio animum, uireſq; ſemiſopitas excito: ut Xenophon ille Socraticus: qui cum Ageſilaum, Lacedæmoniorum regem, domi foriſq; præclariſsimum pro dignitate laudare ſatis commode non poſſet, quòd res illius non ita eſſent obſcuræ, non ita dubiæ, ut teſtimonium deſiderarent; nihilo tamen ſecius id ſibi muneris ſuſcipiendum exiſtimauit. cuius nos exemplo auctoritateq; confirmati, nullo timore cymbam noſtram ingenti huic pelago credemus, uelaq; uentis dabimus ferenda, cum ea ſpe, ut aliquando in portũ inuehamur. Multæ fuerunt cauſæ, Sereniſsime Princeps, cur Hercules, Ferrarienſium Princeps, tantopere ſit lætatus: hæ tamen præcipuæ uiſæ ſunt, prima illa, & omnium potiſsima, id quod Venetæ urbis uiri præſtantes pariter iudicarunt, neminem alium hac tempeſtate Venetorum Principem eligi potuiſſe, cui huius reipublicæ gubernaculum, ipſiuſq; maris Adriatici, melius ac tutius crederetur, quàm tibi; in quo fulgent prudentia, iuſtitia, religio, fides, pietas, fortitudo, animi magnitudo, æquitas, ſummaq; rerum omnium experientia, liberalitas, clementia, & omne deniq; uirtutum genus, quas cuiusque honeſtus animus deſiderare poteſt, à quo nihil, niſi ſanctum, ſummaq; animi moderatione actum, diſpoſitum ue dici poteſt: quæ quidem ad huius culminis ſedem uiam tibi parauere, ad felicitatem aditum tibi ſtruxere. ad hunc gradum, quouis patriæ tuæ ſublimiorem, & auguſtiorem, Franciſce Princeps ampliſsime, diuino quippe beneficio, & munere potius, quàm humano es prouectus conſilio: ut ſcilicet tam grandem nauim in hoc etiam tam uaſto mari regeres, Venetorumq; imperium conſeruares, erigeres, exornares, tuæq;

tuæq; prudentiæ ceteros Italiæ populos ab omni ui barbarica protegeres; diſsidentesq; inter ſe Reges, ac Principes, auctoritate tua componeres, prudentiaq; tua, qua omnes uincis, ad concordiam pacemq; redigeres: ut, te Principe ampliſsimo, uniuerſa Italia in te ſperans, tranquilla, ac pacata regeretur, ætatisq; noſtræ quietiſsimum ſtatum, aureumq; ſeculum tranſigeremus. quod præſagire iam diu uiſus eſt, ſanctæ & immortalis memoriæ Leonardus Lauretanus, auus tuus maternus, olim Princeps doctiſsimus, ſapientiſsimus, & acerrimus hominum æſtimator, cuius res geſtas, & benefacta nulla dies unquam obſcurabit, nulla delebit obliuio. Hic inquam Leonardus hæc præſagire uiſus eſt, cum te in Senatu penes ſe ab eius ſorore inſtitui curaſſet, teq; paruulum Principem, ueluti eius ſucceſſorem, uocitaret. Præuiderat profecto Princeps ille iam futuros tuos in negotiis labores, in periculis fortitudinem, in agendo induſtriam, in conficiendo celeritatem, in prouidendo conſilium. Præuiderat & auia tua materna, cum in diſceſſu ſuo ab aula hac regia ob funus ipſius Lauretani Principis, pileum cornuq; Regium ſeruaſſet, eo probe augurio, ut eo in poſterum utereris. cuius prouidæ uetulæ oraculum proceſſu temporis in animos omnium lætitiam ingentem iniecit, ut te poſtmodum omnes ciues, uix dum Senatorum aſcriptum numero, pro eorum Principe haberent obſeruarentq;, ſentientes præter cetera, iampridem ex Veneriorum familia, quæ tot iam ſeculis, inter nobiliſsimas, antiquiſsimas huius urbis domos quaſi ſol ſemper illuxit, alios uiros clariſsimos, atque omni laudum genere ornatiſsimos fuiſſe: & inter alios ad Principatum euectum Antonium Venerium, in quo tantus fuit ſanctitatis, doctrinæ, uirtutumq; omnium cumulus, ac ſplendor, ut ea hic illibata, potiusq; prætermittenda cenſeam: quum ſit cælum undique, & undique Pontus, & uaſtum maris æquor arandum. quod cymba mea, exiguis lacubus ludere ſolita, tantam rerum magnitudinem & quaſi fluctus intuens, ag-

gredi pertimeſcat, cum nec ualeam illius merita uerbis adæquare. Merito ergo in illa tua Romana legatione Paulus Pontifex maximus, non ſolum auſpicato, ſed ipſe etiam augur optimus te conſeruatorem, ornatorem, illuſtratorem, amplificatorem, patriæq; Principem iamdudum ſalutauit, atque obſeruauit. quis igitur non credat te à ſuperis ad hunc ſummi Principatus apicem de induſtria, ut ita dixerim, reſeruatum? Altera deinde immenſæ lætitiæ cauſa & uera, & honeſtiſsima fuit, ſingularis in te ipſum ardentiſſimus mei Principis amor, cum ob ueterem amicitiam, quam tu non ſolum mutua beneuolentia promeritus es, uerum innumeris & immenſis officiis, & priuatim & publice collatis, auxiſti; tum & ob raras animi tui dotes, quas paſſim decantari audierat. quis enim, quo tempore ſiue Vtinenſem, Brixienſem, Veronenſem, ſiue Patauinam ditiones gubernaris, tuam operam, ac æquitatem unquam expetiit, cui ſumma humanitate non affueris? quis fortunæ, ut fit, fluctibus agitatus, aut iniuriis laceſsitus, opem tuam hactenus implorauit, cui promptiſsime auxilium non præſtiteris? multis etiam non petentibus ultro ſuppetias tuliſti. quot calamitoſi tuis ſubleuati beneficiis? quot tuis opibus ac ſtudiis honeſtati? quot tuæ liberalitatis, & clementiæ extant monimenta? Eam uero, quam per id tempus agebas, humanitatem non ſolum conſeruaſti, uerum etiam mirum in modum auxiſti. Hæc faciunt ut nemo aliquid apud Sublimitatem tuam promereri uoluerit, qui triſtis re non impetrata diſceſſerit. Patēt benigniſsime aures tuæ, magnis & paruulis promiſcuæ, omniumq; hominum genus te non modo Venetorum Principem, ſed tanquam clementiſsimū patrem alloqui poteſt. & quanquam iſta ſint maxima, & tanto Principe digna, inter tamen excellentes laudes tuas nulla profecto illuſtrior, nulla laudabilior, quàm quòd prodeſſe uelis, ut conſueuiſti, quamplurimis. & in omne hominum genus beneficia conferre, optabile potius, quàm laudabile eſt: uelle autem, cum poſsis, eximia laude digniſsimum. hac enim

enim una re in hoc principatu collocati ad diuinam ſimilitudinem proxime accedere uidentur, hos intueri, hos admirari, hos ſupra omnes merito bonos dicere, ſemideosq́; appellare, ipſiq́; Deo immortali ſimillimos iudicare debemus. Nam, ut refert Anneus Seneca, ſumma pecunia, ingenteſq́; theſauri Deo nos ſimiles non faciunt: Deus enim pecunia non gaudet: non prætexta: Deus enim ſimplex eſt: non fama aut oſtentatio: Deum enim nemo nouit: non turba ſeruorum hexaphoro, uel decaphoro portantium: Deus enim ille maximus potentiſsimusq́; omnia uehit, omnia ſuſtinet: non forma quidem, & uires: quoniam nihil eſt horum, quod uetuſtatem non patiatur. Quid ergo Deo nos ſimiles reddit? animus, ſed animus rectus, magnus, munificus, liberalis, ac integer, nulli nocens, omnibus benefaciens. quid aliud hunc uoces, quàm Deum in humano corpore hoſpitantem? Iulius Cæſar, poſtquam imperium adeptus eſt, gloriabatur, quòd eum gradum aſcendiſſet, unde omnibus benigne faciendi facultas præſtaretur. in quo imitabatur Cyrũ illum, præſtantiſsimum Regem Perſarum, dicere ſolitum, nullum tam proprium Regis officium, quàm hominibus humanitatem præſtare. proceſsit inde eò uſque celebritas tua in adminiſtratione tanti principatus, ut iam non tam de ipſo principatu, quã de rebus, per te ſapientiſsime feliciſsimeq́; geſtis, patria tua iure lætetur. & ut omittam cetera, quæ ingentia certe præclaraq́; ſunt, tam breui, & prope in ipſo principatus limine, amicitias maximorum Regum, celeberrimarum ciuitatum, omnium deniq́; Chriſtianorum Principum, ita conciliaſti tibi, ut nemo alius ante te ita illuſtraſſe principatum, & auctoritatem Adriatici imperii firmaſſe uideatur. His accedit pietas, religio, ſumma ergà Deum obſeruantia, quã in omni ætate, publicis in muneribus, priuatis in rebus oſtendiſti. Taceo infinita cum tuæ in ſuperos religionis, tum in homines beneficentiæ monimenta, quæ à te, dum eſſes in hoc ſenatorio ordine, profluxere: quæ nulla ætas conticeſcet, quæ excipiet tradetq́; inuicem ſequentibus ſe-

culis infinita poſteritas. Merito ſane non modo Princeps meus hoc tuo imperio, uerum & tota Italia gloriatur, ſperans te tanto plura, & longe maiora facturum, quanto altiorem gradum te uidet aſcendiſſe, ubi maxima bene faciendi præſtatur facultas. O felicem ergo tanto ciue rempublicam, o fortunatum Adriaticum ſinum, o tanto Principe beatam urbem. nihil enim optabilius, quàm te principe uiuere, te principe gubernari, tuis inſtitutis, tuis exemplis ad eximiam laudem erudiri, ad certiſsimam æternæ illius uitæ ſpem extolli. Lætatur ſummopere & exultat tota Italia tali Principis creatione, interq; alias urbes præcipua, & incomparabilia merito ſentit gaudia patria tua, cuius è uiſceribus in hanc lucem talis ac tantus futurus prodiiſti, quam ſemper pro integritate tua æque caram, ac uitam habuiſti: quæ te alumno, te benefactore iam maximo gloriatur. hæc, inquam, innumera excellentis lætitiæ ſigna protulit, in diesq; proferre non ceſſat; Deoq; optimo immortales gratias agit, qui æterna ſua prouidentia talem ſibi & tantũ parentem aſsignare uoluerit. Te igitur uiæ, uici, te fora, te porticus, te theatra, Franciſcum Venerium exclamant, fores, limina, parietes geſtire uidentur. poſtremo, Hercules Ferrarienſium Princeps, uti eximii huius imperii filius addictiſsimus, te principe creato hos ad te legatos miſit, tibi gratulatur, te unum patrem colit, admiratur, obſeruat, tibi omnium Ferrarienſium ſinceras mentes, conſtantiſsimos animos erga te offert. exiſtimet tua Serenitas Herculem ipſum nunc loqui: exiſtimet Ferrarienſem populum ſine ætatis, ſexus, ordinisq; diſcrimine nunc adeſſe uniuerſum, tibi omni ex parte gratulantem, &, ſi fieri poſſet, huc acceſsiſſe, atque iſthæc ipſa, Paulo tamen copioſius elegantiusq;, dixiſſe. hoc tu facile, opinor, pro tua prudentia iudicabis, pro bonitate credes, pro humanitate animo ac mente tueberis, atque cuſtodies.

De

ORATIO DE ORTV CHRISTI.

CVM & alia permulta maiores noſtri præclariſsime, tum ſumma illud ſapientia uidentur inſtitutum reliquiſſe, ut uirorum, qui benè de rep. fuiſſent meriti, natalem diem agerent, & mèmoriã eorum præconio ſolenni celebrarent. ſic enim fore intelligebant, ut ipſi à turpiſsima ingrati animi labe abeſſe uiderentur; alii cupiditate laudum ad uirtutis & beneficentiæ ſplendorem atq; decus inflammarentur. Verum, ut exempla tranſmarina, quæq; à multorum ſeculorum memoria longiſsimo diſtant interuallo, miſſa faciam, Roma illa, orbis terrarũ dominatrix, Kalendas Martias, quòd eo die natum crederet Romulum, qui fundamenta imperii ieciſſet, ad tantaq; rerum incrementa ſemiña dediſſet, quanta cum religione celebrabat? quanta Nonas Ianuarias, quòd ea die Ser. Tullius in lucem editus exiſtimaretur? atque ut temporibus noſtris uiciniora proferamus exempla; Octauius ille Auguſtus, qui Cæſarem Iulium, nefaria & ſcelerata coniuratione in ſenatu oppreſſum, grauiter eſt ultus, futuri principatus pariter parentis Iulii natalem maximis honoribus atque cumulatiſsima liberalitate magnifice decorauit. quæ quidem conſuetudo tanta deinde obſeruatione inualuit, ut & promiſcue cuiuſcunque cõditionis atq; fortunæ homines uitæ ſuæ auſpicia, atque natalem non uno ſacri genere pro ſuis facultatibus, inuocato prius genio, cui naſcentes committi arbitrabantur, ad reintegrandam eius lucis memoriam, quam primam inſpexerint, diuerſis rationibus honorifice cœperint ornare. Quòd ſi illi mortalibus, & iis, qui, uel ambitione, uel cupiditate alia impulſi, publice profuerunt, in eorum tamen recolenda memoria, natalibusq; celebrandis diuinos illis honores tribuerunt: quid nobis, qui ab inani ſuperſtitionis caligine remoti, in ueriſsimæ religionis luce uerſamur, & qui Chriſtum, uere Deum, uitæ, ſalutis, libertatis noſtræ, bo-

norum denique omnium, ſummæq; felicitatis fontem, & auctorem eſſe, perſuaſum habemus. quid, inquam, nobis agendum eſt? uerum, in tam ubere multiplicíq; rerum copia, unde primum ordienda oratio, uel ubi poſtremo terminanda, & in quo nullum principium, nullusq; finis reperitur, de eo cum ſit agendum hodie; quis facile inueniat, humanis uiribus fretus, uel initium, uel exitum dicendi? ſed, quoniam optima me tenet ſpes, quæ ipſe per me nequeo, ſpiritum eius, qui omnia poteſt, & cuius res agitur, facile ſuggeſturum; confirmata iam ingenii mei imbecillitate, aggrediar ad cauſam, magnam ſane, & arduam, omniumq; longe difficillimam. quid enim ſublimius, quid homini difficilius, quàm cælos penetrare, mentem & uoluntatem Dei perſcrutari, & arcana eius conſilia euoluere? quid tam incredibile, ac ſupra omnem mortalium opinionem, quàm, Deum fieri hominem, & Regum Regem, excelſa illa maieſtate abſcondita, perſonam ſerui ſumere, cælo delapſum, inter paſtores, inter iumenta in præſepe naſci? quid denique monſtro ac portento ſimilius, quàm eundem uitam immortalem cum mortali, beatiſsimam cū miſerrima, ſplendorem ſummæ gloriæ cum obſcuriſsima atq; abiectiſsima fortuna commutare? atque hæc omnia inimicorum cauſa (tanta uis, tantus ardor amoris in eo fuit) pati ac ſuſtinere? Quare, cum tanta res hodierno agenda ſit die; non alienum fuerit, principium dicendi altius ducere, diuinæq; huius liberalitatis cauſas explicare. ita fiet, ut & ſumma Dei benignitas, atque miſericordia melius innoteſcat; & nati hodie Chriſti maximum ac ſalutare beneficium clarius oſtendatur; &, quæ gratiæ, quæ laudes ei debeantur, aperte cognoſcatur. nam, cum æternus ille Deus, ſupremus Rex, & omnium rerum parens, probitatis, poteſtatiſq; ſuæ ſpecimen dare conſtituiſſet, molem hanc mundi totius admirabilem diuina quadam, & ſibi inſita ui ex nihilo creauit: quam excellenti ſua ſapientia ita digeſsit,

ut eas

ut eas naturas, quæ uidebantur inter ſe contrariæ, concordi pace, & uinculo inſociabili uinxerit, & colligarit; ac terram infimam in media totius operis ſede, florum, herbarum, frugum, arborum uarietate ueſtitam, excelſa altitudine montium erectam, ſtratam immenſa camporum planitie, fontium, fluminum perenni curſu rigatam, & diuerſis beſtiarum generibus, tam cicurum, quàm ferarum, refertam, collocarit; eam deinde mari cinxerit, in quo tot genera, tamq; diſparia piſcium, belluarumq; alia ſubmerſa, alia fluctuantia, & innatantia, partim etiam ad ſaxa natiuis teſtis inhærentia, cernantur. Aerem exinde mari finitimum adiunxit: qui die nocteq; diſtinguitur; & modo fuſus, & attenuatus in ſublime fertur, modo concretus in nubes, humoremq; colligens, terram auget imbribus; idemq; effluens huc & illuc, uentos efficit; annuas frigorum calorumq; facit uarietates; & uolatus alitum ſuſtinet. cuius cum extremitate ultimum æthera coniunxit, ſummum ſcilicet, & à noſtris domiciliis altiſsimum, ſed qui tenuitate, caloreq; ſuo finitimum aera ita temperet, ut, quòd uitalem inde, ſalutaremq; ſpiritum hauriant animantes, id fieri eius beneficio ac munere intelligatur. Has autem naturas extrema ora, & quaſi quibuſdam mundi finibus circundedit, atque coercuit, cæli uidelicet complexu. in quo quis non miretur tot formas aſtrorum igneas, eorumq; curſus? ex quibus Sol, qui ſua magnitudine terram multis partibus ſuperat, dum circum eam ipſam uoluitur, modo ortu, & occaſu ſuo diem noctemq; affert, modo acceſſu & receſſu frigora, caloresq;, & ea duo tempora, quorum alterum hyemi ſeneſcenti, alterum æſtati adiunctum eſt. Luna uero spatiis menſtruis annuos Solis curſus conſequitur. Quid dicam de ceteris quinque ſtellis, deq; earum admirabili motu, quæ falſo uocantur errantes? nihil enim errat, quod ſuo certo ordine conſeruat progreſſus, & regreſſus, reliquosq; motus conſtantes, & ratos. Atque hæc omnia cum rerum cunctarum ille ſator & creator Deus hominum cauſa creauerit, ad ex-

tremum

tremum hominem ipſum finxit, qui mundum, & ornatum iſtum ſuſpiceret, atque contemplaretur, eiusq; opificem admiraretur, ac ueneraretur: eumq; hominē ſui perquam ſimilem fecit. nam & corpus eius ita condidit, ut neque morbis, neque ſenectute affligeretur: & animum iuſtitia, ueritate, pietate, miſericordia, ſanctitate, omni denique uirtutum genere ornauit. quem, cumulatum tantis muneribus, in amœniſsimo deliciarum horto, uariis arborum generibus conſito, collocauit. Sed, cum inter alias arbores ea etiam numeraretur, quæ uitæ ac ſcientiæ boni & mali diceba-tur; ceterarum fructibus ut ueſceretur, ei facile permiſit; ab hac una abſtineret, graui propoſita pœna, interdixit: futurum enim, ut, quocunque die guſtaſſet fructum eius, morte moreretur. at ille, tantæ felicitatis impatiens, cum nudus nec algeret frigore, nec æſtuaret calore, nec uictus penuria maceraretur, morborumq; nullam peſtiferam uim experiretur, ut pote qui perpetua minimeq; interrupta incolumitate frueretur, à muliere, uitæ ſocia, quam ſerpentis aſtutia ſeduxerat, impulſus, auſus eſt uxorios affectus diuino edicto præferre, fructumq; tanta pœnæ cōminatione uetitum guſtare. nec mora; guſtato pomo particeps quodam modo immortalitatis corpus, delictum pœna ſequente, morti fit obnoxium: id quod etiam Sibylla diuino afflata ſpiritu cecinit in illis carminibus:

Ανθρώπον πεπλάσθαι θεȣ̃ παλάμαις ἐνὶ αὐταῖς,
ὅντε πλαύνησεν ὄφις δολίως ἐπὶ μοῖραν ἀνελθεῖν
Τȣ̃ θανάτου, γνῶσίν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε, κακοῦ τε.

Nec ſola morte multatur ob diuinæ legis inobedientiam, ſed multa uariaq; malorum agmina turmatim hominem inuaſerunt, quæ corpus animumq; aſsidue infeſtarent, atque affligerent. ita, dum Deo ſimilis eſſe temere affectat, miſerrimus ille humani generis auctor in fœdiſsimam deuoluitur calamitatem; dum boni à malo diſcrimen cognoſcere ſtudet, nobiliſsima ſua ſcientia, quæ præcellens parum ab angelis aberat, exuitur, innocentiæ ornatu ſpoliatur, pro

fauſtis

fauſtis infauſtas uoces execrationesq́; audit: quarum uires etiamnum quotidie cum magno noſtro malo experimur: ex patria in exilium, ex ſolo uberrimo in terram ſentes, tribulos, lolium, atque id genus alia ferentem, uterque pellitur, amariſsime ſenſurus quantis bonis exciderit, quantas uiciſsim in ærumnas miſer inciderit. ſed, ut eſt diuina iuſtitia benignitate magna ſemper temperata, non tulit Deus eos diutius his malis conflictari; ſed, miſeratione ductus, uiam rationemq́; inuenit, qua in amiſſam bonorum poſſeſsionem reſtituerentur; & ex crudeli dominatu, teterrimaq́; ſeruitute in libertatem priſtinam aſſererentur. ſtatuit itaque ferendas inimicitias inter ſerpentem, & mulierem: &, comminutum iri ſerpentis caput à ſemine mulieris, promittit. atque hoc quidem ſemen eſt ſeruator ille noſter Ieſus Chriſtus: de quo læta canit Eccleſia, Paruulus datus eſt nobis, & filius natus eſt nobis. At illi, erecti hac ſpe, confirmatiq́;, ad procreandæ ſobolis curam ſeſe dederunt: quæ quidem late propagata, quaſi non ſenſiſſet, quantũ damni temeritas parentibus ipſis primum attuliſſet, à ſummo rerum omnium opifice ad perennem humani generis hoſtem rurſus turpiſsime defecit, eiq́; ſe in miſeram ſeruitutem prorſus dedidit. ergo indignatus Dominus, uelut pœnitentia humani generis conditi ductus, delendum id omnino, ac funditus tollendum iudicauit. quis porro eſt, cuius aures eluuio illa totius pene naturæ interitus effugiat? quis illam ignorat aquarum uim, quæ nulli ætati, nulli ſexui pepercit? & tamen ne tunc quidem ille miſericordiarũ pater ſui oblitus eſt, ſed recordatus fœderis, quod iam pepigerat, promiſsiones ſuas uoluit ratas eſſe. quare per Noe, uirum ſanctum, eiusq́; filios, quos in arca ſolos ſeruauerat, genus humanum denuo curat inſtaurari. quorum ſuſcepta proles, ut ſunt humanæ res, quæ ſemper in deterius labuntur, neglectis maiorum ſuorum exemplis, Deiq́; beneficiorum immemores, in omne nefarium ſcelus atque impium prorupit. proinde ſator ille & conſeruator rerum

omnium, ut, quoquo modo fieri poterat, benignitatem ſuã hominibus teſtatam relinqueret, Patriarchas, uiros ſummos, miſit, uitæ innocentia pietateq; præſtantes, qui non oratione tantum, ſed exemplo etiam errantem hominum turbam corrigerent, & ad ueri Dei cultum reuocarent. At, creſcente in dies improbitate hominum, cum ne hos quidem peruerſa multitudo audiret, mutata ratione elegit ille, qui cuncta condidit, ex omni hominum confuſa congerie gentem peculiarem, quæ ſibi dilecta in primis caraq; foret: eiq; Moſem, uirum optimum, atque ſapientiſsimum, præfecit, qui auctoritate regeret, ac morum ſanctitate ad puram religionem, iuſtosq; ſupremi numinis honores inuitaret. quæ tamen & ipſa ingratiſsima continuo reperta eſt. nam, cum plurimis maximisq; beneficiis eam ornaſſet; grauiſsima Pharaonis ſeruitute liberaſſet; Aegypto eduxiſſet; dux ipſe itineris, nube circundatus, maria aperuiſſet; hoſtium copias cum ipſo imperatore demerſiſſet; in deſerto denique eam pauiſſet, atque ſaturaſſet: tamen, dum Moſes in monte Sina legem ab eo accipit, ipſa, neglecto uero & immortali Deo, ad inſanum idolorum cultum declinauit. columnam enim erexit, cuius ſuperiori parti uitulus inſidebat aureus, Apim Aegyptium referens, quẽ ludens, choreasq; ductitans ebria diſſolutaq; turba adoraret. miſſas facio frequentes eius obtrectationes in Moſem, & furioſos conatus, in ipſum terrarum, marium, cælorumq; dominum, & Regem rerum cunctarum: ut minime mirandum ſit, ſi ex ſexcentis millibus, qui ex Aegypto diſceſſerant, duo tantum capita promiſſa ditione potirentur. tantis ac tot ſuppliciis hæc gens à Deo laceſsito grauiter eſt affecta. Ceterum Deus, intelligens, quid fides, quid lenitas, beneficentia, immẽſa denique ſua poſtularet bonitas, quanquam populi iſtius rebellionem contumaciamq; bene cognitam atque perſpectam iam haberet, qui ſalutare ſuæ legis iugum ab eius ceruice toties excuſſum animaduertiſſet; complures tamen adhuc mittit uates, innocentia pietateq; inſignes,

inſignes, qui populum errantem à ſcelere, atque ſordibus flagitiorum reuocarent, & ad nouum uitæ genus, ſuperiorum delictorum uenia petita, inuitaret: quos ille non ſolum ea, qua debuit humanitate, non accepit, ſed uariis affectos cruciatibus, atque ſuppliciis per ſummam crudelitatem excarnificauit. Poſtremo, id quod omnem benignitatis caritatisq; cumulum exuperat, unigenitum filium ſuum, ipſam patris ſapientiam, diuinæ maieſtatis conſortem, de cælo labi iuſsit, qui non ſolum eius populi, ſed gentium & nationum cunctarum dux, doctor, ſeruatorq; foret. intelligebat enim, homines eius uoluntati atque præceptis obtemperare nullo modo poſſe, cuius inimici naſcerentur, niſi ratio inueniretur, qua gratiam, amiſſam primi parentis culpa, recuperarent. inuenit rationem pater optimus, atque miſericors: at quam rationem? filium unicum cælo demittit: Deum forma hominis induit. qui pati non poterat, ei omnia perpetienda, æſtus, frigora, famem, ſitim, & ceteras id genus accerbitates, ſtatuit: o infandam bonitatem, o clementiam uere diuinam, o liberalitatem ſempiternæ mandandam memoriæ, & omnium ſermone celebrandam. Magnum erat ſane, & honorificum, populo, quem ſibi delegerat, præcipue fauere, eumq; omnino ſaluum uelle: at pro iis, qui deſtituti prorſus, & ſine Deo putabantur, & ad quos non fœdus, non oracula, non leges pertinere uidebantur, pro iis, inquam, filium unicum de cælo in terras mittere, ſerui perſonam imponere, duriſsima quæque toleranda ei proponere, hoc uero non terreſtre, non humanum, non regium, ſed cæleſte, immortale, ac diuinum fuit. De hac gentium ſalute cũ alii prophetæ multa, tum Dauid uates illud cecinit, ubi Chriſtum cum patre facit loquentem: Conſtituis me caput gentium: populus, quem non noui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Huc faciunt & hæc ſane uerba: Venio colligere omnes gentes, & linguas: & ueniunt, & uidebunt claritatem meam: & mittam ſuper eos ſignum: & mittam ex

his conſeruatos in gentes, quæ longe ſunt, & non audierunt gloriam, & nunciabunt claritatem meam in gentes. Sed, ut ad rem redeam, oportuit hunc Dei filium, qui ante cælos conditos una cum patre regnabat, hominẽ fieri carnemq; induere, ut homini, cui ducem & doctorem ſe deſtinauerat, ſimilis eſſet, & humanæ infirmitatis ſenſu afficeretur. non enim, inquit Apoſtolus, habemus pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris, tentandum per omnia per ſimilitudinem abſque peccato. Ita tamen homo factus eſt, ut ſimul diuinitatem coniunctam humanitati retineret, mediam quandam gerens inter Deum & hominem naturam, ſpiritu Dei filius, hominis carne factus. Verum, quia diuinum hunc ortum, orbi terrarũ ſalutarem, plurima prædixerunt uatum oracula, operæpretium erit fortaſſe pauca ex multis recenſere. Solomon multo ante ad hunc cecinit modum: Infirmatus eſt uterus uirginis, & accepit fœtum, & grauata eſt, & facta eſt in multa miſeratione mater, & uirgo. Huic diſsimile non eſt, quod gratulabundus exclamat Eſaias: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. & alibi: Ipſi autem non crediderunt, & exacerbauerunt ſpiritum ſanctum, & conuerſus eſt eis ad inimicitiam, & ipſe expugnauit, & recordatus eſt dierum ſeculi, qui ſuſcitauit paſtorem de terra ouium. quis autem hic futurus ſit paſtor, alibi declarat dicens: Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. ego enim Dominus Deus creaui eum: idem homo, idem uere Deus extitit: diuina uirtus in operibus eius eluxit: hominem arguit humana imbecillitas, & fragilitas. Id ita eſſe, apertiſsime teſtantur prophetarum oracula de diuinitate eius concionantes: Fatigata eſt Aegyptus, & negociatio Aethiopum, & Saba uiri alti ad te tranſgrediuntur, & tui erunt ſerui, & poſt te ambulabunt, iuncti compedibus adorabunt, & te deprecabuntur: quoniam in te Deus eſt, & non eſt alius Deus præter te: tu enim Deus es, & neſciebamus, Deus Iſrael ſaluator. Hieremias

ita de natura humana; Et homo eſt, & quis cognouit eum? rurſum Eſaias: Et mittet Deus eis hominem, & ſaluabit eos, indicans ſanabit eos. Nec alienum eſt ab his, quod conſultus Mileſius Apollo, Chriſtus Deus ne, an homo fuerit, reſpondit:

Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις,
Ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συλληφθεὶς,
Γόμφοις, καὶ σκολέπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.

quo ſane reſponſo, ambigue prolato, uerum obſcure expreſsit, aſtute ad impoſturam uera falſis cõmiſcens. Ex his itaque liquide conſtat, ſeruatorem noſtrum, non ſemel piis uiris, ad ſpiritus libertatem anhelantibus, promiſſum, de uirgine natum, tum ut æquitatem & iuſtitiam cæleſtem homines doceret, tum ut interitu ſuo nos à morte, cui addicti eramus, uindicaret, uitam ab inferis excitatus repararet, de diabolo atque peccato triumpharet. Explicaui cauſas diuinæ liberalitatis, & ſalutaris huius ortus, quo terrarum orbis redemptus eſt. reſtat, ut non nulla, quæ ad hunc locum faciunt, ex ſacratiſsimis oraculis attingam. Natus eſt Chriſtus, poſteaquam Iuda regno ſpoliatus eſt: id quod oracula diuina fore prædixerant. Non auferetur ſceptrum Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium. Cum Cæſar Auguſtus imperium Romanum obtinebat, orbe terrarum pacatiſsimo, quæ res non ſine diuino conſilio uidetur contigiſſe, ut eo tempore Chriſtus, uerus monarcha, naſceretur, quo cunctæ gentes unum Auguſtum Regem agnoſcebant, plurimum tamen inter hunc & illum interfuit. hic ui & armis ſubiectas ſibi nationes retinebat: ille non ui, non ferro, non ſanguine, ſed ſumma lenitate, aſsidua beneficentia, et ſaluberrima doctrina Euangelii allicit mortales uniuerſos. illius poteſtati, quò Romanorum arma penetrare poterant, ibi tantum obtemperabatur: huius auctoritati ac nutui omnia parent atque obediunt. Illi parta pax externa, et ad tempus: hic pacem animis, & germanam ac perpetuam præbet

tran-

tranquillitatem. ille demum ne felicitatem quidem iſtam, caducam, & fragilem, uel ſibi, uel aliis præſtare poterat: Chriſtus uenit hodie, ut, præter terrena hæc commoda, ad cæleſtis etiam uitæ beatæq; ſocietatem ſuos omnes inuitaret. Natus uero eſt in ciuitate Bethleem: de qua Micheas uates multo ante cecinerat. Et tu Bethleem terra Iuda nequaquã minima es in Principibus Iuda: ex te aũt prodibit dux, qui regat populum meũ Iſrael. Matrem habuit Mariã, ante partum, (dictu mirandum) & poſt partum uirginem: Ioſephum nomine tenus patrem, utrunque profectum ex genere Dauidis, qui, præter Abraamum, illuſtre huius ortus acceperat promiſſum. is in ſacroſanctis ſuis carminibus diuino numine plenus ita uaticinatur: De fructu uentris tui ponam ſuper ſedem tuam: diſpoſui teſtamentum electis meis: iuraui Dauid ſeruo meo uſque in æternum: præparabo ſemen tuum: tunc locutus es in uiſione ſanctis tuis: dixiſti, Poſui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea: inueni Dauid ſeruum meũ: oleo ſancto meo unxi eũ: ſemel iuraui in ſancto meo: ſi Dauid mẽtiar: ſemen eius in æternum manebit. Hoc eſt igitur promiſſum ſemen orbis terrarum ſeruator, doctor cæleſtis, dux errantium in tenebris, medicus corporum, & animorum ægrotantium, ac de ſalute ſua deſperantium. Primi parentis culpa uitam amiſeramus: eam nouus hic Adam nobis reſtituit. eduxit Moſes Iudæos ex Aegypto: noſter hic dux, quem referebat ille, ex iſtis terrarum craſsiſsimis tenebris, miſeriisq; nos educit. liberauit ille Iudæos ſeruitute Pharaonis: liberat hic nos crudeliſsima diaboli, atque peccati ſeruitute. atque ille ſeuerus legislator fuit: comis hic, & facilis. accepit à Deo ille legem: hic tulit de cælo ſecum. illius denique doctrina non innata ei, neque inſita, ſed aſſumpta erat, & aduenticia: in hoc doctore noſtro ſunt reconditi theſauri omnes ſapientiæ, atque ſcientiæ. ille, æneo ſerpente erecto, ſanabat corpora, tantum quos ſerpentes momordiſſent: hic noſter nobiliſsimus, atque diuinus medicus, cæcis uiſum,

ſurdis

ſurdis auditum reſtituit, pedibus captos ambulare fecit, leproſos mūdauit, mortuos excitauit, animos denique ſanauit eorum omnium, qui, ex morſu ſerpentis diaboli, grauiſsimo mortiferoq; morbo urgebantur. Noctu naſcitur Chriſtus in præſepi, inter iumenta, inter paſtores. Attendite, quæſo, humilitatem admirandam, quæ ingentem ſeculis omnibus ſtuporem afferet. Noctu naſcitur Sol iuſtitiæ; ut tamen noctem iſtam, denſiſsimamq; peccatorum caliginem radiis atque ſplendore ſuo illuſtraret. non ſequitur ille lucem: fugit ambitionis, & honorum auram: naſcitur pauperrimus cunctarum rerum conditor, & Regum Rex; ut regno cælorum nos ditaret, demonſtraretq; non caduca iſta & terrena, quæ nos putamus eſſe ueras diuitias. naſcitur inter abiectos paſtores; ut nos doceat, ſtatum & conditionem iſtam hominum gratiſsimam ſibi eſſe. Nonne Abel, non Abraam, Iſaac, Iacob, duodecim illi Patriarchæ, Moſes, atque Dauid paſtores omnes fuerunt? & tamen, quid Deo gratius, quid acceptius his fuit? humilibus & abiectis hominibus potiſsimum ſe Deus manifeſtat: his lætum in primis Euangelii nuncium offert. prudentia, & ſapientia præſtantibus abſconditur, paruulis & contemptis reuelatur: detrahit potentes de ſolio, euehit humiles, & collocat in alto dignitatis gradu. adeo mouet eum, adeo delectat hæc uirtus. itaque infanti Chriſto, in tanta rerum inopia humilitateq; nato, Angeli de cælo delapſi, Gloria in excelſis deo, in terris pax, in hominibus bona uoluntas, canunt. eum ut colerent, ab Oriente uſque ſapientes ueniunt; ei aurū, thus, mirrham offerunt, munera quibus & diuinam maieſtatem, & regiam poteſtatem, & humanam eius fragilitatem indicarent. de eo Eſaias uaticinatus eſt: Paruulus natus eſt nobis, filiusq; datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, heros fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium Dauidis, & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio, & iuſtitia abhinc

uſque in æternum. Hic tantus talisq; Rex generis humani, quod perditum iam erat, miſericordia commotus, & amoris maxima impulſus ui, non dubitauit, abſcondita diuina & immortali maieſtate, ad nos deſcendere, mortalem & caducam induere naturam. Deus homo naſcitur, ut homo filius Dei efficiatur: in terras ille delabitur, ut hic ſublimis ad cælum efferatur: fit ille uilis, & abiectus apud homines, ut clarus & glorioſus apud Deum reddatur. quas igitur ei gratias agamus? quæ unquam dignæ tantis beneficiis poterunt inueniri? quæ laudes pro magnitudine tantorum meritorum excogitari? non hominum ſane, non eſt mortalium, uel gratias agere, uel laudare Deum pro tanta liberalitatis dignitate. cæleſtem ſapientiam, diuinam eloquentiam rei huius magnitudo poſtulat. quæ quoniam in nobis non ſunt, quæ ſaltem ſunt, hæc animis libentiſsimis, qua maxima poſſumus alacritate, ei tribuamus: immenſam patris bonitatem, & clementiam gratiſsima memoria recolamus: filii erga nos caritatem extollamus: ſalutiferum eius ortum celebremus: laudes, atque uirtutes in perpetuum prædicemus: in primis uero fidem tanti ducis & auſpicia ſequamur: ſummum hunc doctorem, atque legislatorem audiamus: præceptis eius pareamus: morum ſanctitatem, quantum eſt in nobis, referamus, atque exprimamus; ut, cum ad tantæ ſpem hereditatis, filii Dei facti, uocati ſimus, peccatis moriamur, iuſtitia uiuamus; diabolum auerſemur, Deo ſeruiamus; immundæ carnis fugiamus illecebras, ſanctiſsimi ſpiritus gratiam amplectamur. Non eſt amplius, qui noſtra imbecillitas nos deterreat. natus eſt nobis dux, fortitudinis, & omnium uirtutum fons, atque origo: qui ſui nos uirtute ſpiritus confirmabit. uiuat modo in nobis, regnet in nobis: ſit noſtrarum rationum, omnium conſiliorum, actionum dux, & moderator Chriſtus. ita demum fiet, ut, terrenis exuti ſpoliis, & grauiſsimo carnis onere depoſito, ad cæleſtem beatamq; ſedem leues hinc euolemus; ubi, cum Deo, & Chriſto indiſſolubili caritatis uinculo deuincti, regnemus in æternum, & in illa maieſtatis gloria, uera ac perpetua felicitate læti perfruamur.

DE CAELIBATV, AD ACADEMICOS FERRARIENSES.

NOVAM, uiri Academici, admodumq; difficilem, atque arduam mihi à uobis commiſſam eſſe prouinciam intelligo. placuit enim uobis (quorum mihi eſt auctoritas antiquiſſima) ut ea de re uerba faciam, quæ, ſi ueritatem ſpectemus, laudem aſſequitur; ſin (quod interdum accidit) male ceſſerit, uere tunc uituperanda, omniq; ratione uidetur eſſe uitanda. nihil enim neque beatius optimo coniugio, neque durius, aut ærumnoſius aduerſo. Atque in hac difficultate, quæ mihi ratio ſit ineunda, quid plane ſit agendum, haud equidem ſatis diſpicio. Quantum enim iis attulero uoluptatis, qui libero lectulo frui cupiunt, eaq; ſolitudine quidquam negant eſſe iucundius, tantum iis præbebo mæroris, qui ſe matrimonii uinculis obſtrinxerunt: admirationis porro non minus apud eos excitabo, qui coniugium nondum nouere, nondumq; genus illud uitæ ſubiere, quod in ſummo ſæpe diſcrimine cum coniuge traducitur. Mouet etiam illud me non mediocriter, quòd hoc argumentum, atque hæc oratio facile me in odium, offenſionemq; ſexus muliebris poterit adducere. ſed rurſus hoc incommodum non nihil ea ratione leuari poſſe ſperandum eſt, quòd ego non dedita opera, neque iudicio meo, ſed iuſſu ueſtro, quibus in omni re morem gerere animum induxi, aggreſſus ſum ad hæc dicenda, quæ fortaſſe alienos à coniugio in ſua ſententia confirmabunt, reliquos autem, ſi qui nondum uxorem duxerunt, à ducenda deterrebunt; maritos uero ita afficient, ut, in quo lætari mirum in modum deberent, in eo ipſo maxime pœniteat, aſsiduaq; forſitan moleſtia contabeſcant. Neque uero me latet, nihil hic eſſe non à peritis antea tractatum. quòd ſi quæ ſunt cum matrimonio coniunctæ curæ, animiq; acerbitates, eas nimirum iis, quibus totum diem cum uxore conterere ne-

ceſſe eſt, notiores eſſe, quã mihi, qui mei iuris adhuc ſum, & à me ipſo tantum pendeo, meoq; arbitratu uitam duco. ueruntamen, quantum cogitatione conſequi licet, quantũ legendo perdiſcere, quantum etiam à uobis ipſis non paucis cognoſcere datum fuit, quos audire libenter atque accurate ſoleo, ſatis uideo me multa collegiſſe ueſtris auribus non indigna, uera fortaſſe, aut eiuſmodi ſaltem, ut ſpeciem ueritatis præſeferant. Agendum, inquam, eſt nobis de matrimonio; &, ut ordinem ſequamur eum, quem nobis ratio proponit, ortum eius à fonte repetemus; ut, principiis cognitis, reliqua facilius innoteſcant. Deinde coniugium ipſum examinabimus; & omnes eius partes omni ſtudio atque induſtria perſcrutabimur: quibus facile patebit, nihil eſſe animorũ trãquillitati magis aduerſum, nihil ad præclara ſtudia incõmodius: nihil contra uita cælibe nobilius, ac præſtantius, nec ad laudabilia quæque præſtanda quidquam accõmodatius, eamq; felicitatem (ſi qua poteſt homini contingere) in hac una re eſſe conſtitutam. Vt igitur ab eo principio ordiamur; ſatis conſtat, omnes mortales in aliquem finem intueri; quo propoſito, in actiones incumbunt. hunc autem ultimum finem uno ore omnes & appellant, & conſentiunt perpetuitatem eſſe. in ea enim propagationem contineri contendunt, tanquam præcipuum uitæ noſtræ ſcopum. Ad hunc enim cum excellens illud præſtantiſsimæ mentis numen ſummum atque ſempiternum, quem Deũ, quem perennem uitæ fontem, uniuerſiq; conditorem & opificem ueneramur, & colimus, huius mundi diuinum atque præclarum opus mirabili quodam ordine ac ſapientia eſſet architectatus; ſuæq; ſapientiæ opes communicare, & in quamplurimos diffundere ſtatuiſſet; hominem, æternæ ſapientiæ conſilio, quod ab initio operis deſtinarat, ex limo terræ effinxit hac potiſsimum ratione; primum, ut domicilium haberet, in quo & corpus uariis terræ opibus, quas largiter omni animanti ſuppeditat, aleretur, & animus ex tanta rerum uarietate multa colligens proprio animi pabulo, quod

lo, quod in rei uidendi ratione ſitum eſt, ſuſtentaretur: deinde, ut tanti operis ſeries hominum poſteritate aliquo modo firmaretur; feminam ex ipſius uiri latere creauit, eduxitq;, ut ex ea plures homines cuiuſcunque ſexus naſcerentur, fieretq; propago in dies amplior, & illuſtrior. Hanc inquiunt fuiſſe præcipuam hominis inſtitutionem, hoc primum humanæ conditionis initium, & hanc originem: in qua tum nihil agnoſci, niſi inclytum, aut excelſum, tum uero omnes illuc fatemur actiones uitæ eſſe conferendas. Sed cum, quid humanæ uitæ conueniret, prima illa, quæ de latere prodierat, parens omnino negligeret, ueræq; rationis inſtituta omitteret; imperio ſummi Dei, & optimi omnium bonorum largitoris neglecto, cuius benignitate fuerat in lucem edita, hoſtis peſtiferi conſilium ſecuta, uirum ad illas arboris exitioſas, funeſtasq; epulas traxit. quo miſerabili fato, cum à Deo optimo maximo deſciuiſſet, nec ipſa ſola cum homine ſocio corruit, ſed uniuerſam poſteritatem infinitis miſeriis inuoluit, ac morti deniq; obnoxiam reddidit. Hinc ſatis apparet, quantum damni, quantum calamitatis nobis primæ mulieris captioſa ſocietas attulerit: ſine qua nullum eſſet in homine uitium, quod rationem perturbaret, aut ullas menti noſtræ tenebras offunderet: immo omnium ſcientiarum participes eſſemus, omnium rerum cauſas noſceremus; ac uoluntatem nulla neceſsitate deuinctam, nullaq; perturbatione impeditam haberemus. Ac, ſi quis ueſtrum obiiciet, prioris inſcitam parentis nullam afferre cauſam ſpernendi coniugii potuiſſe, neque propagationi humani generis quicquam aduerſari; ſed ea tantum nobis proponi debere, unde noſtra omnium perpetuitas, atque perfectio pendet: primum illud requiro, quid huic perpetuitati, perfectioni ue conueniat; an ut unusquiſque cum una uxore ſibi tantum uiuat, ea lege nouiſsima, qua inſtituere atque educare unumquenque ſuam prolem iubetur; an potius ſeruet legem eam antiquiſsimam & ſanctiſsimam, à ſummo æternoq; Patre latam, cre-

ſcite, & multiplicamini, & replete terram? Quoniam, ſi ea lex docuit, quæ homini ad humanum genus propagandum peragenda ſunt: prohibebit contra ea omnia, quæ aduerſari ipſius legis inſtituto poterunt, ut infœcunditatem, atque eius generis alia, quæ inſunt ad ſterilitatem naturæ, ne propago libere ſuam ſobolem producat. Iccirco lex Moſaica ſterile coniugium execrabatur: atque, ob id à communibus aris quoſdam ſubmotos, legimus; nempe, quòd, tanquam inutiles, & ſibi duntaxat uiuentes, genus humanum nulla ſobole augere, terramq; implere nequirent. Hinc uero ueteres de cæli pudendis à Saturno falce abſciſsis, & in mare deiectis, ſententiam præſetulerunt à diuinis literis nõ admodum alienam: Deum quippe omnium ſpecies conformaſſe; moxq; præcepiſſe, ut coniugio quæque ſuo creſcerent, replerentq; terras. id quod & plerique philoſophi dixere, rerum ſemina cælitus delapſa, tempore quæque ſuo coaluiſſe: inde ad eas propagandas naturam uſum Veneris indicaſſe. Iam & Oſirim Aegyptii ſuum, de quo ſæpe alibi, humana effigie, pudẽdis obſcænius excitatis, faciebant, inde generis noſtri cauſam, (Sol enim Oſiris) & per quem capite geſtabat calathum, educationis beneficium ſignificaturi. Quòd ſi ita recte dicitur, procreandi cauſa inductum eſſe coniugium: ea erit naturæ uis, ea mens ratioq; coniugii, eaq; noſtræ uitæ omnis ad propagationem formanda regula, qua Sophocles aiebat nothum tantundem ualere, quantum legitimum: quoniam omne, quod eſt genuinum, legitimam habet naturam. licet enim nothorum genus nomen habeat ſatis turpe, natura tamẽ cum altero æquale eſt: ac fruſtra mortales ſibi cauent à nothis filiis generandis. quiſquis enim bonus fuerit, eius natura non corrumpitur nomine. unde priſci illi Arabes inter ceteros feliciſsimi prudentiſsimiq; habiti ſunt; apud quos non niſi uxores communes habere, conceſſum cuiquam erat. idem & obſeruaſſe Trochonitas, atque Spartiatas legimus. Quapropter Plato in libro de rep. cenſuit inter reliquos ciuitatis ordines, & commoda,

commoda, mulieres omnes omnium eſſe communes, nullamq́; priuatim alicui adhærere, ac rurſus communes filios, neque patrem filium ſuum noſſe, neque filium ſuum agnoſcere patrem, arbitratus maximum eſſe bonum, mulieres eſſe communes, communes eſſe filios: nam uitæ communio ſtabiliorem amicitiam reddit. cenſuit enim nullum pernicioſius ciuitati malum eſſe, quàm quod eam diuidit, & ex una plures facit. aliter tale quid proueniret, meum ſcilicet, & non meum: ac de alieno eodem modo. Quinimmo uoluptatis dolorisq́; communionem ſtatuere, conducibile fore arbitrabatur, eo quòd ciues omnes maxime ex earundem rerum acceſſu, uel deceſſu pariter gaudent, & dolent. Apud Indos autem ſi quæ forte uxores infœcundæ reperirentur, has uoluptatis explendæ tantum gratia ad certum tempus alebant; fœcundas uero ad augendam prolem ſummo honore, ſummaq́; ueneratione perpetuo proſequebantur. Hinc ad tantam multitudinem excreuerunt, ut eos breui quinque millia oppidorum habitaſſe prodatur. quod hodie apud Turcas, atque circa Boriſtenem populos obſeruari uidemus. Nos uero quàm acerbe reprehendendi? qua pœna corrigendi? qui diuinum beneficium haudquaquam agnoſcentes, illisq́; ſanctiſsimis naturæ principiis, quæ ad ſobolem gignendam tributa ſunt, peruerſe utentes, noſtra dementia, noſtro inquam malo, in eam perniciem infelicitatemq́; unius mulieris culpa incurrimus, à qua uix mortui liberamur. Hinc nuptiales leges non bene conditas eſſe nemo inficiabitur. præſtat enim, ut aiebat Euripides, hominem felicem quamplurimas uxores ducere, ſi modo uictus domi ſuppeteret, ut malam tandem expelleret foras, bonam uero ſibi ſeruaret. Qua quidem in re illa nobis prima offertur infelicitas, quòd multo iniquiore, multoq́; deteriore conditione in optionem uxor uenit, quàm iumentum, aut aliud quippiam, quod poſsidetur. nam, ſiue ueſtimentum, ſiue agger, aut equus, ſiue canis, ſiue quiduis aliud tibi comparandum aut emendum ſit, probādi nunquam negatur facultas

cultas

cultas, immo experiendi largiſsime poteſtas cōceditur. quæ tamen ſi quando empta nobis forte aliqua ex parte diſplicere cœperint, uenundari denuo, donare, aut ſaltem permutare, aut abiicere denique licet: uxor uero quæ futura eſt, quæ non niſi morte ſeparari poteſt, tum cum deſponſatur, eam uix per tranſennam, apud Italos præcipue, uidere nobis permittitur; quæq; obuenerit, ſit quantumuis improba, fatua, deformis, omniq; malorum genere cooperta, commaculataq;, neceſſario retinenda. Cetera quidē omnia legis ſubſidio, citra fraudem dolumq; emuntur: uxor ne milleſima quidem ſine fraude ac dolo in perpetuum datur. iccirco apud Taxillos, Aſiæ populos, ſancitum erat, omnes puellas, antequam nuberent, à ſuis in forum magna pompa, tubis claſsicisq; procinentibus, debere produci, atque ibi confluente multitudine primum poſteriora corporis humero tenus, deinde anteriora inſpicienda, ei, qui ad puellam acceſsiſſet, denudabantur. qua re peracta, cui potiſsimum uiro placuiſſet, uirgo nuptui tradebatur. Noti ſunt humaniſsimi Gallorum omnium mores, qui conſuetudinem & familiaritatem ſtudio colunt, ut honori ſibi ducant, quòd adueniens hoſpes uirgines, atque etiam uxores oſculo adhibito ſalutauerit, & in amplexum acceperit, & in gremium ſibi aſsidere iuſſerit. Nam & apud Romanos olim licebat obuias quasque mulieres excipere oſculo. quod ideo Cato inſtitutum tradit, ut explorarent, an mulieres temetum olerent. capitale enim erat Romanis feminis uinum bibere. Apud Lacedæmonios oſcula non conceſſa modo, ſed etiam inſtituti ludi, propoſitaq; præmia iis, qui ſeniores lepidius ſuauiarentur. Niſæorum id inuentum, & à Megarenſibus in honorem Diodis obſeruatum. Nam & illæ Romanorum exoſculationes, ut femineo generi honos haberetur, ſancitæ ſunt, ut apud Plutarchum legitur in libro de claris mulieribus: nempe quòd, Troianis in Tyberim inuectis, Roma quædam nomine, inter mulieres claſſe aduectas nobilis, auctor fuit ut claſsis abſumeretur incendio; unde coacti

acti ſint ibi ſedes ponere : quod cum illis feliciter ſucceſſiſſet, eius generis præmia mulieribus detulerunt, quæ præclari beneficii memoriam prorogarent. Aſſyrii uero primores ciuitatis triumuiros conſtituebant, appellabanturq; nuptiarum præfecti. ab his autem puellæ nubiles per mutuas exoſculationes in forum productæ, ſub præconis uoce omnibus adſtantibus denunciabātur. Ita antiquitus apud has gentes eæ tantum nuptiæ felices, beatæq; exiſtimabantur, quæ palam, coramq; omnium oculis proponebantur. Nos uero Itali, ubi occulto hæc tranſigi conſueuere, ſæpiſsime in laqueos incidimus, adeo ut una uxor uix à nobis duci poſſit, quin aut ſtrumoſa, aut clauda deprehendatur, aut fuco colorem, aut lino cæſariem, fictitiis ue capillis, aut grandioribus craſsioribusq; ſuberibus corporis proceritatem mentita; alia ſuperba; alia iracunda; alia fœda; alia fœtida; alia ægra; alia moroſa; alia quæſtus gratia matrimoniū corrumpit; alia, cum peccauerit, multas morbi ſui uellet habere ſocias; alia alio uitio laborans; nulla inſigni quapiam uacat nota. Iccirco Simonides aiebat, mulierum mētem ſeorſum feciſſe Deum. nam & aliquam ex ſue ſetoſa produxit. huic omnia domi luto inquinata, inornataq; iacent. aliam ex uulpe, omniſciam : aliam aliis præditam moribus, eo quòd nunc bona, nunc mala : aliam ex cane, iccirco audere, & omnia ſcire uelle, undequaque latrantem, etiamſi neminem uideat : neque omnino compeſci à uiro poteſt, ne ſi iratus quidem ei ſaxo dentes excuſſerit : ſed pertinaciter inuiſum clamorem exercet. Aliam ex tellure formatam cælicolæ marito dederunt, ad eius damnum, & perniciem infinitam. nam & inepta omnino nullam ad rem eſt idonea. Aliam ex mari: & hæc interdum ridet, & hilarem ſe præbet, hoc ſane, ut hoſpes eam domi uidens laudet, ac dicat: Non eſt profecto mulier ulla melior, quàm iſta, inter omnes, neque elegantior. interdum contra & uiſu intolerabilis eſt, & acceſſu. furit enim uſque adeo, ut appropinquare nemo audeat, ueluti canis circa ſuos catulos, quæ omnibus eſt tum impla-

implacida, tum infenſa, ac ſimilis in amicos, & hoſtes. Aliã ex cinere & doſſuario aſino conſtituit, quæ uix minis & fuſtibus adacta tandem omnia facit, & exequitur quæ uiro placent; interim tamen quid furtim deuorat, & quemuis aduenientem ſuſcipit ſocium. Merito igitur Plutarchus admonendis mulieribus ferulam abhibens, aurem nobis uellere uidetur, ne diſtichi illius immemores ſimus, quod toto terrarum orbe celebratiſsimum eſt:

Nux, aſinus, mulier ſimili ſunt lege ligati.
Hæc tria nil recte faciunt, ſi uerbera ceſſent.

Aliam ex muſtela creauit. hæc à uenereo complexu aliéna eſt, & præſentem maritum faſtidio habet, & furando multum damni uicinis affert. Aliam equus ceruice iubatus genuit: quæ ab omni ſeruili opere & labore abhorrere conſueuit, ſed comas perpetuo pexas, atque comptas gerit. Aliã ex Simia natam Iuppiter contulit turpiſsima facie, nulli non irriſam. Ceterum ex apicula, ut quæ ſola nihil dignum reprehenſione habeat. floret enim eius opera, amansq; cum marito ſeneſcit amato, enixa pulchram & celebrem progeniem. eiuſmodi uxor optima eſſet, & pudiciſsima, ſed morſu tandem te necat, ut, ſi quis in huiuſmodi inciderit calamitatem, non niſi in lacrymis & triſtitia uitam in perpetuum ſe tranſacturum putet. Quid enim, quæſo, eſt ad conditionem hominis durius, quàm noctu diuq; habere præ oculis tam iniquum, tam immane, tamq; fœdum monſtrum? Sed hæc cũ ſint uitia corporis, defectusq; naturæ, leuius tolerari poſſent, ſi non ad animi haud minorem corruptelam, peruerſitatem, & ſtultitiam etiam tenderent; cum ſint fere omnes omnis generis furoris, & amentiæ plenæ, ſuperſtitioſæ, Zelotypæ, quietis neſciæ, ſupra modum moleſtæ, importunæ, atque inexplebiles, querulæ, nec fere aliud continuo muſſitantes, quàm, eme mihi hoc, da illud, iſtud largire, aliud compara, opus habeo flamineolo, calantica egeo, pullam nullam purpuream, nullam roſeam, aut ſaltem uiolaceam habeo. quid? neque minus caſtulam, aut clamidem nobili

muliere

muliere dignam, dignam mea, neque minus tua conditio-ne. Refer, refer, quæſo, peſſume, cur illa me incedit ornatior? cur iſta ſplendidior? non illi deſunt mitræ, quibusuis orientalibus gemmis ornatæ, non aurea redimicula, non calanticæ, ſerico, auro, & gemmis diſtinctæ. limbos geſtat illa purpureos, roſeos, iaſpidios. ego infelix muriceum uix unũ abs te obtinere poſſum, immo uix unam quantumuis etiam uilem cycladem. ea ſiquidem palla, eaq; mihi tantum uitta eſt, quam in ipſa nuptiali cena induiſſe memini. defeſſa ſane ſum petendo: atque hæc omnia in cauſa ſunt, cur ego non æque ac aliæ, etiam me longe ignobiliores, color, non æque commendor. nemo me miſeram honore afficit, reſpicit nemo infelicem, deſpicior à ſodalibus, à uicinis floccipendor, minoribus deriſui ſum, contemptui plane omnibus. Atque hæc non meis equidem meritis, uerum tua, tua, omniũ ſceleſtiſsime, culpa, tua nequitia ſuſtineo. namque, ut ab aliis quoque contemnar, ipſe me paruipendis, ſemper uitiis inſimulas, ſermonibus; qui extollere deberes, deprimis, neque pro mea dignitate me exornas, non decoras, non magnificas; ita ut omnes ſeruam me tuam, non coniugem, putent: nec mirum, ait. quis enim eam mulierem multifaciet, aut ipſius honoris ullam habebit rationem, quam maritus contemnit, minimi putat, infimo eſſe loco non modo patitur, uerum etiam uult? miſeram clamitat ſe, conqueritur infortunatam, ſolam ſe arbitratur infelicem, ceteras omnes beatas, ſoliq; eſſe ſibi male, aliis uero optime; ſe ſolam malo omine nuptam, infauſto deſponſatam hymenæo, ſiniſtra pronuba ductam, nec nuptam, ſed morti traditam lamentatur, ac deflet; adeo, ut morbum ſis perpetuum in oſſibus habiturus. Hinc uero ut medici eas febres, quæ ab incertis cauſis paulatim collectæ erumpunt, magis ſuſpectas habent & timent, quàm quæ manifeſtas & magnas cauſas habent: ſic latentes, paruæq;, & frequentes ac quotidianæ uiri atque uxoris offenſæ magis eos diſiungunt, & uitæ conſortium labefactant. Et licet uoluptates in coniugio aliquæ ap-

pareant, non tamen, ut aiebat Antiphanes, incomitatæ accidunt. ſunt enim earum comites triſtitiæ, & labores. Hic forte aliquis ueſtrum obiiciet, eos, qui in Olympiis, & Pythiis, aliisq; huiuſmodi certaminibus uictores euadunt, aut ſapientiam, aut quoduis genus uoluptatum ſibi comparare ſtudent, multas prius moleſtias, laboresq; ſubire. quapropter honores, præmia, gloria, & huiuſmodi illecebræ, quas Deus humano generi conſtituit, magnos labores, ingentesq; ſudores neceſſario requirunt. Profecto ſi mihi & aliud corpus, quale meum eſt, accederet, grauis omnino mihi uita foret, ſi tantũ negocium pro ualetudine corporis in dies colligenda, tum pro gloria, celebrisq; famæ, ac bene audiendi cauſa ſubeundum foret. Quid ſi uiduam duxeris, cuius mores, uitaq; honeſtiſsima ab omnibus probetur? fortaſſe in duriorem cruciatum abripiare. Ridiculum eſt enim arbitrari, quenquam, incenſum cupiditate gloriæ, poſſe uel iſtis ſatisfacere, niſi fuerit prorſus anilis, atque imbecillis animi, & huiuſmodi feminarum ſpecie implicatus. me uero neque hoc, neque illud ſupplicium à meo propoſito amouebunt. quòd ſi ad inferos tamen abducendus ſum cum iſtis tartareis monſtris; non uiduali thoro, ſed uirginali implicabor. Mallem ego uitam cum uirgine agere acerbam, & calamitoſam, quàm intemperatiſsimæ uiduæ periculo me ſubmittere, eiusq; primi uiri memoria noctes & dies cruciari, atque perpetuo animi angore pœnas aliorum amentiæ perſoluere. Sed audiamus quantum malorum furor hic rebus humanis importet. Primum enim in omni ſermone uita functos uiros ad cælum uſque extollere non deſinunt, tum illos laudare, illos prædicare, commendareq; : &, ut magis ad iram te commoueant, imaginem eorum, ſi quã forte (ut ſæpiſsime euenit) ſecum exportarint, ſemper habẽt in manibus, eamq; in tuis oculis aſsidue exoſculantur: ſin minus, nihil ſecius te præſentem contemnunt, ſpernunt, negligunt, probris omnibus laceſſunt, alios ornant laudibus, felices eas appellant, quibus contigit cum talibus uiris uitam tradu-

ueſtitus, ornatus, & uniuerſus negligitur cultus, informis cernitur, ſqualidus, languidus, triſtis, retunditur ſenſim omnis animi uigor, ualetudo infirmatur, comitas diſcedit, abit urbanitas; ioci recedunt, ſocietas negligitur, uirtus quantumuis effera domatur. quod probe callens Antonius Faletus, proauus meus, uir ſane ſuæ ætatis egregie ſapiens, cum filium Ioannem, iuuenem indomitum, intueretur, nullam recipientem diſciplinam, nulla monita admittentem, nihil aliud à Diis immortalibus precabatur, quàm illi uxorem dari, utpote qui hoc unum tantarum uirium eſſe experimento didicerat, quod uel ipſas immanes beluas frangere, & ad manſuetudinem aliquam traducere poſſit. Legerat fortaſſe homo doctiſsimus, idem apud Græcos extitiſſe obſeruatum aduerſus lupum, qui cum omnes inſidias ab eo cuicunque gregi fieri uoracitate inſatiabili uiderent, neque illum ullo laqueorum aut armorum genere apprehendere, atque deterrere unquã potuiſſent, tum ſapiẽtes Apollinem Pythium conſuluerunt, quæ potiſsimum remedia ad tam dirum hoſtem comprimendum, hominumq; genus à tantis periculis uindicandum eſſent abhibenda. oraculum editum eſt, nihil opportunius, fructuoſiusq; inueniri poſſe, quàm uxorem illi dari, ut perpetua afficiatur miſeria. Sed iam ad ea, quorum gratia in hanc diſputationem ingreſſi ſumus, redeamus. Præſto ſunt alia multa, quibus uxor te uerſet, quibus affligat, urat, cruciet, enecet. imperare etenim uult, dominari, atque mandare: illum accerſe domum, illum exclude: hic caue mihi limen attingat. At ſeruus eſt, inquies, ſocius, uicinus, amicus, conſobrinus, frater, pater, mater: ut lubet, inquit illa: nolo limen ingrediatur meum: tanquam te iam olim extulerit, & in eius ditionem tua ceſſerint uniuerſa. quòd ſi tantum rogitare pergas, cur ita uelit; proterue reſpondet; quia ſic uolo, ſic iubeo, ſit pro ratione uoluntas. Denique amandum eſt, quicquid amauerit; reſpuendum, quicquid reſpuerit. neque enim ab ea rationem exquirere ullam poteris: cum illa non

ipſam

ipſam modo rationem, ſed, quod prope etiam accedere uidetur, penitus ignoret. talem enim mulierem tribadem, quæ uiro dominari omnino uelit, uel quæ maris officium facere non erubeſcit, per gallinam, quæ criſtam erexerit, caudamq; ſuſtulerit, intelligi ueteres tradiderunt. ea ſiquidem ubi marem (quod non nullæ faciunt) pugnando uicerit, cucurrire incipit, & exemplo marium tentat coitu ſuperuenire, gallinasq; reliquas, ac ſi rem peragere poſsit, ſolicitat, & ſaliendo defatigat, criſtam, caudamq; erigit, atque ea incedit ſpecie, ut non facile inde ſit, utrum mas an femina ſit, internoſcere. huiuſmodi mulierum genus, quæ uirum oderint ſuum, cui etiam mortem intētent, neque niſi coitus gratia blandiantur, uiperæ antiqui æquipararunt; quæ cum mari copulatur, caput eius ori inſertat ſuo, atque in concubitus conflictu nimia uoluptatis ui ſuperata, capite maris mordicus amputato, maritum extinguit. ita Plinius, Nicander, Galenus, & plerique alii tradiderunt. Quibus uitiis quàm paucæ mulieres careant, inde cognoſci datur, quòd nec ſanctæ præſtantiſsimæq; matronæ ea omni ex parte uacare potuerunt. ſiquidem Sarra Abrahamo eius uiro adeo moleſta fuit, ut primogenitum ſuum Iſmaelem cum Agar matre in arentes exponere ſolitudines, & in deſertas abigere terras, miſerrime ſit coactus. tanta eſt enim feminarum proteruitas, tam dura importunitas, ut homini quantumuis conſtanti, quantumuis ſapienti uel parendum ſit eis, uel domo penitus abeundum. Eſt igitur hæc tota matrimonii appetitio pernicioſa: euertit enim omnem ciuilis atque domeſticæ diſciplinæ rationem, iuris æquitatem oppugnat, fidei ſanctitatem uiolat, amoris & amicitiæ fundamenta labefactat, atque euertit; animos præterea libertate exuit, formidine infamiæ concutit, uariis perturbationibus exagitat, atque furenti libidine ad omne facinus inflammat. Porro has moleſtias & aliæ conſequuntur nequaquam leuiores, tædiaq; non minus intolerabilia. Cibos enim ſi quando emeris, qui & ſuauiſsimi ſint, & iidem facillimi ad concoquendum, niſi tamen palato

lato ipſius placeant, aut crudos ipſe deglutire, aut male paratos comedere cogeris. ſi litigare occœperis, uictoriam deſpera, quippe quam occidere facilius poteris, quàm adducere ut ſuſceptam ſemel ſententiam deponat. quinimmo expugnare, uincere, & obtinere uult omnia, quæ ſibi in mentem ueniunt, tanquam ſingula ſua ingenii fertilitate nouerit. ſicubi cœnaſti, reuertenti præſto eſt in foribus tãquam Megera, caput quaſſans, igneum ſulphur ore euomens; unde, ait furibunda, peſſume uenis? qua cum fuiſti? cum qua te oblectaſti? cur illam allocutus es? quid res tibi cum ea eſt? quæ cauſa ſermonum? cur aliam reſpexiſti? cur ſubſtitiſti? unde hæc habes? quis donauit? quæ largita eſt? Non tutor ullus curioſior, non pædagogus importunior eſt. omnia reſciſcere uult, omnia exquirere: nihil agi ſe inconſulta, nihil dici patitur: eiq; omnia credere, & morem gerere opus eſt, aut in alienas terras profugere. Adde, quòd ſola uult amari, ſola commendari; alterius beneuolentiam, ſui maleuolentiam uocat; alterius commendationem, propriã ignominiam ducit: quidquid alii conceſſeris, ſibi præceptum arbitratur. Si fœda eſt, amat; ſi pulchra, amatur. utrobique periculum maximum; utrobique marito ſolicitudo maxima. non enim minus, magis etiam aliquanto cuſtodia eget quæ cunctos amat, quã quæ à cunctis amatur. Iccirco quoſdam Pittaco reſpondiſſe ex Ariſtonis cõmentariis legimus: ſi formoſam duceret, habiturum eam communem; ſin deformem, pœnam; quoniam quidem nec iucunda amplius ei futura uita eſſet. quòd ſi pulchram duxeris, non erit tibi pœna; ſi deformem, & pœnam, & communem habebis. itaque nullo modo malum cauere potes. Quod ſi pecunioſam duxeris, non uxorem, ſed dominam habebis, cuius famulus & ſeruus efficieris. ſi nihil adferentem dotis, nihil minus eris ſeruus. te enim ſolum duos alere oportebit. Si autem nobilis, eſt ſuperba, inſignia parentum facinora in dote numerat, te ſerui loco habet, fratribus, amicis, cognatis ſeruire uult, mirabunda arrogantius imperat. Sin uero inæqua

lis, aut humiliori ſanguine nata, nihilominus ſuperba incedit, nec ſe genere fortunis ue, uerum libidine, cupiditateq; metitur, expleri neſcit, modum ſuis cupiditatibus inuenit nullum; continere eam non facilius quàm Protheum poteris, ne in mille ſe formas mutet, mille aſſumat facies. Quòd ſi feminarum cupiditas turpis eſt; ſequitur, ut ipſa quoque femina turpis habenda ſit. neque enim ea rés honeſta eſt exiſtimanda, cuius appetitū inhoneſtum eſſe conſtat. eſt enim tum peſtilens & exitioſa, tum inſatiabilis & infinita, nempe cuius nec ardor ullo modo reſtingui, nec impetus ulla ratione coerceri poteſt. Nec modo ſingulos maritos amentes & inſanos efficit, ſed uniuerſum hominum genus exagitat, & omnia humanæ ſocietatis iura peruertit. Ex hac enim acerbiſsima odia, turbulentiſsimæ ſeditiones, exitioſiſsima bella naſcuntur. ob mulieris impudentiam ac libidinem Troia euerſa. Quid enim attinet hic commemorare, quantam cladem rebus humanis femina inuexerit? ut alias innumerabiles omittam, quantam cædem, incendium, uaſtitatem orbi terrarum intulerit, quantas furor hic immanis in omnibus regnis & populis ſtrages ediderit. Sunt enim hæc adeo perſpicua, ut oratione nullius indigeant. Prætermitto inconſtantiam infidelitatemq;, quandoquidem eſſe ſoleat mariti proditrix, ac inſidiatrix, præcipue, cum bile tumet, cū feruet ira, mox ſecreta pandit, mox propalat arcana, conſilia prodit, operta reuelat, abdita exponit. Quid enim commemorem mulierum labes, turpia atque deteſtanda flagitia, ſcelerumq; omnium colluuionem, quibus ſe homines ab illo corrupto principio quotidie magis contaminarant? Dicā tantum hominem regium & excelſum, ad imperium atque laudem natum, in tantam miſeriam incidiſſe, ut fieret tandē mulieris uile mancipium. o conditionem ſeruitutis miſeram, acerbam, & luctuoſam, in qua quotquot mala cogitatione licet complecti, omnia continentur. Quod ſi exemplis pugnare uellem, infinitam prope multitudinem afferre poſſem moleſtiarum, quibus miſeri coniuges affligun-

tur.

tur. ut enim alia immania, grauiſsimaq́; prætermittã, quæ omnia pati neceſſe eſt, curam ſeruorum, ancillarum, ui-ctus, ueſtitus, quid illa? filiorum ſuccurrere laboribus, neceſsitatibus prouidere, languentes excitare, errata corripe re, malis dolere, caſibus compati, miſeriis leuare, peccatis ingemiſcere, damno, miſeratione, doloreq́; affici. Sunt (inquiet aliquis) multa coniugia, feminili amentia peruerſa: parum tamen recte uideris facere, ſi propter aliquod incommodum, quo matrimonia laborare ſoleant, omnia iura matrimonii in crimen uocaueris. At falluntur qui non credunt omnem feminarum multitudinem iiſdem ſemper eſſe flagitiis obnoxiam. ſed id minus apparet, quamdiu eſt uirorum prudentia alligata, ut & aliquando earum comprimatur audacia. attamen quemadmodum beſtiam immanem, quamuis eo tempore, quo uinculis conſtricta eſt, minime noceat, non ob id cicurem atque manſuetam appellamus, quia nobis in mente uerſatur quantas ſtrages ederet, ſi illis uinculis eximeretur: ſic ubi accidit mulierem aliquam non ſponte ſua, ſed metu aut prudentia uiri alligatam, honeſtatis quaſi fræno regi, debemus cogitare quid faceret, ſi iugo tali libera foret. Atque id ipſum magno argumento eſt, mulierem petulantem atque ferã eſſe, quòd nulla ratione poteſt, niſi legum uiri metu ſepta fuerit, uitæ officia tueri. ideo leges uiri in uxorem ſcriptæ ſunt, ut petulantiam, amentiam, & reliquas animi labes ui, minis, atque metu conſtringant, & indomitas earum cupiditates aſsidua formidine coerceant. Illud enim eſt ualde odioſum, quod ut quiſque animo præditus eſt, ita maxime communis opinionis errore coniugium aucupatur, eaq́; de cauſa omnia uitæ conſilia & actiones ad uxoris uoluntatem alliciendam dirigit. Iccirco & ſeipſum priuat illo ampliſsimo omniumq́; lætiſsimo libertatis fructu, quem perciperet, ſi uitam cælibem coluiſſet. præſtans enim ea naturæ uis eſt ad libertatem tuendam, atque ſunt ii mores & diſciplinæ, quibus informari debemus. ut enim nihil eſt præſtantius ingenio excellente, ſi fuerit hone-

ſtis officiis excultum, ita nihil peſtilentius eſſe poteſt animo maxime mulierum uinculis alligato. eſt igitur illarum ſocietas effugienda, & leuitas irridenda, & improbitas execranda. At non eorum, inquies, ob id opinio improbanda, qui muliebri ſocietate ad ſobolem ſuſcipiendam delectantur, eo quòd feminarum genus leue atque imbecillum ſit, omnibusq; iis difficultatibus refertum, quæ uirorum libertati, hoc eſt uniuerſæ ſaluti aduerſari ſolent: quandoquidem nulli hominum conſtituta ſit in aliquo ſtatu tam libera permanſio, quæ non ſumma moleſtia, ſummaq; anxietate perturbetur. Agricola enim ſudores maximos, tum ſolis æſtus, tum frigoris patitur, ſatisq; ſibi eſſe exiſtimat ſi fructus ad prolem alendam percipiat. Item nec miles ulla pericula mortis, ullos labores uitat, ut uictoriam ab hoſte referre queat. Nempe minus mercator ſulcare maria recuſat, licet profundiſsimos fluctus pertimeſcat, ea ſiquidem ſpe, ut tandem ſe in portum recipiat, ſuarumq; mercium lucrũ optatum conſequatur. Ita neque homini adeo condolendũ, ſi his tormentis ac difficultatibus ſit obnoxius in coniugio, cum ſecum hæc omnia propaginis natura ferat. At noſtrum eſt, non ea appetere, quibus etiam obſcuri homines implicantur, ſed quæ nos in altiſsimo feliciſsimoq; gradu conſtituant. Quoniam ſi terra iam gremio mollito & ſubacto, quæ ſemen ſparſum exceperit, loco ſegetis fœcundæ, quam ſenſim magna ſpe ruſticus matureſcentem expectat, effundat ſuis uaginis lolium, aliasq; herbas inimiciſsimas frugibus, aut grandine colluuieq; ſemina diſperdantur, non ne maximum in luctum, aſsiduamq; miſeriam agricola iure inciderit? ſimiliter ſi exercitus è multis regionibus, habita cuiuſque uirium ætatisq; ratione, accuratiſsime collectus, omnis interierit, aut ſi nauis onuſta mercibus ditiſsimis in ſcopulos inciderit; nonne hæc militem ſua uictoria, nautam lucro deſtituunt? Ita opinamur fraudari maritos eorũ propagatione, ſi quando prolem claudicantem non modo fatuam & amentem, ſed nequam & improbam genuerint; qua-

lis

lis fuit Cleombrotus, qui ſe amentia præcipitem è turri deiecit; qualis Empedocles, qui ſimili inſania uexatus, ſe ipſum in Aetnæ incēdium demiſit; aut Pentheus & Athamas, quos poetæ nobis furore alienatos inducunt, & in propriam necem bacchantes. uidetis in Phædra etiam ſcelere & amentia furente, fuiſſe penitus extinctam indolem pudoris & honeſtatis. ut enim hic nihil dicam de Gilone, Dionyſio, Phalaride, & Nerone, omnium tyrannorum crudeliſsimis; neque de Orthogathi Sicyonii, Cypſeli, Piſiſtrati, Syllani, atque Mariani temporis calamitatibus, quæ cladibus innumeris rempublicam uexarunt: ſimilis etiam improbitas Simoleuntem induxit, ut fratrem interimeret. neq; ſatis habuit huiuſmodi peruerſæ atque flagitioſæ prolis educatio, omnia ſcelera moliri, quibus fides & humana ſocietas uiolatur, ac læditur, niſi etiam ſummam parentum pietatē multiplici parricidio pollueret, atque uiolaret: ut Alcmæon, Oreſtes, & Nero, qui eorum matres Eryphilem, Clytemneſtram, Agrippinam necarunt. Non omittam Agyrtem, qui non ueritus eſt Polydicem patrem, Thebarum Regem, Creonti prodere, demumq; morti tradere, ut Siroches, & Phraantes, qui Coſroem, & Orodem, alterum Perſarum, alterum Parthorum Regem necarunt. Nihil de multis aliis dicam flagitioſiſsimis & immaniſsimis, qui progenitores ſuos morti dederunt. dies enim me deficeret, ſi uellem omnibus quibus poſſem exemplis hanc ſententiam confirmare. Quemadmodum enim ab illa coniugii appellatione natum eſt principium iſtorum, item & omnium flagitiorum: ita, illa contempta, omnes uirtutes oriuntur. Quid enim, quæſo, eſt minus uirtutis grauitati congruum, quàm feminæ leuiſsimæ commercium aucupari? quid libero homini magis aduerſarium, quàm ex inſipientiſsimæ mulieris temeritate pendere? quid denique inanius, atque infirmius, quàm in filiorum propagatione aliquod uitæ præſidium aut ſpem denique conſtituere? quod quàm diuturnum ſit, agnoſcere nō poſsis. Nam ſi filii mali fuerint, ſumma calamitas eſt. rurſus

ſi probi

ſi probi euadant, non parum nihilominus pariunt mali. affligunt enim genitorem, dum, ne patiantur, timet. Et ſiquis rerum imperitus liberos ſolatium appellauerit, ille quidem ſentiet minus doloris, ac in medio infortunio fortunate uiuet. Itaque ex Euripidis ſententia nos oportet aut uiuere ſolos ac cælibes, aut natis iam liberis mori parentes. At ille ſummus Apoſtolorum pater, cuius numine & imperio omnia reguntur, cuius nec uita malis tentari, nec decus imminui unquam potuit; cum ſit ipſe immortalitatis largitor, ut ab hominibus peſtem hanc auerteret, cælibem uitam coluit. Idem & fere omnis ea plebs ſancta & innocens, quæ Chriſtiana doctrina inſtituta eſſet, obſeruauit. ut autem hinc initium ſumamus, cum multa diuinitus in humanis animis innata ſint, nihil tamen habent utilius, quàm ingenitum cælibatum, qui cuſtos eſt omnium uirtutum. Primum enim huius ſanctitatis lumen elucet in pueris, atque illos ad ſtudia uigilantes efficit. poſtquam uero ætate progreſsi, magis uim ipſius naturæ diſpiciunt, quid eſt quod eos cælibatu uehementius ad uirtutis ſtudia incitet? Huius autem uitæ cælibis multo alacrius adoleſcentes ad artium ingenuarum ſtudia excitantur, iuuenes ad colendam militarem diſciplinam paratiores fiunt, alii ciuilia munera diligentius obeunt ac adminiſtrant. Hæc enim ſola homines beat, mentes ad ſuperna omnia atq; diuina inflammat; hæc omnes in uirtute uerſari facit, non ocio langueſcere, luxuria & mollitia diffluere, non auaritiæ ſordibus inquinari permittit, non hoſtis aſpectu terreri, ſed ſe uariis periculis obiicere, & omnẽ ætatem in honeſtis actionibus traducere. ex quo efficitur, omne ſtudium honeſtatis religione cælibatus contineri. Et ut ſingula uitia ſingulis uirtutibus opponuntur, ut libido temperantiæ, frugalitati luxuria, liberalitati auaritia, ita coniugium bonis omnibus aduerſatur, omnemq; ſplendorem decoris & honeſtatis extinguit, tanquam contrarium quoddã oppoſitumq; prudentiæ. Nam uti prudentia eſt recta ratio, lumen quoddam menti præferens, quæ nullo errore præ-

ſcribit

ſcribit quid fugiendum aut ſequendum ſit; ita nec hoc clarum beatumq; lumen ei poſsidere licet, qui mulierum commercio ſe dedit, earumq; effrænatæ libidini ſe ſubiecit. Nõne pulchrius eſt uoluptatem aſpernari, naturæ blandimenta reſpuere, uitæ curſum in corporis labore, & in animi contentione conficere, quàm huiuſmodi perditiſsimæ libidini ſe dedere? tanta ſane eſt cælibatus dulcedo, tanta ſuauitas, ut, qui illa ſemel capiuntur, tametſi ſapientes à uulgo non habeantur, nullis inuidiæ telis, nullis fortunæ tormentis debilitari, frangi ue poſsint. quas enim uigilias, quos labores non perferunt illi, quos cælibatus eximia quies ad diſciplinarum ſtudia inuitat atque allicit. quæramus à uobis ipſis, uiri Academici, qui ſummam eruditionem in omni literarũ genere conſecuti eſtis, an potuiſſetis unquam ad gradum dignitatis tam ſublimem peruenire, niſi uos à principio honeſtas ipſa quaſi manu ad tantam præſtantiam deduxiſſet? Non negabit Bartholomeus Riccius, uir omnibus literarum laudibus abundans, & inſigni eloquentia præditus; non negabit Marcus Antonius Antimachus, qui utranque linguam, Græcam & Latinã, clariſsimi ingenii monimentis illuſtrauit; non negabunt Giraldi, uiri omni doctrinæ genere atque philoſophiæ laude cumulati; non negabunt denique Lolius, Pigna, & reliqui ueſtri ordinis principes, qui literarum ſtudia cum maxima gloria colunt. Hoc fatebuntur ſane omnes uiri eruditione præſtantes, quos eſſet infinitum recenſere, ſe ſe cælibatus iucunditate delinitos, uarios labores ſuſtinuiſſe. Hic enim diuinarum rerum participes facit. hunc ſanctiſsimi illi uiri colentes, Angelorum theatrum ſibi propoſuerunt; omnesq; Pontifices, quos ſacræ literæ principes ſtatuerunt, eisq; ſedem ac poteſtatem ſupremam conceſſerunt, atque huius teſtimonio comprobari cupiunt, omnemq; dignitatis magnitudinem ſitam eſſe conſpiciunt. Quid igitur illa uita iucundius, quam mentes caſtæ, nulla libidinis contagione, aut memoria contaminatæ, in illa cæleſti regione

con-

conſequentur? o uitam ſanctiſsimam ac beatiſsimam illorũ, qui in hac libertate præſtanti locati, non iugo muliebri comprimi, nec earum uitiis infici, nec deformitate maculari, nec querelarum tormentis ſe conuelli permittent. tales enim ſemper expertes erunt omnium malorum, quæ ferre ſolet humana fragilitas; immo æternis præſidiis & ornamentis egregie redundantes gloria immortali circunfluent. Hi enim ſoli demum erunt beatiſsimi iudicandi, hi omni bonorum copia cumulati, horum laus emori non poteſt, nec horum nomen ulla unquam obſcurare poterit obliuio. Hos inquam omnes cælites intuentur, Deusq; hos ſibi adoptauit & amplectitur. Quis igitur cælibem uitam, tot animo commoda proſpiciens, non optabit? & à coniugio, mulierumq; impudenti turba & colluuione ſeparari non affectabit? Quod primus homo ſenſit, qui dum non cælibatu ſed uxoris ſuæ ſtimulo niti pulchrum exiſtimauit, ſtatim orbatus omni lumine cæleſti fuit, Dei beneficiis ampliſsimis ſpoliatus, ex altiſsimo gradu dignitatis deiectus, omnibusq; florentiſsimi illius ſtatus ruinis oppreſſus, atque immaniſsimorum hoſtium cupiditati prædæ relictus. Sed contineo me, partim quia uobis nolim nimis prolixa oratione moleſtus eſſe, partim quia ſatis eſſe dictum puto ad matrimonii incommoditatem arguendam. nimis enim diu ueſtra humanitate forſitan abutor, & immodica loquacitate uobis aliqua ex parte moleſtiam adferre poſſem. tempus enim me deſereret, ſi cuncta incommoda & mala, quæ coniuges patiuntur, enumerare uellem, cum uix tot arenas habeant littora, non tot flumina guttas, quot miſerias conſortium uita. Quid? ego damno matrimonium? Minime, inquam. qua enim fronte impeccator damnare auderem, quod Deus inſtituit? Quin immo intelligendum eſt, talem nos opinionem de uita cælibe laudanda & expetenda, de coniugio fugiendo & uituperando accipere, quales ſunt ii mores, quibus imbuti ſumus. id enim quiſque laudabile iudicat, quod intuetur, quod amat,

quod

quod ardenti deſiderio appetit. Quæ igitur uarietas eſt in uitæ cælibis iudicio, uarietas eſt eadem in matrimonii opinione. Eſt enim lenæ & meretrici ſua laus in circumuenienda iuuentute, & turpitudinis illecebris allicienda. Quid, per Deum immortalem, ſtultius, aut impudentius uanitate? quid odio maiori dignius, quàm doli, fraudes, inſidiæ? Sed uidemus Vlyxem Homericum, auxilio Palladis, celando, & mentiendo, mentemq; ad omnem malitiam & fraudem uerſando, diuinis laudibus ornatnm fuiſſe. Item Muſas apud Heſiodum gloriari legimus, ſe, cum uelint, falſa confingere, & ſimilitudine ueritatis, quos uelint, in fraudes inducere; ut ille, qui templum Dianæ Epheſiæ incendit, & boues Apollinis abegit, & Vulcani inſtrumenta ſurripuit. Fabulæ ſunt, dicet fortaſſe aliquis, matrimonium autem laudabile eſt, utpote legibus inſtitutum, Videmus etiam multa facinora tetre & impie concepta apud quam plurimas nationes honeſta & laudabilia exiſtimari, quòd eſſent legibus præſcripta: ut apud Lydios ſtatutum erat, non ſatis eam mulierem probam, atque antiqui moris feminam exiſtimari, quæ non prius corporis peruulgati quæſtu dotem ſibi colligeret. Neque minus Aſſyriis mulieribus nubere licebat, antea quàm fuiſſet illis ab aliquo peregrino ſtuprum in luco Veneris oblatum. occurrunt ſexcenta præterea: ſed hæc narraſſe ſatis eſt: ut oſtendatur, quibus moleſtiis, atque acerbitatibus ob delicti noſtri grauitatem ſummus ille cenſor maritalia bona reſperſit, eiusq; fructus quanto colligendos labore mortalibus propoſuit. nam ſi ex una parte coniugii bona, ſi modo ulla ſunt, (nam mihi qnidem id magnopere dubium eſt, & erit, opinor, omnibus rem ipſam accurate examinantibus) ex atlera uero ea, quæ inſunt, incommoda conſtituantur: mehercule Oceani immenſi cum admodum tenui, & uix fluente riuulo uidebitur eſſe comparatio. ita, patefacta ueritate, cælibatum omni ſtudio expetendum, omni retinendum induſtria, omnibus efferendum laudibus, pro eius merito, ac

S digni-

dignitate, ſtatuemus, coniugium uero & uitandum quammaxime, & uituperatione dignum acerbiſsima, odioq́; inſectandum, ut ille poeta dixit, cane peius, & angue. quam ego uobis ſententiam cupio eſſe, uiri Academici, pro mea in uos beneuolentia, atque obſeruantia ita firmam, ut nunquam immutetur. ſic enim & animorum ueſtrorum tranquillitati, & ueſtris ſtudiis, ueſtræq́; gloriæ rectiſsime conſuletur.

DE MATRIMONIO AD ACADEMICOS FERRARIENSES.

QVOD mihi uel maxime optandum erat, uiri Academici, & quod unum ad ſuſceptam fortaſſe aduerſus me iracundiam maritorum ſedandam, maledicta mulierum delenda maxime ſpectabat, id non humano conſilio, ſed prope diuinitus datum, atque oblatum mihi à uobis uidetur; ut, quantum de matrimonii dignitate ex mea uituperatione, ueſtro iuſſu ſuſcepta, iampridem eſt detractum, nunc ex mea laudatione tantundem accedat ornamenti. ad quam rem, Patres, libentiſsime, ſummaq; cum uoluptate acceſsi, non tam ut dignitatem uxoriam, ſi qua in parte læſa fuerit, reſtituam, atque earum díminutum erga nos amorem reconciliem, redeamq; in gratiam cum omnibus uxoribus noſtris, quàm ut uobis ipſis in primis etiam ſatisfaciam. quamuis non adeo acrem mentis aciem, non eam ingenii uim natura mihi ſit elargita, ut in tanta rerum uarietate ueſtrum unicuique ſatisfacere poſsim: qui ne Hippiam quidem ipſum ſatis commode tam diſsimilia ſtudia, tamq; contrarias actiones tractaturum exiſtimem; quem gloriari ſolitum aiunt, nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quod ipſe nequiret explicare. Pugnabo tamen, Patres, pro uirili parte, ut, quando hæc à uobis mihi commiſſa cauſa eſt, officio meo defuiſſe ne uidear; & illud ſimul homines intelligant, ueſtrum hunc ſapientiſsimum Ordinem in me habere imperii nihilo minus, quàm ueſtra grauiſsima auctoritas requirit. Quòd ſi fidem aliquam, auctoritatemq; mea de cælibatu habita oratio apud uos obtinuit: pluris debet eſſe nũc & teſtimonium, & iudicium meum. tunc enim opinione, nunc autem, expertus, re ipſa moueor. uxore ducta, ex illuſtri Calcaginiorum familia, moribus & ingenio prædita, ad omnes res mirifice obſequente, ſuauiſsimã omnibus horis eius conſuetudinem ſentio. liberis uero ſuſceptis, qui al-

ludant ante pedes, in gremio feſtiuiſsime blandiantur, dulciſsimo nomine patrem appellent, pellitur à me omnis triſtitia: riſus, & iocus, & læta omnia domeſticos intra parietes habitant: mihi nunc denique ipſe placeo, qui prope me omnia mea bona nunquam non uideam, & in iis me ipſum quaſi recreatum, ac renouatum agnoſcam. Ac fieri quidem poſſe uideo, ut alios alia magis delectent, quemadmodum fere ſolet in picturis: neminem tamen, (niſi ſi quis omnem prorſus humanitatem exuerit) quicquam ad humani generis ſocietatem conſeruandam magis eſſe matrimonio aut neceſſarium, aut amplum, affirmaturum exiſtimo. Quòd ſi illa liberi lectuli uita quorundam opinionibus plus fortaſſe arriſerit, eo quòd quendam (ſed heu nimis ficte) libertatis aſpectum præſeferat; cum falſa & plurimis ſeruitutis maculis ſit aſperſa: at matrimonii uis non incerta hominum opinione, ſed certo ipſius naturæ ſenſu iudicatur, atque diuino flatu infunditur. in ea enim non niſi adumbrata quædam felicitas, multis perſæpe moleſtiis inuoluta, cernitur, in hac uero ſolida & expreſſa beatitudo, quæ ſola eſt ſua natura, & immutabili æternitate laudabilis. nam ſi felicitas omnis, ut Plato cenſuit, rebus tantum honeſtis, atque perpetuis tribui ſolet, & uera æternitas in propagationis præcipue bonis conſiſtit: quis dubitet, omnem felicitatem eſſe ad dignitatē matrimonii referendam? quod ut dilucidius pateat, ſumamus hominem eo ingenio inſtructum, ut mentis aciem in mundi fabricam, admirabilemq; ornatum, atque totius naturæ conſtantiam intendat; conuertat ſeſe ad ſui ipſius ortus contemplationem; uideatq; tandem, quid ſit ſuo natalium ſplendori conſentaneum: intelliget profecto, uiri & mulieris coniunctionem priorum parentum ſatu editam, nō modo ſequendam, ſed etiam ſumma religione colendam: cum ex eo non modo omne mortalium genus, ſed immortalium ſeruetur: non quòd ſemper plane unum & idem ſit, quale diuinum genus eſt: ſed quia id, quod abit, ſeneſcitq;, aliud nouum ſibi ſimile relinquit. ea de cauſa unumquod-

que animal fœtum, ſeu germen ſuum natura colit. hoc enim ſtudium, hic amor cunctis inſitus eſt, ut genus ſuum producat, æternumq; reddat: quoniam, ut Plato aiebat, cũ naturæ perpetuitatẽ curare oporteat, & nepotibus relinquendis Deo miniſtros pro ſe ipſo tradere, gignere debemus liberos. ex hoc enim non ſolum admirabile id æternitatis decus, quod diximus, oritur, atque ſingularis animorum maris & feminæ conformatio fidesq; eluceſcit, ſed uera ſanctitas exiſtit. quod enim ſanctius, quàm quod ipſa natura ſanxit? quod ipſe rerum pater inſtituit, confirmauit? Iam, ſi cetera ſacramenta, quibus Eccleſia Chriſti potiſsimum nititur, religioſa quadam ueneratione coluntur; quis non uidet huic plurimum religionis deberi, quod & à Deo, & primũ omnium eſt inſtitutum? Nam cetera quidem in terris, hoc in paradiſo: cetera ad remedium, hoc ad conſortium felicitatis: cetera naturæ collapſæ ſunt adhibita, unum illud conditæ naturæ datum eſt. Si leges à mortalibus inſtitutas ſanctas habemus, non erit coniugii lex ſanctiſsima, quam ab eodem, à quo & uitam, accepimus? Quid æquius magis, quàm id reddere poſteris, quod ipſi à maioribus accepimus, gratiq; animi officium illorum uotis, ac deſideriis præſtare, qui nos in hanc lucem ediderunt, cogitantes, cu pientesq; genus ſuum ſucceſsione quamlongiſsima propagare, & filios filiorum relinquere? ſecus autem partem aliquam ipſorum deſiderii non exequemur, ſed uoluntatem eorum irritam reddemus. Quid magnificentius eſſe poteſt, quàm quod ipſe Chriſtus commendauit, qui nuptiis una cũ matre non ſolum intereſſe dignatus eſt, uerum etiam nuptiale conuiuium miraculorum ſuorum primitiis conſecrauit? Nec aliud ſane, quàm de matrimonio, Apoſtolorum principem ſignificaſſe dicemus, cum de dignitate Chriſtianorum diſſereret, dum inquit, Vos genus electum regale ſacerdotium. Hinc animo repetamus, quantum nomen, quanta ſit coniugalis felicitatis dignitas atque maieſtas; cum ille princeps Deus eam ab omni contagione ſceleris expiatam

ſibi

ſibi adoptarit, aptiſsimis gloriæ inſignibus ornarit, & beneficiis immortalibus atque diuinis affecerit, non ut Lycurgũ, aut Moſem, aut Solonẽ, ſed ſe ipſum ſolum auctorem agnoſcat, ea de cauſa Chriſtus optimus maximus eam ſibi coniunxit: matremq; ſanctiſsimam diuinorum etiam ornamentorum ſocietate deuinxit, non ut uiro mater contaminaretur, quæ ſemper eſſet uirginitatem retentura, ſed ne matrimonio careret, & ut matris exemplo ad illud ipſum nos hortaretur, noſq; illius ſacramenti participes efficeret. Si quidem ab initio, cum poſt uniuerſæ naturæ conſtitutionem hominis corpus è terra finxiſſet, miſeram prorſus, & iniucundam noſtram fore uitam proſpiciens, niſi ſociam adiungeret, Aeuam ex coſta hominis, figura corporis pulcherrima, eduxit; non ut haberet elegantiorem aliquam domum, in qua lautius, aut commodius habitaret; non ut cælibatum amplecteretur; ſed ut creſcerent, & multiplicarentur, neque terram modo, ſed cæleſtes quoque ſedes, lapſu Angelorum uacuas, implerent. Hinc iam uidere licet excellentem & magnificam humanæ ſocietatis originẽ; quæ non aliunde, quàm à Dei ſpiritu, manauit, & in elegantiſſimum corpus mulieris incluſa, matrimonii formam, labe nulla uiolabilem, retinuit. Is itaque primus homo coniugium amplexus, mulieris ſocietatem nouit, procreandorum liberorum cauſam non ab alio doctore, quàm à Principe Deo, accepit. uerumenimuero, cum corpus Aeuæ incredibili ſpecie excelleret, fructuſq; illius nobiliſsimæ arboris, qua boni & mali ſcientia continebatur, ſerpentis calliditate inductus temere ſumpſiſſet; ſpreto ipſius Dei, omnium rectoris, præcepto, quamprimum è regio illo domicilio, quem paradiſum Græci uocant, loco irriguo, & amæno, omni florum uarietate diſtincto, & ſempiternis arboribus conſito, eiectus, ut uictum ſibi ſuo labore conquireret, tandem loco in rerum humanarum procreatione impetrato, non ne, excreſcentibus liberis, ac poſteris, ut eorum neceſsitati conſulerent, domos, tecta, quibus imbres ac tempe-

tempeſtates defenderentur, inuenire, & ædificare perdocuit? ſic enim diuino conſilio effectum eſt, ut, dum pro ſe quiſque ceteris auxilium fert, & uiciſsim aliorum artibus atque facultatibus ſe ipſum tuetur, ius illud humanæ ſocietatis permaneret, idq; iam inde ab eo tempore, quo genus humanum erat adhuc in montibus atque ſiluis diſsipatum, cum nullis eſſet ciuilibus inſtitutis, aut domeſticis moribus excultum. Verum enimuero non ſolum ab ipſius mundi initio ſacrum hoc matrimonium uniuerſum repleuit orbem, ſed etiam, quod dubitare neminem exiſtimo, poſt diluuium inſtaurauit. nam cum Deus orbem terrarum improbitate & ſceleribus refertum cerneret, ſtatuiſſetq; humanum genus diluuio perdere; ad multitudinem tandem reparandam, unum ex omni populo uirum iuſtiſsimum Noe cum coniuge, ac tribus filiis, totidemq; uxoribus delegit: qui, exiccato orbe, cum ipſa multitudo in immenſum per ſacra matrimonia excreuiſſet, & eos anguſtia locorum continere nõ poſſet, rerumq; penuria cogeret, ad quærendas ſibi nouas ſedes huc atque illuc diſperſi, rurſus omnes inſulas, omniaq; terrarum ſola repleuerunt. Nam, cum ceteræ res omnes ita à natura inſtitutæ ſint, ut uel ad formanda ingenia, uel ad fortunas hominum conſeruandas, atque augendas, uel ad mercaturam, & opificia, uel ad doctrinam, ceteraq; huiuſmodi, uideantur comparatæ; ſola tamen res uxoria eſt illa, cuius gratia, & munere ea omnia mortales conſequuntur; ſola, quæ ab initio ciuitates omnes peperit, auxit, atque ſeruauit: nulla eſt enim reſp. quæ non gaudeat hoc uno progenitore ſuo, & quem enixe, ueluti primum eius parentem non colat, non diligat, non admiretur, & ſumma cum ueneratione complectatur. Sed quando de nominis tam ſancti, tamq; auguſti origine, & dignitate diximus; pauca quædam de illius quoque fructu atque utilitate dicenda ſunt: non, quo magnopere interſit ad matrimonii celebritatem, quamplurimas imagines enumerare, aut quàm multis ætatibus ab illa fuerit claritatis poſſeſsio retenta. Cum enim

generis

generis principium ad Deum referat, inuidiam nouitatis nulla reformidat. nam ex omnibus humanis propagationibus ea eſt utilior, quæ ad ſocietatem, amicitiam, & fœdus propius accedit. ea enim non niſi ſolo oritur coniugio, ut quæ ſola ſit ueluti ſeminarium quoddam ad ceteras propagationes, omnem communitatem contineat bonorum, fortunarum, ac liberorum, omnia in commune conferat. huius enim opera, atque ope iam olim ex agreſti feraq; uita ad ciuilem cultum deducti, ad quandam ſocietatem per affinitates, & ſanguinis coniunctiones, beneuolentia & caritate conciliati ſumus: cum natura tantam uim in duobus corporibus negauerit, ut eſſet inter nos omnium rerum ſine ulla exceptione communitas, atque coniunctio. Hoc enim primus ille parens Adam nobis apertiſsime declarauit, dum ſpiritu afflatus diuino inquit: Hoc eſt autem os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. hæc uocabitur uirago, quoniam ex uiro ſumpta eſt: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una: ſcilicet quòd unius membri uice coniugium ex geminis coaleſcet. Hinc eſt, quòd coniuges pro duobus oculis quaternos, pro duabus manibus totidem alias, in omnibus negotiis habere dicuntur; quibus una iunctis facilius ſuum opus uterque peragit: proinde feſsis alteris, reliqua ſuum officium præſtant, ita ut felicius omnia, mutua ope freti, ſimul regant atque adminiſtrent. Nec tamen eadem ſunt uiri & uxoris officia. uiri quidem munus eſt & filiorum erudiendorum, & rerum omnium, quæ extra domum aguntur, matris uero nutriendorum, & eorum quæ intra domum agitari oportet, ornare domum, regere penetralia, hoſpites excipere, propinquos complecti, penates curare, ut menſa, lectus, ut omnia paratiſsima ſint, fide uniuerſa cuſtodire tanquam nocturnus diurnus comes, ſocia thori, cuſtos laris, magiſtra domus, & rei familiaris: ea denique, ſine qua nil fere dicere poſsit eſſe ſuum. ſerui utplurimum expilant: ſuffurantur famuli: uicini nihil non carpere uolunt: omnia

fraudi

fraudi ſunt expoſita : omnia ſqualent : domus tota ſordida eſt, ſine ordine, ſine nitore : diſsipantur omnia, ſi coniux defuerit. ſi filios habueris, pudebit aſpicere illegitimos, & ignominiæ illorum miſereberis. ſi uero non habeas, deſertum te, & orbum, ſine poſteritatis ſpe, ingemiſces. ſola uxor non inuidet uiro, aut uxori uir : ſuam uoluntatem cum tua uoluntate coniungit : eadem illi triſtitia, eadem iucunditas, quæ tibi : communis & ſimillima tum uita, tum fortuna eſt, cum tota ex te uno pendeat, in te uno quieſcat, tãdiuq; nobiſcum durat, quandiu in uita manet. Filii aliquando exeunt è parentum poteſtate uel emancipatione, uel religione, alterum ſibi domicilium comparant, & ſibi ipſis uiuunt, quærunt, commercantur : ſola uxor ne pedem quidem flectit à uiro, ſemper in manu & poteſtate noſtra eſt tota : quicquid illa lucri, quicquid mercaturæ facit, uiro facit : diuitiæ illi eædem, quæ & uiro, paupertas eadem, par dignitas, communis acceſsio. Et cum à liberis parentes diſcedere nulla lex uetet, ſiue morbus impellat, aut diſsidiũ ſuadeat; uxorem tamen humanæ & diuinæ leges unius cubiculi ſemper atque conuictus conſortem eſſe uoluerunt; ut, quæ è uiri coſta in uiri auxilium facta eſſet, ea nunquam ſeiungeretur à uiro, nec ſontico, nec elephantico morbo, nec ulla peſtilentiæ ui maritũ derelinqueret; comes in tectis, in lecto, in prole ſuſcipienda, in periculis, in laboribus, atque in omni fortuna, in omnibus uitæ actionibus. non abeſt in ſomnis, non in uigiliis abſcedit, una caro, mens una, concordia inſtituta diuinis, humanis quoque legibus confirmata, recepta à barbaris, admiſſa per omnes orbis terrarum tractus. Accreſcit interim dulcis affinium turba, unde duplicatur parentum, fratrum, ſororum, nepotum numerus. natura enim unam duntaxat matrem, unum patrem tribuere poteſt : coniugio pater alter, altera mater accedit, qui te, ut cui ſua uiſcera commiſcuerint, ſingulari pietate proſequuntur. Hinc ipſi parentes ob morbos, aut ob ſenium imbecilles facti, ab iis, quos procrearunt, pari caritate & ali-

T men-

mentum,& eam, quæ requiritur, curam merito conſequuntur: atque ciuitas omnis huiuſmodi neceſsitudinibus quaſi quibuſdam nexibus auctor, & coniunctior efficitur. Nam quod aliud huiuſmodi ornamentum ciuitas, aut domus habere poteſt, quale per mariti & uxoris conſortium efficitur? non ſane precioſa ædificia, & ſublimes muri, & fornices ornati lapidibus, quos plerique ob ignorantiam uirtutis admirantur; neque pictura, aut aliud quippiam ex illis, quæ uulgus ſtupet, ornamentum eſt domus, ſed uiri & mulieris coniugium, qui mutuo copulantur, & ſacri ſunt Diis nuptialibus nataliciis, Laribus: & inter ſe conſentiunt, nihilq; non cõmune habent uſque ad corpora, immo animas ipſas. Hinc, ſi res ſecundæ ſunt, duplicatur felicitas; ſin aduerſæ, coniuge ſocia tẽperantur. prope enim adeſt, quæ conſoletur, ac leniat, quæ inſeruiat, quæ tuũ malum ſuum, &, ſi leuari poſsis, totum ad ſe transferri cupiat. Si domi agis, habes quæ ſolitudinis tædium depellat: ſi foris, eſt quæ diſcedentem oſculo proſequatur, abſentem deſideret, redeuntem læta excipiat, dulcis iuuentæ ſodalis, gratum ſenectutis ſolatium. Iam, quanti æſtimabis, ubi pulcherrima coniux pulchra faciet te prole parentem, ubi quis tibi paruulus in aula luſerit Aeneas, qui tuos tuæq; coniugis uultus referat, qui te blanda balbutie patrem appellet. Habes qui ſenectutem tuam oblectent, qui morientem oſculo proſequantur, extremum ſpiritum excipiant, oculos claudant, iuſta perſoluant, in quibus denique renatus uidearis, quibus ſuperſtitibus tu ne occidiſſe quidem puteris. non abeunt ad alienos heredes quæ tibi paraſti. ita tanquam omnibus perfuncto ne mors ipſa quidem acerba uideri poterit: quinimmo tantum in liberis ponitur, tantum iis tribuitur, ut antiquitus, qui filiis ſuperſtitibus decedebant, eos inter diuos referri mos fuerit. quem morem Herodianus in Seuerianis iuſtis latiſsime perſecutus eſt. Sed quid de utili aut iucundo diſputemus, cum non utilitas modo, uerum etiam neceſsitas ad coniugium impellat? tolle matrimonium; uniuerſum homi-

hominum genus idem tolles: propagationem, orbem terrarũ euertes. ſublato enim coniugio, nihil eorum omnium, quæ extant in regionibus, prouinciis, regnis, urbibus, poſt centum annos ſupererit. tanta eſt inter eos, qui matrimonii legibus conformati ſunt, in perpetuitate colenda conſpiratio, tanta officiorum omnium ſocietas, tanta denique morum ſimilitudo, ut nullam neceſſariam magis, nullã ſuauiorem coniunctionem, quàm uiri & mulieris, reperias. nã quis ſodalis ſodali, frater fratri, filius parentibus tam fuerit amicus, & gratus, quã uxor eſt ſuo marito? ceteris enim amicis beneuolentia coniungimur, cum uxore & ſumma caritate, & corporum permutatione ſacramenti fœdere, & fortunarum omnium ſocietate non ad exiguum temporis ſpatium, ſed in omnem uitam, ad omnia uel ſecundæ, uel aduerſæ fortunæ euenta copulamur. Aliæ animorum inclinationes ſimiles ſunt mixtionibus leguminum, aut aliorum huiuſmodi, quæ inuicem apponuntur, uiri autem & uxoris amor mixtioni, quæ tota per totum fit, ut uini cum aqua. reuera enim undequaque commiſcetur coniugalis amor. Merito Romanorum legumlatores munera uiciſsim dare & capere coniuges uetuere, non quo alterum participem, alterum uero expertem cuiuſquam rei eſſe uellent, ſed eo potius conſilio, ut communia inter ſe eſſe omnia exiſtimarent. Alia quoque ratione maximus hic amor eſt, quoniam aliæ ſocietates aliorſum etiam quandoque declinant, uxores autem ſolum mariti animum recipiunt. non enim cum eis agere opus eſt, ut Græcos ſub Cyro militantes feciſſe accepimus, qui cum hoſtes uociferantes impetum facere animaduertiſſent, eos ſilentio excipiebant; contra uero, ſi illi ſilerent, celeriter magna uoce exclamando inuaderent. At mulieres prudentiæ pudoriſq; participes, cum irati mariti clamant, ſilentium agunt; cum ſilent, eos alloquuntur, & iratos mitigant. Ideo Plutarchus in coniugalibus præceptis oportere aiebat mulieres à luna diuerſas eſſe; quæ cum à ſole receſsit, lucida claraq; cernitur, eadem, cum ſoli ſucceſsit, euaneſcit. contra

enim deberet uxor modeſta præſente tantum uiro à ceteris cõſpici, eodem uiro abſente, domi agitare, ac ſeſe occulere. Apud Aegyptios autem tacta erat pudoris cura, ut mulieribus interdictus eſſet calceorum uſus, quo proditæ palam uerecundarentur, ac ueluti teſtudines intra ſua tecta ſe cohiberent. qua de re Philonis uxor interrogata, quamobrem ſola ex aliis in conuentu non geſtaret ornatum aureum, quoniã, inquit, pro ornamento mariti uirtus mihi ſufficit. Præterea in ceteris amicitiis quanta ſimulatio, quanta perfidia? ſæpe ii, quos amantiſsimos exiſtimamus, mutata fortuna deficiunt: ſicut hirundines exacta æſtate deuolant. nonnunquam recentior amicus ueterem eiicit; diues pauperem, nobilis ignobilem. paucos audiuimus, quorum fides ad exitum uitæ conſtiterit. uxoria caritas non perfidia uiolatur, nulla ſimulatione obſcuratur, denique ſola morte, immo ne morte quidem diſtrahitur. illa parentum, illa fratrum pietatem præ uno te contemnit, te unum reſpicit, ex te pendet, tecum emori, immo pro te mori cupit. quod ex Alceſtis facto cognoſcitur: quæ, cum, Admeto, uiro ſuo, ægrotante, reſponſum fuiſſet ab oraculo, breui illum moriturum, niſi quis amicorum pro eo mortem ſubiret; cum omnes recuſaſſent, ſola morti ſe obtulit promptiſsimam. cuius exemplo legitur, id eſſe apud Erulos, populos ad Iſtrum flumen habitantes, inſtitutum mortuo uiro, illico laqueo uxorem ſeipſam ſuſpendere. quod ſi aliqua forte recuſaret, ea uti infamis aliorum commertio ſecludebatur. Apud Catheos & Indos uxores cum uiris defunctis comburebantur. & apud Aphros ad Oceanum, & apud Thraces, qui ſupra Chriſtonæos ſunt, uxor carior (plures enim ducunt) cum uiro occiſa ſepelitur. Poſſem multarum exempla adducere, ut de Tyro Theſſala, Euadne, Panthea, Aria, Hypermeſtra, Laodomia, Portia, Hipſicrathea, aliiſq; plurimis, quæ & in omni uitæ diſcrimine ſe pro maritis oppoſuere, atque pro eorum ſalute uitam cum morte commutare non timuerunt. Nec uelim tamen Patres exiſtimetis non ineſſe eundem marito-

rum

rum amorem in uxores : quoniam Orpheus (ut fabulantur poetæ)deſcendit ad inferos non alia de cauſa, quàm ut Eurydicem, multis ante lacrymis defletam, repeteret. & Pericles nunquam egreſſus domo, quin Aſpaſiam uxorem diſſuauiaretur. Sed ut ad altiora ueniamus, nonne Periandrũ Corinthium adeo uxorem dilexiſſe legitur, ut etiam mortuæ ſe commiſcuerit? M. Plautius in Aſia cum ſexaginta nauibus proficiſcens, cum Tarentum ueniſſet, Oreſtillam uxorem, quam ſecum duxerat, ibidem morbo abſumptam amiſit, cuius dum celebrarentur exequiæ, impatiens mæroris Plautius pugione ſe confodit. Rex etiam Perſarum Darius, exiſtimans uxorem ſuam ab Alexandro interfectam, ſummo eiulatu caſtra impleuit, ac multo grauius, quàm ſe, uictum eſſe tulit. Hoc enim in rebus omnibus incredibiliter natura fabricata eſt, ut licet omnes rerum formæ ſint inter ſe diſpares atque diſsimiles, tamen in his inſit eadem uis & potentia, ut alia aliis magno beneuolentiæ nexu coniungant. Sidera nanque cernimus non tantum ordine atque ſpecie, uerumetiam uirtute & potentia coniungi : deinde uidemus cælo ſubiecta corpora concitari, atque etiam igni, omnium elementorum facile principe, tellurem, omnium parentem, ſubiectam uario rerum genere compleri, uelut infuſo ſemine mariti fungatur officio. Quid autem(ut ad hæc inferiora deſcendamus)de plantis, aut animantium genere dicam? an in omnibus eadem eſt facultas atque naturæ bonitas? & hoc etiam quouis arborum, ac plantarum genere licet inſpicere, quæ eandem in ſpecie coniunctionem habent, & eundẽ coniunctionis fructum. Nam cum palmarum alia mas, alia femina ſit, inuicemq; maritali quadam copula coniungantur; mares attrahunt ad ſeſe feminas, neque illæ congreſſum, quantumcunque adniti poſſunt, aufugiunt, ſed, ultro ramis uiciſsim contra ad oſculum quodam modo exporrectis, manifeſta dant mutui deſiderii ſigna. Eſt idem amor in piſtaciis, quorum ſemina cum panguntur, mas & femina committi debet coniunctis naturis. Idem & in gemmis dignoſcitur,

gnoſcitur,cum aliæ aliis uidentur indigere. Denique nullum genus animantium eſt, in quo non extare atque eminere quãdam coniugii ſpeciem perſpiciamus. nam uolucres ipſæ pene omnes matrimonio iunguntur, & nidos ſuos tanquam geniales thoros concordi mente defendunt, & fœtus ſuos, qui certi ſunt, ita diligunt, non modo ut eos diligenter alant, uerum etiam, ſi quis uelit eos auferre, unguibus ac roſtro tueantur acerrime. Quin etiam leones eodem coniugii uinculo muniuntur: lupi lactantes catulos obiiciunt: pro catulis dimicant tigrides: aſinos per obſtantes ignes agit prolis tuendæ cupiditas. Hæc autẽ naturalis excellentia in rebus ſempiternis ſemper manet: in iis autem, quæ oriuntur & occidunt, uirtute quadam ſeminis in ſobolem ipſam infunditur. Ergo, cum hæc tanta uis coniugii ſit, tantumq; iuris habeat, ut uel res mutas, beluas, rationis expertes, reliqua denique omnia complectantur, quid tandem conuenit eam in homine, animantium reliquorum principe, fingendo minus opum habere arbitrari? ſunt igitur natura in matrimonio innata ſemina coniunctionis, & procreationis: ſunt incredibilia honeſtatis, & ſanctitatis ſtudia. tanta tamen extat humanæ mentis imbecillitas, tanta nobis à peccato oritur inſcitia, ut non pauci in illam animi fictam libertatem incidant: quæ tamen non uera libertas, ſed fallax libertatis imitatio, non felicitas, ſed uana felicitatis ſpecies, non ueri decoris ſtudium, ſed effrænata quædam ac plane ſtulta inanis gloriæ cupiditas adumbrat eorum mentes, qui quidem non tam honeſti pulchritudine allecti, quàm oſtentationis cauſa, & ut admirationem apud homines quandam excitent, uitam cælibem ſuſceperint. unde ſæpiſsime euenit, ut, ubi primum inconſtans illa atque temeraria uoluptas, quæ ſua immanitate iudicium rationis impediebat, effluxerit, mærentes, & animo anxii ſuſceptæ turpitudinis conſcientia damnentur. ut autem fingunt poetæ Ixionem, Iunonis amore incenſum, cum nube Iunonis ſpeciem referente concubuiſſe, atque ex ea nube centauros procreaſſe: ſic & naturæ ſtimulis

lis ad honeſtatis ſtudiũ incitati, inanem illius imaginem complexi, ſobolem etiam inanem & mixtam, atque monſtri ſimilem genuere. non eſt enim magis monſtrum animal ex hominis & equi figura conglutinatum, quàm habitus mentis, honeſtatis ſpecie, turpitudini inſigni compoſitus. Quid eſt enim à ratione, atque ab humanitate alienius, quàm ab æternis humanæ conditionis legibus abhorrere? quid ingratius, quàm id negare minoribus, quod niſi à maioribus nos accepiſſemus, nec eſſet quidem ullus, qui negare id poſſet? etenim quis tam agreſtibus inſtitutis uitam ducit, qui non humani generis præſtantiam, decus, atque ornamentum cum ingenti admiratione ſuſcipiat? quis unquam tam abiecto animo fuerit, qui coniugii nobilitatem utilitatemq; minime prædicandam exiſtimet? quis tanta immanitate efferatus eſt, ut ſui ſimiles non amandos iudicet? Quid rurſus eo eſt homine odioſius, qui, tanquam ſibi natus, ſoli ſibi uiuat, ſibi quærat, ſibi parcat, ſibi ſumptum faciat, neminem amet, ametur à nemine? An non huiuſmodi portentum dignum cenſebitur, quod cum Timone illo ex uniuerſo hominum contubernio in mare proiiciatur? quid enim eſt amentius, quàm uitam inanem, & ab omnium opinione diuerſam traducere? quid difficilius, quàm tam contrariis, & inter ſe repugnantibus ſtudiis, & cupiditatibus obtemperare? quid denique magis miſerum, quàm meretricum lenociniis dies atque noctes exanimari? quid auerſum magis à prudentia, uel potius quid aduerſum magis, cum ſit prudentia recta ratio, lumen quoddam animo præferens, quid fugiendum, aut expetendum ſit, ſine ullo errore præſcribens? hoc tamen lumine is orbatus eſt, qui cælibatum ſequitur, & omni officio ſeſe ad eius libidinem accommodat. Eſt enim primum perpetuitas abiicienda; ſine qua uera dignitas, quæ ſita eſt in uirtute, ne intelligi quidem poteſt. ſiquidem ille demum beatus eſt exiſtimandus, cuius mens hoc diuino coniugii pabulo, quaſi quodam nectare & ambroſia, alitur perpetuo, atque ſuſtentatur. Quid enim aliud

eſt

eſt, deorum intereſſe conuiuiis, quàm quaſi diuinis opibus coniugii, quæ quidem ſunt epulæ felicitatis, & perpetuitatis, abundare? Nunc igitur quando uos, quæ ueſtra eſt benignitas, ad audiendum erectos eſſe uideo, perſequar libentiſsime quod reſtat. atque utinam diuinus ſpiritus mentem noſtram afflaret, ut illius cæleſti ui & impetu concitati, poſſemus ueræ gloriæ ſplendorem oratione conſequi. nec enim fieri poteſt, ut hac noſtra ingenii tenuitate, rem tantam pro dignitate explicemus. quod cum ita ſit, aggrediar tamen, atque illud primo loco ſtatuam, nihil in rerum natura natũ eſſe, quod humanæ incolumitati magis inſeruiat, nihil quod ſummo parenti noſtro ſimiles magis nos reddat, quàm matrimonium; cum ipſa connubii ſocietas ab ipſo Ioue in primis inſtituta ſit. unde ueteres dicere conſueuerunt, Et tu particeps connubii, ſocia regni, Regina Iuno, quam deinceps pronubam appellarunt. ad hæc ſolem & lunam, Cupidinem & Venerem dixerunt. quid igitur magis homini conuenire exiſtimabimus, quàm deorum ſequi ueſtigia? quapropter Aegyptii, cum à nullo dæmonũ infeſtari poſſe perſuaſum haberent, duo capita humana in exemplum matrimonii, quorum alterum maris, quod intro aſpiceret, alterum feminæ, quod extra, effingebant. Nam figura hæc ſatis ſuperq; ad tutelam, deorumq; ſimilitudinem ſufficere credebant. iure igitur nulli ludi, nulla ſpectacula, feſti dies nulli, nihil denique in uita noſtra tantis cæremoniis, tantaq; pompa, quanta nuptiæ ipſæ celebrantur. ornantur in primis amicorum congreſſu, concurſu propinquorum: apparantur omnia tecta: parietes ipſi, ac trabes gratulari, & geſtire præ lætitia uidentur, nouamq; dominam laris conſalutare, ac nouam familiam poſcere. itaque epithalamiis, cantu, tripudiis, omni lætitiarum genere, ac tripudiis complentur. quamobrem tantæ lætitiæ, ac triumphi cauſa, tanquam aucupandæ felicitatis affectatione quadam, ipſi, inquam, ueteres inſtituere, ut noua nupta non niſi uincta caput uerbena, myrthoq; traduceretur. ſiquidem mos erat nuptiarum

ſacro

ſacro faciendo, ut noua nupta corollam de uerbenæ floribus, à ſemet ipſa lectis, ſub amiculo geſtaret; & inſige fuiſſe, quod præcipue ſacerdotes in capite ornando geſtarent, ſiue ea corona, ſiue aliud geſtaminis genus eſſet. id quod Heſiodus ſcuto Herculis ita deſcribit: ligneumq́; ſponſæ ſimulacrum, Citheronis conſilio fabrefactum, & in curru conſtitutum ab ipſo etiam Ioue reperias; quo Iunonem, quæ diuortium fecerat, illuderet: eamq́; in pelle lanata conſidere ueteres iubebant. uetuſtus ſane mos, quòd id ueſtimentum olim uſui fuerit: ſed illud magis ueriſimile, quòd hoc ſe eſſe adductas ad præſtandam marito lanificii operam agnoſcant. nã ad hæc uſque tempora in plerisque Italiæ locis, poſtridie quàm noua nupta mariti domum ingreſſa eſt, illi è geniali thalamo mane prodeunti obuiam propinqui fiunt, colum, fuſum, & lanam; acum, & forfices, rutabulum, peniculum, quodq́; unicuique in promptu fuerit inſtrumentũ, & quidquid uaſorum in ædibus uſui eſt, offerentes, quo ea, muliebris haud ignara officii, ſe non ad delicias, & uoluptates, ſed ad facieudam lanam, & alia, quæ frugi ſunt, curanda ueniſſe reminiſcatur. Hæc itaque, non niſi triumphi & boni ominis cauſa, dabantur, quòd Caiæ Cæciliæ, quæ, alio nomine Tanaquil, Tarquinii Priſci uxor fuit, lana cum colo & fuſo in templo M. Anci diutiſsime adſeruata perdurarit. cuius rei mentionem haud obſcure facit Varro, Et quoniam res Tanaquili feliciter ceſsit; inſtitutum, ut nubentes uirgines colus compta, & fuſus cum ſtamine comitaretur. Erat & nuptiarum maieſtatis, & æternitatis, quam Græci ἀντέρωτα dixerunt, index fax illa, quam prætextatus puer apud Romanos patrimus matrimusq́; præferebat, duobus aliis eiuſdem ordinis & conditionis nuptam deducentibus. Noctu autem prima aut ſecũda hora ducere mos erat ominis cauſa, quòd ita optima ac ſecundiſsima euentura ſibi promittebãt. quod nonnulli autumant in honorem Cereris inſtitutum. In hoc autem ſacro ea ſuperſtitio acceſſerat, ut fax ea ab utriſque amicis raperetur perfuncto munere, quòd ea inceſſerat re-

ligio, ne aut uxor eam ſub lecto uiri ea nocte poneret, aut uir in ſepulcrum comburendam curaret. ſiquidem utraque mors propinqua alterutrius captari putabatur. Addemus, inſtitutum fuiſſe apud Romanos, ut uirgo, cum uiro tradebatur, de matris gremio, aut aliqua, quæ proxima eam neceſsitudine attingeret, rapi ſimularetur, eo ſcilicet omine, quòd ea res feliciter Romulo ceſsiſſet, Romanamq; rem fœcunditate prolis amplificaſſet. Sed neque hoc omittendum exiſtimo, quòd apud Græcos ad id miniſteriū ancillæ adhibebantur, uti cernere eſt in Herculis ſcuto apud Heſiodum. quanquam moris etiam apud Græcos eoſdem fuit, ut mater eas nuptiales faces, atque ignem & aquam prætenderet, ut apud Euripidem. nam & huiuſmodi donaria nouæ nuptæ apponebantur, quæ ſcilicet eam perpetuæ caſtitatis, puræq; in omni uita mentis admonerent. Qui uero inſtituti huiuſmodi rationem altius rimantur, naturæ uicem hinc intelligi interpretantur. ignem ſiquidem aiunt actionis uim obtinere, & agendi elementum eſſe, aquam uero patiendi. Hinc philoſophi non defuere, qui rerum formas ex aqua per admixtionem ignis produci exiſtimarunt, atque ita ignis & aquæ ſacramento nuptiarum fœdera, omine optimo, ſanciri. Apponebantur uero hæc in limine domus, quà ſponſus & ſponſa intraturi eſſent, ut ea oblata ſpecies memores eos redderet, quorſum eſſent huiuſmodi ſacris initiati. Igitur per ignem & aquam neceſsitatem interpretabimur, quæ ducere uxores iubet, non tantum ob ſobolem, quæ præcipua eſt, uerum etiam, ut ſit, quæ domus & familiæ totius curam ſuſcipiat, & quodam ueluti gubernaculo, directo ad emolumentum, honeſtumq; curſu, regat. longe honeſtius igitur Metellus, qui de uxore ducenda interrogatus, uxorem eſſe malum haud ſane inficiatus eſt, ſed malum tamen id eſſe neceſſarium. Quis ignorat, ſine coniugali ſocietate breui periturum eſſe humanum genus omne, ceteraq; animalia plane defectura? Exulibus quidem, capitali ſcelere damnatis, ut eis quaſi uita negaretur, aqua & igni

igni interdicebatur. Necnon poetæ fingentes Saturnũ amputaſſe genitalia patri cælo, eaq́; in mare abieciſſe, indeq́; natam Venerem, id ſignificare uolunt, igneum ſemen admixtum cum humore generationis fuiſſe principium. Panarium deferebant manu, farris, aliorumq́; leguminum mixturis plenum, nec ſane ab re. Plutarchus enim facere ad caſtimoniam leguminum abſtinentiam docet, quòd eos, qui ſancte & immaculate uiuere curant, pura & tenuia corpora habere oportet: legumina uero maxime uires corporis corroborant: unde inſtitutum, ut Carnæ deæ, quam uitalibus humanis præeſſe ueteres confinxerunt, pulte fabacea, & lardo ſacrificaretur: quòd eo ciborum genere uires corporis egregie firmentur: conſtatq́; calendas Iunias ea de cauſa fabarias uulgo uocitatas: quod ſacrum inſtitutum eſt à Iunio Bruto, à quo etiam menſi nomen. Pro cicere autẽ incolumitatem & perennitatem: ſi quidem in ciceribus tantum nullæ beſtiolæ aut uermes in horreis innaſcuntur. Quin etiam ad incolumitatem excogitatum eſt, cicerem una fieri; propterea quòd erucas eum arcere, experimento compertum legimus. Huc facere uidentur illa, de quibus meminit Ariſtophanes in Pluto, ſeruorum nouitiorum, cum primum domum ingrederentur, capitibus ante focum profundi ſolitos dactylos eſſe palmarum, nummulos, legumina, caricas, nuces, & huiuſmodi bellaria, conſeruis omnibus impune diripienda. quæ quidem & in annuæ ubertatis omen fieri conſueuerunt, & ut ipſi frugi eſſe meminiſſent. inſtitutum mox ex Theopompo didicimus fuiſſe, boni auſpicii cauſa in ſponſi caput. Præterea annulus ferreus ſine gemma ſponſæ digito imponebatur, eo quòd non auro, non argento, ſed ferro ſolo, & fœcunditate prolis Romanũ imperium creuiſſet. Quapropter in Camaniis, qui trans Taurum incolunt, non licebat uxorem ducere, niſi prius ceruicem cæſi in prælio hoſtis amputatam ad Regem pertuliſſent, quaſi uxoribus digni ob uirtutem ac robur efficerentur, ceteri uero ut molles effeminatiq́; haberentur.

unde Septimus Florens digitum annularem pronubum appellauit, & annulum quoque pronubum. nam mulieres parciſsima patrum ſobrietate aurum minime nouerant, uno excepto digito, quem annulo pronubo ſponſus oppignoraſſet. ſic fertur Prometheum olim Saturni, lege perpetuis uinculis ab Ioue damnatum, ea mox conditione liberatum, ut inde annulum lapide & ferro compactum geſtaret, ne omnino exolutus pœna uideretur; indeq; annulorum uſum propagatum. Ideo legislatores in alieni thori uiolatores, tanquam in ſacrilegos, animaduerterunt, capitali pœna irrogata. cuius rei teſtis ſit Philippus Macedo, uir, ut Theophraſtus ait, non tantum genere, & dignitate regia, ſed & fortuna, & moribus maior, & ceteris Regibus moderatior. qui cum ad eum à ſeruo ſuo puellam adductam interrogaſſet, cur tam ſero ueniſſet, reſpondiſſetq; illa, ſe expectaſſe, ut uir ſuus maiori ſomno grauaretur, quamprimum in ſeruum animaduertit, cuius conſilio in alienum thorum ignoranter irruens uix adulterium perpetraſſet. quo exemplo adducti Græci, uiolatum matrimonii ius decenni bello uindicandum cenſuerunt. quod hominum genus per anſerem ouis incubantem iudicare poſſumus. anſeres ſiquidem, ut Quintilii, qui de agricultura quamdiligentiſsime ſcripſerunt, tradidere, aliena oua in ſuo etiam genere fouere nequaquam ſolent. quare curatores eorum, dum oua pariunt, certis characteribus uniuſcuiusq; fœtum ſignare debent, atque ita unicuique ſua ad nouem ſupponere. Ad hæc, non Romanis modo, uerum etiam Hebræis, & barbaricis legibus adulteri pœna capitali plectebantur: apud Hebræos lapidibus obruebantur. Nec hoc contenta legum ſeueritas, illud etiam iuſsit, deprehenſum adulterũ poſſe confodi: quaſi lædat atrocius qui coniugem alterius eripiat, quàm qui uitã. Nec gens fuit ulla tam barbara, quæ non ſolutam damnaret libidinem, matrimonium amplecteretur. quod idem fere Britannos, & Troionitas feciſſe, item in Græcia Lacedæmonios: quibus omnibus licet uxores cateruatim eſſent, tamen intra con-

ceſſos

ceſſos limites ſuis quique contenti uxoribus tenebantur, nihilq́; acerbius apud eos, quàm adulterium, plectebatur. Contra autem matrimonii uiolatores apud Germanos lex capitalis habebatur. Aegyptios uero mille plagis cædere ſolitos traditur, mulieribus naſum amputantes, ut, matrimonii iure uiolato, flagitii teſtimonium in ore darent, quòd in ore libidinis fuiſſet incitamentum. Vnde Romulus ille, primus Romanorum Rex, ut urbem liberis hominibus certisq́; repleret, quicunque ſe hoc coniugii fœdere, quod non ſolum feminam, ſed & uirum ad copulam & ſocietatem deuinciret, præmiis affecit. neque enim dubium eſt, quin ea gens, in qua legitimum ille ſocietatis genus eluxerit, non tam ex hominum genere oriunda, quàm diuino ortu edita ſit exiſtimanda. Magno igitur fauore diuus Iuſtinianus, ipſiq́; Pontifices proſecuti ſunt, dum alienis amplexibus illegitime natos, ſequente matrimonio, legitimo iure donarint, qui uero ex alieno congreſſu intemperanter, ſpretis ſacris nuptiis, nati ſunt, eos cum honoribus demeritos, tum etiam indignos hereditatis paternæ ſucceſſores acri quadam cenſura ſtatuerint. Hinc relicta eſt etiam nobis prudendiſsima illa Poſtumii & Camilli cenſorum conſtitutio, qui cum humano generi commodiſsime proſpicerent, ſtatuerunt, ut eorum bona, qui ad ſenectutem cælibes perueniſſent, continuo publicarentur. Hinc etiam Lycurgus ille Lacedæmonius maxima infamia notare ſolitus eſt eos, qui ad annos ſeptem & triginta ſine uxoribus perueniſſent, ut ciuitas maior & honeſtior liberis hominibus redderetur. Porro legumlatores, quibus hoc unicum inſtitutum eſt, ut perquirant & diſpiciant quid conducat, aut obſit omnibus, & ſingulis, an nõ omnes utiliſsimum fore ciuitatibus exiſtimarunt, ſi ciuium familiæ augeantur? contra, exitioſum, ſi minuantur? & nullos uel paucos eſſe liberos ciuibus, inutile, habere autẽ prolem, eamq́; numeroſam, è Rep. eſſe iudicarunt? quamobrem, ne abortum facerent, mulieribus interdixerunt; non obedientibus autem pœnam irrogarunt. Item ne medicamentis

mentis ſterilitatem inducentibus, & conceptum adimentibus uterentur, prohibuerunt. eandem ob cauſam multitudinis liberorum utrique ſexui præmia, & ſterilitatis pœnam ſtatuerunt, exilio multabant, à reip. muneribus excludebant. At qui rempub. liberis auxiſſent, eis, tanquam benemeritis, præmium è publico proponebant. unde ſane Iunoni, regnorum & opulentiæ præſidi, partuumq; ſoſpitatrici, oues ambiguæ, hoc eſt(ut Bebius Macer aiebat) cum duobus agnis altrinſecus alligatis ſacrificabantur à matronis, quæ gemellos peperiſſent, fortunandæ rei domeſticæ cauſa. Lycurgus legem tulit, ut, qui uxorem non duxiſſent, ii æſtate arcerentur à ludis ac ſpectaculis, hyeme uero nudi forum circuirent, ſeq; execrati iuſta pati dicerent, quòd legibus non paruiſſent. Apud Indos autem, & Perſas laudi in primis erat quamplurimas habere uxores, tanquam ei patria plurimum deberet, quòd eam numeroſiſsima prole locupletaſſet. Apud Hebræos hoc honoris habebant matrimonio, ut, qui ſponſam duxiſſet, eodem anno non cogeretur in bellum exire. Tulit leges Auguſtus inter alias, ut iuuentuti uxores darentur, populumq; amplificarent: priuigni etiam ipſe filios populo oſtendit, hortatus ut Germanicum, priuignum ſuum, in pulcherrimo fructu imitarentur. Qua de re legitur, cum ſenio quidam grauis in theatrum ueniſſet, poſtulaſſetq; à iuniore locum, dixiſſe adoleſcentem, non cedam, cum pueros, qui mihi cedere poſsint, non genueris. Pulcherrima etiam in hanc ſententiam extat Aeſopi fabella, ueteribus approbata, olim uulpem leænæ fœcunditatem ſuam obieciſſe in generoſitatis commendationem, quòd & ſemel in uita, & unum tantum pareret. Ita cum perſuaſum haberent Aegyptii leænas ſemel tantum in uita parere, mulierem, quæ unius tantum filii mater fuiſſet, per leænã ſculptam ſignificare conſueuerunt. Conſtat etiam, legibus olim ſancitum, ut iis, qui uxorem occiderent, ſacrarum ædium uſus interdiceretur; non cum hominibus uerſari, non uinum, & ne ſicceram quidem bibere, non ludos ſpectare,

nec

nec in conuiuium uenire liceret. interdicebaturq; ſecundis nuptiis, & theſauro illo precioſiſsimo Euchariſtiæ, tanquã indignus Dei uiatico, cum opificiũ Dei ſuſtulerit, omni deſtituendus auxilio, triſtitiaq; opprimendus. Eſt itaque coniugium non modo conueniens, & illuſtre, ſed & ſanctiſsimũ, pietateq; pleniſsimum. Contra uero, matrimonium negligere, non modo eſt animi turpis, & abiecti, uerum etiam ab omnibus naturæ legibus, atque diuinis inſtitutis nefarie diſſidentis. Quid enim aliud eſt, cælibem uitam ducere, quàm humanam uitam perpetuo alimento, & quaſi ſolem luce ſua orbare? aut quid minus decet hominem propagationi deditum, quàm humanam ſocietatem aſpernari? hominum ſalutem negligere? de humani generis propagatione minime ſolicitum eſſe? Apud Moſem quoque Deus ipſe prædicit impiis, fore, niſi reſipiſcant, ut eorum nomen obliuione conteratur. Hieremias autem ita ſub Dei perſona in Iudæos inuehitur: euellam(inquit)uos, & ciuitatem iſtam excindam. Quocirca non immerito uiri ſanctiſsimi hoc ſterilitatis nomine omnes morum immanitates complectuntur: quale eſt illud Iſaiæ, Inſtar Sodomæ præſetulerunt, nec occultauerũt. Item illud Hieremiæ, frontem perfricuiſti, meretricis impudentiam ſuſcepiſti. Iccirco non dubitarunt filiæ Loth cum patre temulento rem habere, ſatius ducentes conſulere generi humano nefario inceſtu, quàm interitum pati. Iccirco Plutarchus libello de coniugalibus præceptis, uir & mulier, ait, qui copulam maritalem ſuffugitant, ſimiles ſunt iis, qui apicularum aculeis patienter ſe offerunt, mella ipſa reformidant. Ad eandẽ reſpiciens propagationem Virgilianus Damœtas cum Pollionis amicis optat mella fluere, nihil aliud ſibi uult, quã ut copioſiſsima rerum omnium ubertate diteſcant. Eamus nunc, & cælibatum admiremur, laudemus, ueueremur, qui æternum ſit generi humano cladem allaturus, quæ peſtis aut lues à ſuperis aut inferis immitti poſsit nocentior? quid ab illo diluuio timeri poſsit acerbius? quid triſtius expectari, etiam ſi Phætonteum redeat incendium? Nec

eſt

eſt dicendum, poſſe quenquam liberos abſque uxorio uinculo parere: quando, uti pictor, aliquid imitando, à natura diſcedit, muſicus uocem abſonam, & parum numeroſam, ratione diſcrepantem emittit, omnes quantumuis harum artium rudes offendit; quid de humano genere dicendum? Quòd ſi lex aliqua damnat ſterile matrimonium, cælibes multo magis damnabit; eo quòd nec cælibes eſſent, nec uirgines, ſi coniugii uim ſuſtulerint. Si natura pœnam non effugit, ne uoluntas quidem effugiet. ſi damnantur, quorum uoluntati natura defuit; quid commerentur ii, qui ne operam quidem dederunt, ut ſteriles non eſſent? Quam aliam ob cauſam opifex hominis primum quidem bipartito diuiſit genus, mare ac femina conſtitutis, deinde cupiditatem uehementem utrique iniecit conſuetudinis & coniunctionis alteri cum altero, & ingens deſiderium utrique mutuum concitauit, ut mas feminam appeteret, femina marem? Nonne igitur apparet, uoluiſſe eum, utrique ſexui conſuetudinem eſſe, & communi opere uitam inſtitui, ac mutuo iuuari, gigni ab iis & educari liberos, ut genus noſtrum perpetuum eſſet, atq; in ſtudio ſanctitatis diligenter exerceri, ut & leges diuinas, ad ſpem futuræ ſalutis erecti, iuſtitiam, & pietatem, quantum poſſunt, excolerent? In cælibatu autem non fuit perfecta & abſoluta ratio pietatis, nec felicitatis, ſed inchoata quædam, eaq; rudis felicitatis ſpecies. At coniugium reprimit quidem impios atque nefarios hominum conatus, it obuiam furori, & ſceleri; ſeuere, atque uehementer impia facinora uindicat, atque ad illum perfectum perpetuitatis & felicitatis gradum perducit, omnibus commoditatibus uitæ propoſitis, non ad uitam inanem tantum, ſed ad poſteros quoque dirigit. cuius quidem finis nõ aliud eſt, quàm uitæ commodis abundare. hic nihil uideo ſane, quod non potius fluxum, demiſſum, & turpiter abiectum. Siue enim eorum inconſtantiam ſpectemus, ſiue honoris, & humanæ uirginitatis leuitatem, ſiue quendam fucatum libertatis ſplendorem, uel poſtremo felicitatis humanæ ſpeciem

illam

illam ſimulatam atque fallacem, nihil reperiemus quod mentem explere, aut animum uoluptate diuturna ualeat allicere: omnia nanque ſunt anguſta, fluxa, mortalia, erroris & inanitatis pleniſsima: ſola coniugalis uinculi ornamenta ampla ſunt, immortalia, diuina: quæ nulla unquam uis eripiet, nulla uetuſtas obliuione obruet, nulla calamitas extinguet. & quanquam tanta dignitas effugere nequeat interdum humanarum rerum anguſtias, ut in filiorum & parentum amiſſione; illi tamen, qui hoc diuino præſidio confirmati ſunt, omnia ſuſtinent. Nemini autem perſuaſum iri uelim, ut cælibatum ſpernat, ſed ut uitæ fluxæ atque nefariæ ſtabilem & honeſtam uitam anteponat. ſiquidem humanum ingeniũ apiculæ ſimillimum eſt, quæ ſola uiuere nequit. perit enim, ſi relinquitur ſola, ſed ad unum & commune opus ſuarum congenerum tota inclinat, operam ſuam omnem & ſtudium proximis coniungens. nuptiæ autem principium ſunt conſtitutionis familiæ. Quiſquis igitur homines nuptiis priuat, is familiam prorſus tollit, ac extinguit, ſimulq́; ciuitatem & totum genus humanum, quod abſque generatione nullum erit. Nam, familiam, aut ciuitatem non ſolis uiris, ſed mutua conſuetudine conſtare, manifeſtum eſt. contra quam (ueluti aiebat Muſonius) ſicut ubi quis hoſpites iniuria afficit, ſimul & Iouem hoſpitalem offendit. et qui lædit amicos, in Philium Iouem, id eſt amicitiæ præſidem, peccare dicitur. Itaque qui erga gentem & familiam iniurius eſt, is aduerſus patrios Deos, ac Gentilitium Iouem, iniuriarum in genus proprium cenſorem, ac uindicem, delinquit: quoniam parentes Deorum nobis imagines ſunt; & Dii Lares ſeu domeſtici beneficiorum auctores, cognati, creditores, domini, & amici conſtantiſsimi. ſunt enim imagines Deorum tutiſsimæ, & ſimilitudinem eorum nobis referunt, melius quàm ullius artis facultas exprimere poſsit, cum tanquam Dii domus patroni, & nobis familiares ſunt, beneficiorum item maximorũ nobis auctores ſunt, & maxima quæque præſtant, non quidem ea ſolum quæ habemus, ſed quicquid no-

bis exhibere & optare uoluerunt. Iccirco priſci exiſtimarũt, honoribus in ciuitate affici debere quisquis multos liberos haberet, atq; ea de cauſa immunitatis præmia conceſſa ſunt: ut uicini omnes quadã quaſi reuerẽtia moueantur, quoq; potentior ſit omnibus ſibi æqualibus, qui non æque multos liberos habuerũt. quid igitur, dicet aliquis, nullas ne putas in tota cælibatus uita honeſtatis reliquias collectas eſſe? nec aliquem unquam mortalium, niſi coniugio deuinctum, priſcis illis temporibus honeſtatis ſtudia coluiſſe? Negare non poſſum, multos etiam in illa communi labe generis humani ſpecie honeſtatis illectos, & in uirtutis ſtudiũ incitatos quodam modo fuiſſe. Cum autem iſta malorum conſentiens uita procreationi quaſi uim inferre uideatur, à rectis naturæ inſtitutis deducatur; exiſtit illa contentio, atque bellum inteſtinum; in quo quidem ratio, quaſi ſpecie caſtitatis obumbrata, ſæpius uicta cedit uoluptati, atque turpitudini, ita tamen, ut falſa illa imagine à Dei præcepto abductam eſſe conſtet. quod ſatis indicium facit, obteri interdum hanc caſtitatis indolem aut libidinis impetu, aut aliqua flagitii cupiditate. Hoc enim fuit illud infinitum imperium peccati, atque mortis, quod diutiſsime terras omnes oppreſsit: de quo tam multis in locis ſacræ literæ conqueruntur, Maledictus qui ſeminat ſemen ſuum ſuper terram, quiq; nec Deum requirunt. omnes enim de uia declinauerunt, nec unus quidem in officio permanſit. cuncta denique importuna tyrannide peccati teruntur; neque alia de cauſa propoſitæ ſunt nobis minæ, clades, eluuiones, incendia, terrores uariis oſtentis atque prodigiis hominum millibus, iniectæ bellorum tempeſtates, gentium ruinæ, niſi ut mortales à ſcelere ſterilitatis deterreant. contra uero uitæ commoditates, lex ſocietatis diuinitus promulgata, ſanctiſsimæ religionis coniugii inſtitutio, diuinæ promiſsiones, immortalia beneficia, ut ad officium atque ſanitatem reducant. Quæ omnia manifeſte declarant, nullam in cælibatu eſſe expreſſam effigiem honeſtatis, nec ullam ueri decoris ſpeciem atque

pulchri-

pulchritudinem, nec aliquam perpetuitatis formam extare, cum ſit plenus uitiis, atque tenebris miſerrime circunfuſus. Iam ſatis, opinor, conſtare poteſt, ueræ perpetuitatis, atque ſolidæ felicitatis rationem apud hos in obſcuritate latere. Cælibatus nil aliud eſt, quàm cõmunis calamitas, cõmune incendium, atque flamma, quæ per orbem terrarũ peruagatur, communes illæ tenebræ, quibus omnes decoris atque dignitatis rationes occultantur, & demerſæ iacẽt. quòd ſi apud quoſdam barbaros, nec adhuc inſtitutos ad honeſtatem impudentius uxores ducerentur, ea tamen res erat ſpecies matrimonii, quoniam nec diſcedere ab eis licebat. Multa etiam fuiſſe in antiqua lege conſtat, quæ tamen puto magis temporis cauſa ferenda, quàm laude celebranda, ut exteris gentibus fœnerari, plures habere uxores, diuortium facere dote tribus penſionibus reddita. non poterant tamen Germani repudiare uxores. Quod autem reddita Zapyri, qui intra Derbicas, & Hyrcanos ſunt, ubi tres quatuor ue liberos ſuſcepiſſent, prolis gratia permittebantur fœcundas uxores aliis tradere. Idem & Romanis Numæ lege licebat, cũ & M. Cato Martiam oratori Hortenſio uxorẽ ſuam conceſſerit. Senex maritus Spartæ uxorem iubebat admittere iuuenem alium, ex quo filios ſuſciperet, qui ſeniores eſſent. tamen ex his matrimonium ubique contineri conſtat, ubique coli: & ſi multo ſanctiora ſint inſtituta noſtra, & eius ſanctitatis munus nobis tantum Chriſticolis conferatur. At uideo ueſtrum aliquem obmurmurare, perſiſtentem in prima ſententia, inquientẽ, beata res eſt coniugium, ſi omnia eueniant ſecunda. Sed quid, ſi moroſa contingat uxor? quid, ſi impudica? quid, ſi liberi impii proueniant? Addis exempla eorum, quibus coniugium exitium attulerit. Exaggera, quantum potes: credas tamen neceſſe eſt, hominum iſta uitio accidiſſe, non coniugii. non ſolet enim, niſi malis maritis, mala uxor contingere. Adde, quòd tibi in manu eſt, ut bonam eligas. Quid, ſi corrumpatur? à malo enim marito uxor bona corrumpi poteſt, à bono mala corrigi conſueuit. falſo

uxores accuſamus. iam uero, non eſt quòd zelotypiam metuas. amantium iſte morbus eſt. caſtus & legitimus amor zelotypiam neſcit. eos enim camelis æquiparandos cenſuerim: propterea quòd reliqua animalia tempore, quo rei uenereæ cupidine, uel rabie potius incitata geſtiunt, in ſuum tantum genus ferociunt, camelus autem in hominem etiam, atque in unum quodque aliud animal ſæuire conſueuit, & uſque adeo ſibi timet ab omnibus, ut ſolitudines petat, & id temporis ab omnium conſortio diſiunctus, ſolam feminam affectetur. Quòd uero filii interdum in parentes adeo ſæuierint, ut plures interfeciſſe ex hiſtoriis conſtet, plures matres etiam filios propriis manibus enecaſſe: cur non contra Bithona & Cleobē fratres afferunt, qui ſubiecti iugo matrem curru impoſitam ad Iunonis templum uexerint? quod cum alii, tum Pauſanias tradidit. Et, ut reliqua perſequamur, ſi quis hominum tantum ſceleris admiſiſſet, articulatim eum acutis calamis cæſum iubebant uiuum ſuper ſpinarum aceruos comburi, merito maximum omnium ſcelus iudicantes ei mortem inferre, à quo uitam quis accepiſſet: uel in culeū includi ſimul cum uipera, ſimia, & gallo. Subitq; in hanc ſententiam Arſinoes recordatio, quæ à Ptolemæo fratre inſidiis & fraude decepta, cum percuſſores, in duos filios impuberes, à fratre immiſſos, conſpicata eſſet, complexa eos ad ſe fugientes, ea parte, qua uulnera filiis inferebantur, diu corpus ſuum cædendū oppoſuit. Altera erat obiectio, quòd quædam maritum ſecuri percuſsit, altera ueneno ſuſtulit, illa morum odio ad mortem adegit. cur non potius Tiberii Gracchi Cornelia ſuccurrit? cur non Alceſtis, non optimi mariti coniux optima? cur non uel Iulia Pompeii, uel Catonis Portia? cur non æterno nomine digna Artemiſia? cur nō Hypſicrathea, Mithridatis Pontici Regis uxor? cur nō tertiæ Aemiliæ comitas in mentem uenit? non Turiæ fides? non Lucretia, ac Lentula? cur non Arria illa uſqueadeo à Plinio celebrata? cur non innumeræ aliæ, quarum pudicitia & fides in maritos ne morte quidem potuit immutari? At dul-

cis

cis libertas: quiſquis uxorem accipit, compedes accipit, quas ſola mors poteſt ſoluere. Quid eſt, quod dulce eſſe homini ſoli poſsit? ſi dulcis eſt libertas, cur non ſociam iſtius boni aſciſcis? nemo enim poteſt ab omnibus laudari, niſi ſit iucundus & gratus uniuerſis. nemo autem poteſt aſſequi, niſi ſe ipſum iiſdem uinculis adſtringat, quibus uniuerſam multitudinem obſtrictam eſſe uidet. nihil eſt enim aptius ad amorem conciliandum, quàm ſtudiorum ſimilitudo. At uereris, ne liberis morte ademptis in luctum incidas. ſi orbitatem times, ob id ducenda eſt uxor, ut ſobolem creet. quòd ſi matrimonii incommoda exhorreſcis; contra, num cælibatus nihil habeat incommodi, conſidera. quaſi uero ulla ſit uita mortalium, quæ non ſit omnibus fortunæ ſubiecta caſibus. è uita migret oportet, qui nihil incommodi ferre uelit. Quod uero nuptiæ ſtudiis liberalibus impedimento ſint, ridiculum hoc eſſe liquido conſtat. Nam ſi homini conuenire permittunt, cur non etiam ſtudioſis, & doctis? an deteriorem quenquam literæ faciunt? quinimmo meliorem, iuſtiorem, atque honeſtiorem. an quia non peior & iniuſtior eſt qui ciuitatem ſuam negligit, quàm qui ipſam curat? & qui ſuam ſolius rem agit, quàm qui publicam? aut quia ciuitatis, humanitatis, & familiaritatis ſtudioſior eſt is, qui ſolitariam uitam ſequitur, quàm ille, qui familiam regit, liberos gignit, & ciuitatem ſuam promouet: quæ omnia maritus facit. Hæc ſane ratio non parum efficax mihi uidetur ad cõmouendos illos, qui à nuptiis eos, qui ſeſe literis dediderunt, alienos eſſe cenſuerunt. quandoquidem nuptiæ ſi non fuere impedimento neque Socrati, neque Crateli, quoniam uterque uxorẽ habuit; nec ullos alios nominare poſſumus, qui melius illis philoſophati ſint. Crates enim domo ſupellectile, boniſq; omnibus carebat, uxorem tamen duxit, & cum latibulum nullum haberet proprium, in publicis Athenarum porticibus egit tum interdiu, tum noctu cum uxore. Nos autem, qui domos, qui famulos habemus, adhuc dicere audemus, optimas artes nuptiis impediri? Atqui philoſophus

loſophus erit in omni re, qui quidem naturæ conueniat. Sunt enim nuptiæ ſecundum naturam, uoluntarium potius in humanum genus imperium quodam modo præſeferētes, quàm ſeruitutem. quinnimmo id ita intelligendum, coniugatis impoſitum fuiſſe legis iugum tanquam ſeruis, ut quaſi per matrimonii uinculum ad præceptorum obedientiam traheremur ita. ſi ſeruitus hæc eſt, lōge uidetur anteponenda libertati. fructus enim alteram ab altera diſtinguit. &, ubi ſeruantur leges rectum & honeſtum tuentes, ibi ſumma felicitas. quid porro præcipit lex? non mœchaberis, non occides. an uero, quia cælibes liberi ſunt, mœchandi licentia abuti debent? & ſicariam in coniugatos ſine metu facere? nequaquam; immo eis neque concupiſcere, neque in alienam uxorem oculos uertere præceptum eſt. ob id enim matrimonium lex imperatorie mandat, ne quid erga proximū agamus, quod fieri erga nos diſpliceat. Aſſertor noſter præcidendas monet uitiorum cauſas, ut neque quidem facere quicquam præter ius & fas in animum inducamus. Hæc enim eſt uera libertas, cum noſmet ipſi ſpōte abiicimus uitiorum ſeruitutem, cum libidinum ergaſtula confringimus, & è malarum cogitationum uoraginibus emergentes, uinculis omnibus expediti, in ſinceritatis liberos campos euadimus, abſtinemusq; non tanquam ſerui à flagitiis metu flagri, ſed tanquam ingenui pie ſanctęq; educati, ſponte probi modeſtiq; omni ſtudio, meditatione, conatuq; legum monitis ita obtemperare debemus, ut ne cogitari quidē ullum uelimus ſcelus. boni enim qui ſunt, niſi ſponte boni ſint, nullum ex bonitate ſua præmium aſſequuntur. nam & Abraham, & Enoch, Noe, & patrū plerique alii ſine legis ſeruitute Deo placuerunt. Iccirco Apollonides cenſebat inter homines nō aurum, non regnum, non diuitiarum luxus, uoluptates tā eximias præbere, quàm boni mariti, & uxoris piæ uoluntas iuſta, & legitime affecta. Propterea, ut Plato cenſuit in Simpoſio, quemadmodum apud nos de amantibus lex illa relata eſt, qua dicitur nullum uoluntarium amatoris inanimatum

tum obſequium adulatorium, aut infame putandum, ſic & alia quædam ſecundum legem uoluntaria ſeruitus reſtat, quæ infamiam nullam ſubit. Hæc autem eſt, quæ circa matrimonium uerſatur. nam noſtris legibus ita eſt inſtitutum, ut, ſi quis uelit aliquem colere, putemus per illum uel ſapientia quadam, uel in alia quauis parte uirtutis proficere: hanc rurſus uoluntariam ſeruitutem neque dedecori ſeruienti fore, neque adulationem uocari debere. Nam ſi quid bene agitur, honeſtum eſt, aliter uero turpe. Sic etiam amare, & amor nō omnis eſt honeſtus ac laude dignus, ſed is tantum, qui ad amandum honeſte impellit. Quocirca non raro admiratus ſum illos, qui matrimonium ſeruitutem appellare auſi ſunt. qui quidem omnes propter mentis caliginem matrimonii dignitatē inaniſsimis querimoniis nudatam deſpiciunt, illam uero excellentem matrimonii dignitatis lucem aſpicere nullo modo poſſunt. non paucis enim intolerabiles fuerunt uxores, non quòd ſua culpa, aut ſuapte natura talis ſit cum uxore ſocietas, ſed quando ducimus quas non oportebat. Et ipſi quoque plane imperiti ſumus in uita, neque inſtructi ad ducendum uxorem ingenuam, ut ſæpius cernitur. ideo uſu uenit, ut difficilis atque intolerabilis ſocietas ſit. neque procreationis liberorum, aut uitæ ſocietatis gratia ducunt uxores. ſed alii cupiditate dotis allecti, alii excellentia formæ, alii uero aliis huiuſmodi cauſis ducti, ceu malis conſiliariis uſi, de ingenio & moribus ſponſæ nulla cura habita, in perniciem ſuam nuptias celebrant. nam uoluntatum diſsimilitudo odium parit, contrahendæ autem ſunt nuptiæ cuique pro ſua fortuna, ut neque ſuperiorem facultate ſua, nec inferiorem ducat uxorem, ſed iuxta facultatis conditionisq; ſuæ modum. qui enim ultra facultates ſuas nuptias ineunt, illis de principatu diſſenſio plerunque oboritur. nam uxor opibus ac genere ſuperior, maritum regere conatur. ille uero indignum hoc iudicat, præterq; naturam, mulieri imperium concedi. At qui facultatibus ſuis inferiorem ducunt, dignitatem & amplitudinem familiæ

minuunt

minuunt, iccirco Muſicum imitari præſtiterit, qui poſtquam uocis ſuæ proprium tenorem obſeruauit, ita demum mediam inſtituit uocem, quæ & acui poſsit cum opus eſt, & grauari, qualis nec abrumpitur, nec citra relinquitur. Itidem nuptias iniri decet iuxta proprium animæ tenorem, ut non ſolum in ſecunda fortuna bene conueniat coniugibus, ſed etiam in aduerſa. tales enim primo nubentes facile flecti inſtituiq́; poſſunt, & ad diſcendum promptæ ſunt, & ad metuendum amandumq́; uiros ſuos. Talis quoque pecuniarum ſocietas connubio iunctis maxime conuenit, ut, unam in ſubſtantiam rebus omnibus confuſis ac mixtis, non hanc partem propriam, illam alienam, ſed omnia propria, ac nihil alienum arbitrentur: utq́; potionem temperatam, etſi plus inſit aquæ, uinum tamen appellamus, ita fortunas & rem familiarem, quamuis plus uxor contulerit, mariti dici oportet. Nam & Indos, & ipſorum ſapientes hoc modo uxores ducere ſolitos, eius faciem intuentes, unde nunquam ſe falli aiunt, quoniam ex benignis oculis ſummam animi pulchritudinem conſequi agnoſcunt. euenit enim, ut, qui non excandeſcit, iraſcitur, aut bile mouetur, faciem ſplendidam ſerenamq́; habeat: quæ uero maligna & doloſa fuerit, ea ſtatim & oculis tranſuerſe implacideq́; intueatur: qui ſtolidus ac ſimplex eſt, pupillas & oculos patentes gerat, ut aſini, & boues: cum ſupercilia coniunguntur, improba eſt: cuius ſuperficies in uultu non rubet, ſed obſcura caliginoſaq́; eſt, huius anima nullo unquam modo exhilaratur. ceteræ huiuſmodi notæ non modo uirginibus & mulieribus, ſed etiam uiris inſunt. Proinde poſt ſuperiora ſigna, uocem quoque mulieris conſiderato. nimirum ſuauior eſt uox canora tum mane, tum à prandio: debet enim magis ad lenitatem contrahi: aſperum uero neque clamorem, neque ſermonem edat: nam huiuſmodi ſignum nugas multas inutiles indicat. quemadmodum ſpeculi ex auro gemmisq́; conſtructi nulla fuerit utilitas, niſi formam ſimilem repræſentet: ita neque diuitis uxoris fructus ullus eſt, niſi uitam marito ſimilem, &

inge-

ingénium concors exhibeat. decet etiam maritum probum eſſe. nam ſi uir malus fuerit, quo modo concordes inter ſe fuerint? uel quo pacto bonus cum malo conſentiet? Quinimmo conſideranda utriuſque ætas: quoniam, ut aiebat Theognides, incommoda eſt uxor iuuenis uiro ſeni. non enim gubernaculo, inſtar nauis, regi poteſt, nec anchoris detineri, ſed, abruptis funibus, ſæpius de nocte alium portum petit. Talis enim eſt, ut paulo ante diximus, de rebus laudandis apud omnes opinio, quales ſunt ii mores, quibus imbuti ſunt. neque enim poteſt is, qui pudorem penitus amiſit, honeſtatis ſpecie commoueri; neque is, qui ad fallendum paratus eſt, uera ſimpliciaq; laudare; neque ille, qui diuturna libidinis conſuetudine implicatus eſt, matrimonii caſtitate delectari. nemo denique ea probabit unquã, quæ ſuis ab inſtitutis aliena uidet eſſe. ita qui hebeti ingenio ſunt, languori deſidiæq; dediti, improbis cupiditatibus obtemperant, & publicam ſalutem negligentes, omnia referunt ad ſuam utilitatem. nullam enim apud eos uim tunc habet naturæ lex, nullam poſsidet religionem ſanguinis cõmunio, nullam ſanctitatem retinet amicitia, ſed potius omnia gentium iura inaudito ſcelere & audacia uiolantur. Quantum enim ad infirmitatem mulierum attinet, profecto, ſi ad numerum aduertamus, ridiculum eſt, paucisſima infinitis opponere. natura in hac inſtitutione infirmum etiam ſexum m mulierum, imbecillam ætatem puerorum, incredibili conſtantia & fortitudine armauit. Bello cũ Meſſeniis congreſsi Lacedæmonii, eorum impetum cum ſuſtinere non poſſent, pedesq; ſenſim referrent, uxores eorum, hoc animaduerſo, repente arma capiunt, impetuq; in hoſtes facto, non tantum inclinantem maritorum aciem reſtituerunt, uerum & Meſſenios ipſos fugauerunt. eas inde amplexi Lacedæmonii, prout erant armati, cum armatis promiſcue, ut Lactantius ait, concubuere, atque ita mox armatam Venerem colere cœperunt. Poſſem poſtremo argumentis peruincere, omnia mala, non matrimonii lege, ſed

cõtemptioné potius matrimonii extitiſſe. ſed quoniam ad finem propero, illud tantũ dicam, non ſolum homines ipſos, ſed & ciuitates omnes, nationes, & imperia cælibatus deleri, ſolum coniugii regnum eſſe perpetuum; quod nullis hoſtium uiribus excindi, nullis opibus labefactari, nullis inteſtinis ſeditionibus conuelli unquam poteſt: ex quo tot oriuntur bona, tot emergunt commoda, quot uix mente comprehendi licet, nedum uerbis explicari: ſi quidem matrimonium certos liberos facit, non dubios inſtituit hæredes, conuentum naturæ honeſtat, cupidinem ac impetum illum propagationis, appetitumq; mutui congreſſus extinguit: marem feminæ, feminam mari certo cum fructu, nulla cum infamia connectit. ſine matrimonio nec paterfamilias diu, nec domus appellari, nec augeri ſtirps, nec communicatio conſiliorum fieri poteſt, nec beneuolentia percipi. Quo modo enim, ut Firmianus aiebat, ſeruari poterit caritas, ubi nihil certum ſit, quod ametur? Quis mulierem diliget, aut quæ uirum, niſi habitauerint ſemper una, niſi deuota mens, & ſeruata in mente fides indiuiduam fecerit caritatem? Quis præterea filios amare tanquam ſuos poterit, cum ſuos eſſe aut ignoret, aut dubitet? Quis honorem patri deferet, cum, unde natus ſit, neſciat? Quæ enim uehementior diſcordiarum cauſa inter homines eſſe poteſt, quàm ſi à multis maribus una femina appetatur? quod exemplis animantium, quæ ob hoc acerrime pugnare conſueuerunt, & hominum, qui ſemper ob eam rem grauiſsima inter ſe bella geſſerunt, unuſquiſque plane poteſt intelligere. Quid autem hic Romanos commemorem? cum illud inter omnes conſtet, non alia de cauſa Troianorum regnum, quã ob Helenæ raptum, funditus euerſum. itaque imperium illud, quod per optimates primo, deinde per Reges partũ, & amplificatum erat, breui fuit Paridis concubitu & libidine diſsipatum. Huiuſmodi enim ſeditiones conſequenter quondam exceperunt Tarquiniana tempora, quæ cum per ſe ſatis grauia & luctuoſa reip. fuiſſent, tum etiam ad ærum-

nas ſexcentas , atque tandem ad ipſorum Tarquiniorum expulſionem uiam munierunt : ex quo fluxit initium omnium calamitatũ, quæ poſtea regnum illud euerterunt. Quid Hipparchus Piſiſtrati filius ? non ea ratione ſublatus fuit, fraterq; eius Hippias Athenis exterminatus ? ſic etiam Dionyſius poſterior, Dionis atque Timoleonis uirtute, fuit ob libidinem Syracuſis expulſus. Quid autem hic referam illas heroum contentiones, quibus & natalium ſuorum matrimonia oſtentabant, & eo nomine ſe cunctis aliis præponebant ? quale eſt illud Achillis in Aſteropæum Axii fluminis nepotem, &Tlepolemi in Lycium Sarpedona. ita gentis nomen & dignitatem non aliunde quàm à matrimonio proficiſci contendebant. non enim Didonis erga Sycheum fides, non Porciæ erga Brutum caritas, non Iuliæ erga Pompeiũ amor, non Gracchi Tiberii erga Corneliam pietas tantopere prædicaretur, ſed promiſcuis amplexibus, ubi fas fuiſſet, ceſſaſſet amor, & caritas coniugalis, ceſſaret cura procreandorum, alendorumq; filiorum, cum omnes ueluti ſuæ prolis incerti nullam illorum curam cogitationemq; ſuſciperent; atque hic tam pulcher mundus, quem ex ipſo matrimonio, tanquam è quodam ſeminario, in dies magis augeſcere, conſeruariq; uidemus, contra breui temporis & ætatis ſpatio deficeret. hæc enim res una temperantiam, caſtitatemq; aufert: quæ uirtutes in utroque ſexu maximæ ſunt, & habentur: etiam uerecundiam, pudorem, & modeſtiam. nam, ſi omnes uiri luxurioſi, & mulieres adulteræ, ac meretrices haberentur, proculdubio humana uita, ſoluta legibus, ad ſimilitudinem pecudum, ac beluarum redigeretur. Quamobrem pro huiuſmodi homine, multarum concubitum appetente, ueteres ceruũ exporrecto genitali pingebant. is ſiquidem, cum turgente iam uenere coitum appetit, non in una tantum immoratur. Aiunt etiam coitum ceruorum non eſſe ſtatarium, ut ceterorum animalium. Deſinant igitur iam homines imperiti de matrimonio impie conqueri, deſinant illorum crimen in diuinum matrimonii be-

neficium indigne ac ſcelerate coniicere : intelligant aliquan do ſolum coniugii nomen eſſe , cui nulla unquam ætas finē ſit allatura. nempe cuius gloria, laus, uirtus, ſplendor, opes, facultates ſint immortales atque diuinæ : reliqua omnia flu-xa & lubrica cum ſint, exiguæ uitæ curriculo intereunt. ſo lum igitur matrimonium cum diuinis præſidiis innitatur, erit in omni ætate florentiſsimum, ac conſtans. Qui igitur laudem, qui dignitatem, qui gloriam ſpectat : cui propoſi-tum eſt honeſtum : cui uitæ ſuauitas, ac tranquillitas curæ eſt : is uinculo matrimonii ſe obſtringat : ueram iuſtitiam, abſolutam liberalitatem, perfectam animi moderationem, & reliquas felicitates, quæ nobis à domino præſcriptæ ſunt, ardenter amplectatur, eamq; fortitudinem retineat, cui ſo-li conuenit huius nominis decus, & amplitudo. Hæc enim ſo la eſt beatitudo, quæ omnes peccati neruos incidit, quæ di-uinam mentis effigiem illuuie offuſcatam in priſtinum ſplen dorem reſtituit, quæ tenues opes animi incredibili conſtan-tia corroborauit, quæ cunctas cogitationes ab humanis re-bus ad religionis & ſanctimoniæ ſtudium traducit, uiamq; certam atque directam in cælum aperit. conferat nunc, qui uolet, illud cælibatus genus, quod fuit hominibus ad aſpe-ctum ampliſsimum, cum matrimonii dignitate : iam uide-bit quantum à matrimonio diſtet: cum in hoc ea contineantur, quæ optabilia ſunt, in illo triſtis ſolitudo, commodorū omnium, ac plane omnium iucunditatum inopia ſita ſit. hoc diuina lege conceſſum, habet firmiſsimam ſpem in Deo col locatam, nihilq; niſi diuinum atque ſempiternum ſpectat : illud contagione libidinis fœdatum, hoc autem purum & in-uiolatum permanet. ille infirma ſpe atque animo de gloria ſua cogitat, nos uero ſpe firmiſsima immortalitatis, certiſsi-moq; ſobolis fructu ducimur. O ſingularem cæleſtis bene-ficentiæ magnitudinem, o immenſam diuinorum beneficio-rum copiam, & incredibilem munerum largitatem. hoc il-lud fuit, quod multis ante ſeculis à uiris diuino numine af-flatis prædictum erat : fore nempe, ut Deus in humana for-

ma be

ma deliteſcens doctoris officio fungeretur, omnemq; nobis uirtutis & honeſtatis diſciplinam traderet, uireſq; matrimonii matris nuptiis confirmaret, quibus ea, quæ docuit, perfici conſtanter poſsimus. Quòd ſi lex nihil aliud eſt, quàm ratio perfecta: illa certe ratio, quæ non modo natura, ſed, quod eſt longe præſtantius, præſenti Dei numine ita perficitur, ut facile ſeſe ad Dei imitationem accommodet, dubium non eſt, quin diuinam legem in ſe contineat. Conſtat etiam, hoc ſacramenti uinculum cæleſte atque diuinum à Chriſti doctrina atque numine profluxiſſe, & ad eorum animos permanaſſe, qui Chriſti ſunt ſecuti ueſtigia. Quibus igitur laudibus, o ſacra res uxoria, merito te efferemus, aut qua beneuolentia complectemur? tu, ne tam pulcher iſte mundus, quem incolimus, deficiat ac pereat, per conſequentes ætates illum renouas, aſsidueq; inſtauras. tu ſub imagine natorũ nos quadam immortalitate ac perpetuitate, tuo beneficio, donas: tu dulce nomen patris & filii dignoſcere facis: tu libidines, ſtupra, adulteria extinguis, & nos à brutis diſtinguis, ac ſeparas. tu diſcordias, & maximas lites hoc tuo ſanctiſsimo uinculo prorſus aufers, & hominem homini primæuo amore, atque beneuolentia cumulas. tu utranque fortunã lætiorem reddis, atque tolerabiliorem. tu caſtitatem, tu pudicitiam, tu fidem coniugalem conſeruas. tu magiſtra morum, propulſatrix uitiorum: quo ſine uita hominum diutius permanere aut conſiſtere nequiret. nihil ſane ad uitia ex animis extirpanda, uirtuteſq; ſerendas, hominumq; uitam honeſtatis opibus excolendam, utilius, neque quod uel ad elegantiam pulchrius, uel ad ſtudium multitudinis amabilius, uel ad claritatem nominis illuſtrius, uel ad proprii ſanguinis propagationem commodius eſſe, aut ab ullo excogitari poſſit. etenim, ut nulla exitioſior peſtis, atque pernicies rebus humanis inferri poteſt ea, quæ naſcitur ex aliquo inaudito ſceleris exemplo: ita nihil eſt humana ſocietate ad homines in officio continendos accõmodatius, nihil ad communis uitæ con-

tæ conſeruationem ſalutarius . Hæc enim ſunt illa diuina opera , quæ admirationem cunctis afferre , ſtudia hominum excitare, immortali denique laude uigere poſſunt . Hæc fere mihi in mentem uenerunt , quæ de matrimonio diſſererem. quæ quidem , ut uidetis , ab initiis naturæ profecta , piorum hominum mentes in cælum aliquando extollent. Si ueſtrum igitur aliquis , uiri Academici , perſtat in ſententia , ut coniugium uituperandum exiſtimet ; à recta ratione longiſsime diſcedit , neque , quod ſe dignum eſt , facit . ortus enim poſtulat , ut id , quantum poſsimus , ornemus , augeamus ; & interim ad ſummum immortale decus, per matrimonii quaſi gradus aſcendentes , aſpiremus .

DE DIALECTICA, AD ACADEMICOS LOVANIENSES.

INTER omnia inſtituta, quæ à maioribus noſtris ſumma nobis cum laude tradita, à nobis deinde non minore cum fructu tractata ſunt, nullum ſane præſtantius, nullum hominum generi utilius, nullum accuratius conſeruandum uidetur, quàm id, cuius præſcripto artes atque ſcientiæ orationibus efferri, exornariq; conſueuerunt. fit enim, ut huiuſcemodi exercitationis genere excitentur, eriganturq; iacentes hominum animi: cum, eius præſidio, atque opera, earum rerum, quæ laudandæ proponuntur, & dignitatem, & utilitatem non omnino habeant incognitam, aut inauditam. hæc res ſane priſcis ſeculis effecit, ut magno & excellenti homines ingenio omnes conatus, omnia ſtudia ſua eò direxerint, ut animis ipſorum inſita ruditas, laudatiſsimarum artium ornamentis excoleretur; &, quicquid operæ impendi poterat, contemptis interim cum publicis tum priuatis actionibus omnibus, huc potiſsimum contulerint; exiſtimantes id, quod erat, multo eſſe homine dignius, animum, quæ eſt humanarum partium nobiliſsima, nec niſi ad laudem, ac decus homini tributa, multiplici rerum humanarum diuinarumq; ſcientia excolere, quàm aut ſtruendis opibus, aut cumulandis honoribus inuigilare: quibus rebus, quia fluxæ, terrenæq; ſunt, & ad ſolius corporis cultum pertinent, nemo temperatior, nemo fortior, aut iuſtior fieri poteſt. ſic quoſdam rem familiarē abieciſſe, inter quos uel primus eſt Democritus, quoſdam uoluptates contēpſiſſe, quorum facile princeps eſt Xenophanes, Græci ſcriptores uno omnes ore commemorant. tanta eſt enim artium uis, ac dignitas, ut non tantum homines in ſui admirationem ſtudiumq; rapiant, ſed & acerrimos in ipſorum animis relinquant aculeos, ac proinde indiſſolubili uinculo familiariter ſibi adſtringant. Verum, cum

aliis aliæ rationibus magis probentur; (quoſdam enim mouet utilitas, alios allicit oblectatio, non nullos etiam impellit neceſsitas)cumq; una ſit honeſtas, cuius cauſa liberales artes generoſis quibusque animis debēt eſſe cōmendatiſsimæ, de ea nunc paucis diſſeremus, & oſtendemus, non modo quia pulchra, aut utilis, ſed etiam, quia neceſſaria, uehementer expetendam. Atque hic protinus, ſi quid huiuſmodi uotis proficiſcitur, eam mihi eloquentiam dari poſtulauero, qualem Herculi Ogygio ſuo tribuebāt Galli, qui, à lingua in aures defixis catenulis, mortales, quò lubuit, circumduxit; aut, ſi uere eſt aliqua flexanima Pitho, eam mihi propitiam eſſe, ſummis uotis poſtulauero, dum artis clariſsimæ, quam nunc mihi laudandam ſumpſi, encomia quàm fieri poteſt paucißimis abſoluo. Proinde adeſte animis, & paucis cognoſcite, quæ me adduxerint rationes, ut præcipue ſtudium Dialecticæ neceſſarium omnibus exiſtimem. Atque illud quidem primo loco quaſi præſidiū in prima acie conſtituo, nunquam non opus eſſe nobis adſtricta quadam loquendi ratione, qua, ſemotis interim ſinuoſis uerborum inuolucris, neglectaq; oratoriæ dictionis ubertate, quibus auditorum animis ſæpe tenebras, ne ueritas innoteſcat, offundimus, breuiter quiſque, quod animo conceperit, explicare poſsit, quaq; in diiudicandis aliorum ſcriptis uelut certa quadam norma utatur. nā ſi, pro cuiuſque arbitrio, temere, citra delectum, atque rationem aliquam ſententiæ ſententiis aggerentur, cumulenturq; ; quis tandem erit dicendi modus, aut finis? quare neceſſe eſt certam quandam tenere Dialecticæ rationem, ad quam, uelut ad amuſsim aliquam, tota oratio exploretur; ne nimis libere, abſque concinno aliquo ſenſu, temere omnia, ut primum in buccam uenerint, effundantur. quod ſi accidat; quis erit ex diuturno ſtudio literarum fructus? quid omnino, quod nobis ipſis ornamento, aliis admirationi poſsit eſſe, præſtabimus? neque uero longiorem orationem, demonſtrandi cauſa, res poſtulat; cum uel quotidianis exemplis erudiamur,

bonam

bonam adoleſcentum partem, quantumuis laborioſa opera in diuerſis diſciplinis uerſatam, ad maturitatem aliquam, induſtriæq; infinitæ ſperatum fructum ideo non peruenire, quòd maiore ſtudio atque contentione hanc ſibi non adſciuerint diſciplinarum omnium ducem atque adiutricem. cuius uim atque naturam cum homines ſtolidi, aut non ſentiant, aut, quod ueriſimilius eſt, negligant; angor equidem, atque ita indignor, ut interdum cum ſatyrico poeta exclamem:

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca:

nam ſi huius artis, longe inter ceteras præſtantiſsimæ, ullam curam ſuſcepiſſent; profecto incredibiles ſui amoris æſtus in ipſorum pectoribus excitari facile ſenſiſſent. ſi enim quis ratione iuſta, maturoq; iudicio ſecum expenderit, ſua dignitate ſuoq; pretio æſtimarit, quantum ipſe ſermo, quo uel uno maxime à mutis diſtamus animantibus, ad quotidianos uſus afferat adiumenti; animaduertet, (niſi mentem prorſus ſtulta perſuaſione habuerit excæcatam) nihil auidius appetendum, &, quod aiunt, obuiis ulnis amplectendum eſſe, iis artibus, quæ ad ſermonis rationem maxime pertinent, eamq; & concinniorem, & locupletiorem reddunt. Nam, cum non ſolum in ſapientum diſputationibus, ſed & apud multitudinem in foro, aut apud milites in exercitu, & in omni domeſtica ratione promouenda ſermonis copioſus exiſtat uſus: quid agas, obſecro, aliud, quàm, quod in ſcenis perſonæ ſolent, ſi ea penes te non eſt ratio, qua diffuſa atque late diſperſa certo quodam ordine colligas, componasq;, imperfecta expleas, definias ambigua, collectaq; re, qua de agitur, pro arbitrio quidlibet euincas? Neque enim obſcura mihi eſſe poteſt eorum ſententia; qui cenſent ſat eſſe, ſi, quacunque ratione poſſis, quod animo conceperis, efferas. qui quidem ſi ſe ipſi collegiſſent, & rationem, quæ ſola recte iudicat, in con-

ſilium adhibuiſſent; intelligerent, ut inepta ea ſit pictura, in qua capiti humano ceruix adiuncta eſt equina, itidem in compoſitam tumultuariamq; uerborum congeriem, orationem eſſe monſtri quamſimillimam. Et quoniam commode in picturæ mentionem incidimus, quæ uelut muta quædam eſt oratio; uiſum eſt & à pictoribus, quod cauſæ noſtræ non nihil patrocinetur, ſumere exemplum. An quiſquam à communi ſenſu tam uidebitur alienus, qui, aut in tenebris, aut à pictore oſcitabundo, temere manum ferente, nec ulla arte lineas ducente, aliquid recte formari poſſe exiſtimet? Hac ratione eadem, quæ ſentis, non explicueris apte, ſi uel nullo, uel incompoſito utaris ordine. nam loquentem conuenit certam quandam ſibi propónere rationem, ad quam non aliter, quàm ad amuſsim, aliquam orationis & ſententiarum formam, ordine diſtinctam, exploret. Nemo non eum humani ſenſus iudicat expertem, qui rogatus, aliud à re, ac plane diuerſum reſpondet. uerum, quibus contempta eſt Dialectica, mirum quoties ad interrogata allucinantur, quoties labant, ac labuntur, quoties demum unius ſententiæ parum integro ludificantur ſenſu. ſi quidem multis fraudi fuit, & errandi cauſam attulit cum in philoſophicis ſtudiis, tum in ſacris etiam prophaniſq; literis dialectici artificii ignoratio. quis enim ex eo genere, hominum philoſophorum ſcripta intellexit? aut quis in ſacris, humaniſq; literis aſſequutus eſt ea, quæ ut ſunt neceſſaria ueritate inuicem cohærentia, ſic argumentorum nexibus ſic adſtricta, inuolutaq; comperiuntur, ut non niſi ope Dialecticæ, quæ ſoluit omnes nodos, facile ſe ex iis explicuerit? extant huius ordinis in omni diſciplinarũ genere numeroſa ſcripta, in quibus miſer rimæ huius artis imperitos conſtat allucinatos. quin ergo ſtultitiæ ſuccurrimus, & inſcitiæ medemur eorũ, qui dialecticũ in oratione artificium, parũ uidelicet delicatis ſuis auribus ſuaue, quòd prorſus ignorẽt, quid conferat uel ad

dicen-

dicendum, uel aliena ſcripta, dicta ue iudicandum, prorſus faſtidiunt. perſpicuum eſt enim, huius ſtudium hoc nomine maxime à me commendari, quòd ſine eius præſidio, quæ à maioribus acute & ſubtiliter ſcripta ſunt, neque intelligere, neque ſine hac tanquam regula, quid rectum ſit, quid adulterinum, poſſumus diiudicare. quæ quidem res cum maxime homini ſint propriæ, nulla ratione fieri poſſe arbitror, ut hominis nomen tueantur, qui, quod aut ipſi mente comprehendunt, appoſite exponere, aut, quod ab aliis artificioſe in medium allatum eſt, aſſequi nequeunt. Atque, ut nulla ſit dialectici ſtudii dignitas, aut uenuſtas, nihilominus tamen eius tanta uis eſt, ut neque igni, neque aere, ut prouerbii ludicro iactatũ eſt olim, elementis ad communem uitam tuendam maxime neceſſariis, aut ſæpius, aut ad plura utamur. qui enim ſibi conſtabunt diuina, humanaq; omnia, niſi adhibita Dialecticæ ſtructuræ ratio ea moderetur, atque confirmet? Neque enim hæc ſoli philoſopho neceſſaria eſt, uerum & oratori, legiſperito, atque etiam ei, cui diuinorum oraculorum commiſſa tractatio eſt. quare prudenter, ut cetera omnia, in Republica ſua ſtatuit diuinus ille Plato, ferendam eſſe legem, quæ iubet adoleſcentiores, quorum ætas ad ea ſtudia uidetur in primis apta, eam potiſsimum diſciplinam capeſſere, ex qua interrogare contraq; reſpondere ſcienter poſſint. Hæc cum ita ſint, quis non uidet maximam artis huius eſſe uim, atque præſtantiam; cum eius opera, quicquid in rebus omnibus excogitandum eſt, certiſsima ratione inueniatur, atque, quod ad uitæ exercitationem, atque communionem ſpectat, hauriatur? nam, ſi nulla ſit uia, quam in rebus uel inquirendis, uel diſcutiendis certa ſcientia teneamus: neceſſe erit, ab eo ſcopo, quò ſpectamus, longiſsime aberrare. Accedit ad maximam hanc, quam hactenus plane demonſtraſſe uidemur, neceſsitatem non mediocris utilitas, quòd eius ſtudio non modo exacuuntur ingenia, ſed & ad

omnia prudentius, maioreq; iudicio tractata, redduntur habiliora. non enim tam arcte cum corpore conſociatur, & cohæret umbra, quanta eſt Dialecticæ cum prudentia neceſsitudo. Si quidem prudentiæ tria potiſsimum ſunt officia, futura proſpicere, præſentia digerere, præterita rite meminiſſe: quæ ſingula abunde præſtat Dialectica. quàm enim celeri acumine, quæ aduerſa ſunt, intuetur, & tacitis obiectionibus obuiam occurrit aduerſario? & quàm callide, quàm pro re nata indiſſolubiles nectit argumentorum nodos, & inextricabiles facit labyrinthos? poſtremo quanta prouidentia cauet, ne poſteriora à prioribus uel minimum diſcrepent? Itaque prudenter ueteres illi ſapientiæ ſtudioſi ſtatuerunt, artem hanc cum animi iudicio unam optime congruere. unde fluxiſſe arbitror, ut Stoici Dialecticam eſſe uirtutem dixerint. quod cū à multis aliis tractetur, tum à Cicerone in eo libro, qui, de bonorum & malorū finibus, inſcribitur, luculentiſsime diſſeritur. ac uiſum eſt, eius uerba, quòd elegantiæ pariter & dignitatis plena ſint, hic recitare. Ad eas, inquit, uirtutes, de quibus diſputatum eſt, Dialecticam etiam Stoici adiungunt, & Phyſicam: easq; ambas uirtutum nomine appellant: alteram, quòd habeat rationem, ne cui falſo aſſentiamur, ne ue unquam captioſa probabilitate fallamur, eáq;, quæ de bonis & malis diſſeremus, tenere, tueriq; poſsimus. nam ſine hac arte arbitramus quemuis à uero abduci, falliq; poſſe. Recte igitur, ſi omnibus in rebus temeritas, ignoratioq; uitioſa eſt, ab iis, ea quæ tollit, hæc uirtus nominata eſt. Hactenus ille. Hæc eſt nobilis illa ſententia eorum, qui Dialecticum ſolum ſapientem profeſsi ſunt; cū tamen alteram duntaxat partem, iudicandi ſcilicet, perfecte perueſtigarint. quid autem, ſi alteram quoque partem, quæ in inuentione uerſatur, à Peripateticis, quorum Corypheus eſt celeberrimus ille, maximiq; inter philoſophos nominis, Ariſtoteles, auctam abſolutamq; cernere, atque præſentes intueri poſsint? An quicquam impedimenti interuenturum exiſtimemus, quo

minus

minus hanc noſtram Dialecticam, ſupra omnes elatam artes, Deorum numero & ſocietati adſcribamus? quid enim poſteriore hac eius parte, (quæ & natura, & ordine, pene alteram illam iudicandi antecedit) eſt ad uſus omnes magis accommodatum? quid magis amplum, aut excellens? Hæc eſt enim uelut ditiſsimum quoddam copiæcornu, atque theſaurus uberrimus, unde, quæcunque in diſputationem controuerſiamq; trahuntur, robur ſuum atque firmitudinem depromunt. Valeant ergo nunc ſuaues illi ſtultitiæ ſuæ admiratores, qui putidis neſcio quibus, atque ineptis argumentis hanc tam excellentem, tam ad uarios uſus aptam, non ſcientiam tantum, ſed uirtutem ampliſsimam, non uerentur, uero habitu detracto, uerborum cauillatricem ſophiſticamq; calumniari; cum audiant tamen ab admirandæ eruditionis uiris eam uirtutis nomine celebrari. quod utinam & omnes politioris doctrinæ ſtudioſi ſibi perſuaſum haberent, omnia ſua ſtudia, omnes cogitationes, rationesq; ad hanc dirigerent. ſentirent facile, totam mentem in hac arte debere conquieſcere, quæ à tot uiris pertractata, & omnium ceterarum artium, ſi formam ſpectes, ornamentum, ſi firmitatem, murus quidam aheneus, firmiſsimumq; propugnaculum eſt. Quid enim cauſæ aliud credimus fuiſſe ueteribus ſapientiæ cultoribus, cum Philoſophiam animanti ſimilem finxerunt, Dialecticam autem oſsibus, ac neruis, ſiue ſepi miræ ſterilitatis agro, ſiue ciuitati perpetuo muro circundato compararunt, niſi quòd eam ducem, directricem, atque ſtabilitricem eſſe ceterarũ artium omnium, neque ſine huius præſidio reliquas poſſe fines ſuos tueri, ratione quadam grauiſsima atque apertiſſima poſt ſe uenturis ſeculis teſtatum facere uoluerint? nam & Grammaticam, (ut de ceteris taceam) quæ certa loquendi obſeruatione conſtat, liquet omnia, quæ de orationis emendata ſtructura, & eleganti figurarum concinnitate tradit, debere Dialecticæ referre accepta: cuius quidem opera, quæ confuſa errorem animis, ac faſtidium creare poterant,

rant, omnia in unum coacta, & in pulcherrimos ordines diſtributa, digeſtaq; uidemus. Ceterum de Dialectica, & Rhetorica, utra magis egeat altera, utra plus afferat commodi, poterit fortaſſe, non neglecta ratione, ambigi; quòd utraque, ut eſt clariſsima, pulcherrimaq;, eximias laudes, acerrimosq; habeat propugnatores. quare non iniuria decantatur nobile illud Zenonis, Stoicæ diſciplinæ principis, dictum, quo, quàm amice inter ſe cohæreant, cum uellet oſtendere, manui perſimilem utranque iudicauit, Dialecticam utique in pugnum contractæ, Rhetoricam uero diductæ; quòd illa res quaſi nudas, & adſtrictas proponat, hæc uero elocutionis inſignia, ueluti ueſtitum, adhibeat, uerbisq; rem dilatet. neque ſane diſcriminis fere amplius eſt, niſi forte quòd inuentio, iudicio examinata, congruensq; diſpoſitio magis propria ſunt Dialecticæ; quæ tamen eorũ uſum Rhetoricæ non inuidet. eſt enim primum Dialectici, acute, atque ſubtiliter inuenire; deinde, inuenta, qualia ſint, explorare; poſtremo, arte elaborata ſerie ſuo quæque loco diſponere. ut enim cum Dialectico paria faciat rhetor: certe, Dialecticam ea in re directricem ſuam, ac moderatricem eſſe, haud negare facile poterit. nam quid eſt tota oratoria oratio aliud, quàm inanis quidam uerborum ſtrepitus, ſi non, iuxta philoſophorum diſciplinam, multa definitione explicata, aut in partes diſtributa, genera, ſpecies, cauſas, effectus, cognata, pugnantia, & ambigua omnia, diſtincta argumenta permulta, uelut orationis neruos, & ſententiarum uincula, copioſe, plenisq;, quod aiunt, calathis effundat? Proinde & longe omnium clariſsimi oratores Dialecticæ ſtudia in primis coluerunt; quòd, eorum acceſsione, non ordine ſolum diſponi, uerum & copia locupletari, pulcherrimisq; ſententiis, quaſi luminibus, illuſtrari ſuam oratoriam perſpexerunt. Periclem certe, nobilem illum Athenienſem, cuius eloquentia uehemens animorum expugnatrix tum ab hiſtoricis, tum ab liberrimo comicorum cætu fuiſſe memoratur, omnem dicendi uim, & totum dictio-

nis

nis ſuæ robur, Dialecticæ præſidiis communiuiſſe, ac ſtabiliuiſſe. dedit & Platonis ſchola non pauciores Dialecticæ artibus inſignes, quàm oratores dicendi artibus inſtructos: ex qua princeps oratorum Græciæ Demoſthenes, oratoria facultate longe præſtantiſsimus, prodiit. Te præterire, Marce Tulli, unicum, uberrimumq; Latinæ linguæ fontem, mihi religio non eſſet, niſi tua ipſe uoce aſſeruiſſes, Academiæ ſpatiis plus te, quàm rhetorum ſcholis, debere. id ne eſt, quod tantopere Diodotum Siculum celebras, quem tibi in dialecticis exercitationibus præceptorem gloriaris, cuiusq; opera eloquentiam dialecticam dicis dilatatam? Quis ergo non exagitet, uel potius non rideat iſtos, falſa eruditionis opinione tumentes, ieiunos, ac pene mendicos rhetores, quos Dialectica tam iniquos habet, qui uerborum uelitationibus arroganter ſe tunc in literis conſummatos iactitant, cum unam, aut alteram cum ornatu orationem expreſſerint? quos reſipiſcere aliquando decet; ne poſt, errore ſuo cognito, corrigendi ſpe iam ſublata, mærore contabeſcant. De Muſica uero, ceterisq; artibus libero ac ingenuo homine dignis, id auſim dicere, notatas eſſe, ac diſtinctas à ſola Dialectica: quæ ſingularum præcepta in ordinem certum coegit, definitione ſepſit, communia partita eſt, & ab omni errore uindicauit. ceterum cum hactenus, quid compendii liberalibus & ingenuis artibus afferat Dialectica, utcunque ſit iudicatum; illud reſtare uidetur, ut paucis cognoſcamus, grauiores illæ diſciplinæ, Iuris, Medicinæ, Theologiæ ſtudia, Dialectica ne egeant, an citra eiuſdem adminicula commode tractari queant. ſi quidem, hoc apud non paucos in controuerſiam ueniſſe hoc noſtro æuo, non ſine ſummo animi dolore cognouimus. ſi de liberalibus artibus ueteres aliquid dixerunt, illud puto omnino præclare pronunciatum, artes has ad ſuperiores ſcientias aliud nihil, quàm progymnaſmata, eſſe; in quibus præludet is, cui ſeriis, atque grauioribus in certaminibus cum laude aliqua uerſari propoſitum fuerit. Ac primum, huius ar-

tis opem Iuris ſcientia facile poſtulat, quando aut res aliqua uniuerſa in partes diſtribuenda, latens explicanda definiendo, obſcura explanando, interpretando ambigua; ne inter diſſerendum ulla oriatur confuſio. Accedit huc, quòd optimus oratoris inſtitutor Fabius Quintilianus, quoniam, inquit, quæſtio Iuris omnis aut uerborum proprietate, aut æqui diſputatione, aut uoluntatis coniectura cõtinetur; an non bona eius pars ad rationalem artem, quam Dialecticam ſcimus nominatam, pars ad moralem tractatum redundat? qua ſententia ſummi iudicii uir mihi cenſuiſſe uidetur, magnam eſſe in Iure Dialecticæ utilitatem dicam, an neceſsitatem? Proinde laudauit Scæuolam, ſui temporis iuriſperitum clariſsimum, Cicero, cuius doctrinam uiſam cenſet auguſtiorem, quòd Dialecticæ ſtudioſus eſſet. Quantus autem ſit in re medica Dialecticæ uſus, argumento illud eſt, quòd eam non niſi à grauiſsimis philoſophis & proditam, & auctam eſſe conſtat. Has igitur diſciplinas qui ſine Dialectices præſidio ſe conſequi poſſe ſperant, an non inſigniter falluntur? Equidem ſemper ita exiſtimaui, Lunam citius è cælo detrahi poſſe, quàm ut quis in his diſciplinis in aliquo ſit numero: cum citra huius artis operam neceſſe ſit, non aliter, quàm cæcos ſine ductore, oberrare. Itaque qui hæc tanta, tamq; numeroſa commoda, quæ artis huius cognitio parit, ſibi ob oculos poſuerit; is omnino ei, qui egregium aliquid in aliqua arte præſtare ſtuduerit, remis uelisq; ad huiuſce ſtudium facultatis properandum cenſuerit. Nã, quantopere allucinentur naſuti quidam, atque, ut ſibi ipſi uidentur, acuti homines, qui ad theologicas literas rite pertractandas artem, quæ uerum à falſo dirimit, negant ullo modo conducere, omnibus apertum eſſe arbitror. qui quidem error tantum incrementi cepit, ut non nulli, ne non plurimum theologiæ ſtudia tractare uiderentur, omnes humaniores artes, & potiſsimum dicendi, ſtrenue contemnere uideantur. Ego uero ſerio illos diuina tractare ſtudia expetiuero, ſimul & ea ſectari, quæ diuinam ſcientiam promouent,

quæ percipiendæ ueritati auxiliares manus præbeant; quæ fidis argumentationibus uerum comprobant; quæ ſacræ ſcripturæ ordinem diligenter commonſtrant; quæ ad omnia quæſtionũ genera penetranda, diſſoluendaq́; plurimum ualent; quæ hæreticorum male conſuta dogmata confutant, atque eneruant; dubia quæque potenter definiunt; ſcripta ueterum omnia explanant; quæ omnem prophanam ſcientiam, ſapientiamq́; debilitant, atque euertunt; quæ in diuinitatis contemplationem obtutum aciemq́; intendunt. Nunc uſu uenit, ut, unde tanta fluunt bona, ea prætermiſſa arte, ad alia prorſus inania ſtudia plerique rapiantur. Nam quid eſt, quòd artes omnes aliquot ſæculis iacuere infirmæ, neglectæ, prorſus ingloriæ, niſi quòd, uera exacta Dialectica, ſpinoſa illa, captioſa, fatuaq́; ſophiſtica inter diſciplinas tyrannidem exercuit? Ex quo enim ſana, & optima philoſophorum ueterum præcepta, unde ſapientia & iudicium facile conciliantur, perſcrutari, atque perpendere homines deſierunt; neceſſario effectum eſt, ut de lana caprina leuiſsimæ quæſtiones emerſerint. Quare non tam erudita de uariis rebus diſſertatione, qualem Dialectica profitetur, ſed, ineptis captionibus, homines indoctiſsimi, uelut in tenebris Andabatæ, inter ſe ſunt temere digladiati, non de ingenioſa doctrina, de natura rerum, de æquo & iniquo, aut etiam de religione, ſana proferebatur ſententia; ſed, errorum fluctibus, incerto iactata ſunt omnia: adeo ut uel iureiurando confirmare non dubites, imperitæ huic, planeq́; barbaricæ multitudini uoluptati fuiſſe, uera falſis, apta incongruis, atque inconcinnis permiſcere. Quare neque in foro orator, neque in gymnaſiis philoſophicis, neque in eccleſiis eccleſiaſtes omnino ullus cernebatur, qui profeſsionem ſuam ita, ut par erat, tueretur: ſed idiotæ ſibi legum diuinarum humanarumq́; interpretationem aſſeruerant: eiusq́; rei argumentum etiamnum uidemus extare totas (ut ita dicam) naues, totaq́; plauſtra

ineptorum gloſſematum, & neſcio quarum ἐπῳδῶν quæ partim typis diuulgata per urbem ſunt, partim manu ſcripta, minio illuſtrata, multisq; literarum figuris exornata, plane omnia eiuſmodi ſunt, ut doctorum auribus prorſus indigna uideantur. Extant & eius generis medica quædam ita à Dialecticæ obtrectatoribus tractata, ut non medicorum ſcita ad opem, ſed ſcelerata præcepta ad hominum excidia, merito debeant exiſtimari. Hæc cum ita ſint; cur uitioſam conſuetudinem non corrigimus? cur animis noſtris inſitam, inueteratamq; labem non eluimus? quouſque tandem audire cogemur præſtantiſsimæ artis maledicta? quouſque tantam dignitatem inſana hominum ineptorum ſcurrilitate contaminari? quousque, ueluti luce carentes, huius noſtræ artis præſidiis deſtituti doctorum hominum in ſcriptis abſque ullo fructu uerſabimur, aut, quod etiam fœdius eſt, de iiſdem ſtultam atque ineptam cenſuram proferemus? Quin potius eò contendimus, quò non tantum nos præcepta, ſed ſummorum uirorum uocant exempla? & quando multis rationibus, eius ſtudium & ad prophanas, & ad ſacras literas mirifice conducere demonſtratum eſt; cur ad eam omnia ſtudia conferre, eiq; nos totos dedere ceſſamus? cur, ſi grati ſumus, non eam ſcientiam conamur illuſtrare, quæ, imperitorum uitiis, ante annos haud ita multos miſerrime conſpurcata iacuit, atque neglecta? id quod ſi conſequi cupimus, Ariſtotelem, huius doctrinæ fontem, cuius & ingenium, & induſtria mirabilis apud omnes eſt, uelut à fœditate purgatum, ac ſibi reſtitutum, è latebris in lucem producamus. ita fiet, ut, hoc iacto fundamento, quælibet ſtudia felicißime tractemus, certaq; norma labores noſtros exploremus, ut ratione ſuſcepti, præclare, ac ſperata cum laude perferantur: ne, in quo fructum nobis noſtrorũ ſtudiorũ pollicemur, in eo iacturam experiamur; dumq; temerario ad grauiora impetu rapimur, nosmet, conatusq; noſtros infelici euentu, de magna ſpe deiecti, remoremur.

Cum

CVM INSIGNIA DOCTORATVS ACCIPERET.

SCIEBAM equidem, ampliſsimi uiri, uos à me hodie ex hoc loco duas res expectare, alteram, ut uobis, quid ego profecerim in iuris ciuilis ſcientia, optime probarem; alteram, ut ius ipſum ciuile iuſta oratione laudarem. quarum alteri ſatis à me factum eſſe arbitror: in altera autem ut uobis morem geram, relinquitur. in quo tamen quid ego noui huc afferre potero? aut qua eloquentia, quod attulero, exornabo? cum eius laudes ex hoc ipſo loco quotidie à præclariſsimis uiris audiatis; meam autem dicendi facultatem multo minus, intelligam, quàm mediocrem eſſe; uidear autem mihi ſane non leuiter peccare, ſi, unde mihi tanta hæc præſens dignitas profecta eſt, ac ſperata utilitas longe maxima oſtentatur, nullum omnino grati animi ſignum oſtendam, ueſtramq; expectationē quaſi deludam, atque fruſtrer. Feci igitur, ut, ubi laudes occurrunt ampliſsimæ, ex iis admodum paucas delibarem. ex quibus ipſis unde mihi ſumendum exordium ſit, incertus ſum. tanta enim cuiuſque laudis amplitudo eſt, atque præſtantia, ut quam primam, quam poſtremam ponam, non facile uideā. ab ea tamen exordiar, quæ cū Diis coniuncta maxime uidetur. Quātū, uiri optimi, in rebus omnibus perpetuitas ualeat, architectis præcipue notū eſſe arbitror; qui ſuis in ædificiis hanc unā in primis intueri ſolent. Eſt autē omnibus hominibus natura ingenitum, ut, quod in ſe ipſis aſſequi non poſſunt longiſsimæ uitæ, id in ſuorum liberorum propagatione conentur obtinere. Huius autem diuinæ perpetuitatis mater eſt, atque altrix, concordia, atque æquitas: ut, quæ res æque inter ſe conſtent, quæq; apte conueniant, ſolæ hac æternitate fruantur. concordiæ autem, atque æquitatis humanæ cuſtos atque effectrix optima eſt iuris ciuilis doctrina. tollas enim hoc, continuo ciuitates ſuſtuleris: euertas

æquitatem, ſocietates omnes euerteris: perdas concordiam, humanam conſuetudinem perdideris. Profecto, qui primus diſsipatos homines in agris, ac, pecudum modo, palantes, in uicos coegit, multum utilitatis in humanum genus contulit. qui uero uicos frequentes foſſa, aggeribusq; primũ, deinde etiã mœnibus cinxit, multo etiã magis de illo meritus eſt: qui deniq; ſuo imperio, ui, ac uirtute, aliena regna adiunxit, ac, alienos ſuperando, ſuis pacem peperit; is dignus admodum eſt, cui ſtatuæ erigantur aureæ. ſi qui uero talia præſtiterunt, merito ii laudibus omnium ſæculorum in cælum feruntur. quibus igitur ſatis dignis muneribus id proſequemur, quod his omnibus ſanctiſsimis ſuis inſtitutis perpetuitatem conſtituit, eamq; arctius continet, cõtinebitq;, quàm diu eius præcepta atque inſtituta ſtudioſe conſeruabuntur? Hominis fortaſſe fuit eloquentis, in ſocietatem homines cogere: prudentiſsimi, etiam in ciuitates illos congregare: fortiſsimi item uiri, hoſtes ſuperare: ut nihil nunc illi detraham, fortunæq; ſuam gloriæ partem attribuam. at, uitam rebus propagare, atque eas ab interitu, omniq; prorſus hominũ obliuione uindicare, Dei plane ſolius eſt. quod idẽ cũ ius ciuile gentiũ præſtare conſtet: ius ciuile Deum eſſe, fatendum eſt, idq; pro Deo colendum: ut mirum ſit, cur non omnibus in urbibus, omnibus in oppidis, in omnibus uicis proprium, ac certiſsimum huic Deo ſanctiſsimo templum erectum ſit. ſed nec mirum. nam ceteris Diis priuata templa attribuuntur: ciuitates uero ipſæ, oppida ipſa, uici denique ipſi uere iuris templa ſunt ampliſsima ac magnificentiſsima. o uere ius ciuile terrarum Deum: quando id agis in terrarum orbe, quod Deus maximus in cæli agit æternitate. præſto adſis tuis gentibus: illas contine, quamq; ſoles perpetuitatem illis conſerua. Soleo ego interdũ mihi proponere ante oculos ceteras facultates, atque cum his hanc dicendi iuris ac conſulendi ſcientiam libenter conferre. nullam earum uideo, quam hæc non longe antecedat. nam, ut ordiar à Philoſophia, eſt illa quidem

omnium

omnium regina facultatum, unde hoc quoque ius ciuile ſe ortum eſſe gloriatur; ſed eius reliquæ partes non ita ad cõmunem utilitatẽ ſpectare uidentur. ſapiunt enim certe philoſophi, ſed quodam modo tantum ſibi ſapiunt. Medendi uero ars quid utilitatis habere, aut certo poteſt promittere, cum in tanto periculo uerſetur, ut in una ſanguinis miſſione anima quoque emitti facillime poſsit? Siderum motu, (ut geometriam, ac grammaticam, minutas facultates, omittam) ac cæli conuerſione quid incertius, aut inanius? quid, uel apud homines plebeios, magis ridiculum? Poeſis, ea quidem tanta eſt, ut diuina eſſe credatur: nullum enim poetam ſuo ſtudio factum, ſed natura genitum eſſe, ueteri ſententia comprobatur: tamen quicquid hæc ad cõmunem utilitatem confert, id fabulis inuolutum confert: ad quas homines magis, quàm ad eam interiorem ſignificationem exprimendam, ſeſe conuertunt. ad hæc accedit, quòd niſi ſolus ſit, quod non homines, non Dii, neque conceſſere columnæ, is cum ſuis muſis ſemper ſit miſere acturus. Vna eloquentia eſt, quæ plurima in humanum genus confert beneficia, ac, niſi unum uitium obſtaret, facile inter omnes principatum obtineret. id autem eſt, quòd tam ab turpi, quàm & ab honeſto eſſe nihil dubitat: quam ob cauſam etiam multis rebuspublicis eiecta eſt, ut quæ ſuſpecta eſſet ne fraudem, ac damnum inferret. id quod ius ipſum nunquam facit. id enim ab iuſto æquoq; nihil declinat, in eo cõmoratur, conſiſtit, habitat. tantumq; abeſt ut ex ciuitatibus eiiciatur, ut in dies arctius retineatur, atque amantius colatur. Si mihi fidem ſuam daret ars bellica, non magis gladio, quàm argumentis, mecum ſe eſſe pugnaturã; hanc meam illi quoque auderem præferre. ea quidem præclariſsima eſt; qua latiſsima propagantur imperia, pax ſecuriſsima cõparatur, glorioſiſsimi triumphi ducuntur. et certe hoſtes ſuperare, laudabile eſt: prudentia uero atque conſilio ciuitates comparatas regere, multo maior gloria habetur: ut merito Auguſtus Alexandrum magnum interdum irriſerit, qui

qui quereretur, cum omnia ſuperaſſet, ubi uirtutem ſuam ad nouam gloriam exerceret, ſe nihil eſſe habiturum: quaſi uero non eadem, uel maior etiam gloria in partis recte regendis, quàm in comparandis regnis, eſſet futura. Quod à maioribus noſtris relictum eſt, quodq; ipſi noſtra induſtria aut comparauimus, aut illi adiunximus, ut noſtrum id eſſe ſciamus, ac pro eo noſtro ut magis lubet utamur; omnium beneficiorum longe eſt maximũ. Hinc ueri Principes, quiq; ex ciuium ſuorum bonis nihil expetunt, quòd ſuum cuiuſque ut ſuo uti permittunt, pro Deis coluntur, tyranni uero, quia uel ſanguinem ciuitatibus extrahunt omnibus inſidiis appetuntur, ac tandem per omnes cruciatus interficiuntur. At hæc bonorum ſuorum cuiq; certa ac perpetua poſſeſsio ab uno iure ciuili proficiſcitur: hoc inquam tantum munus, unum ius diuinum homini præſtat. nam ſi ui res geratur; ſi pro iure libido, pro æquitate improbitas accedat, regnet; omnia humana diuina breui corruent, atque extinguentur. fortes enim ſua potentia, iniqui ſuo ſcelere, improbi ſua malitia ut bonos opprimant, eorum bonis ſpolient, uitam etiam auferant, neceſſe eſt fateri. quin hoc quoque tutiſsimo legum præſidio, hoc uno integerrimo defenſore, uix ſatis tuti ſunt boni à potentium iniquitate, atque ſcelere: ut uere theſaurus mundi ius ciuile appellari poſsit: quando is non ſolum ſuos locupletiſsime ditet; ſed ſuos cuique theſauros fortiter tueatur; ſuum quiſque ut ſuum poſsideat, efficiat. hoc nulla uis tyranni, nulla auaritia, nulla fraus quidquam aduerſum moliri poteſt, quin perpetuo uigeat, terriſq; ſuis imperet. quòd autem nullius uirtutis laus illuſtrior eſſe poſsit, uel hoc argumentum facit, quòd reliquæ omnes ſi non ſint cum iure ciuili coniunctæ, nullum firmamentum, nullamq; commendationem habere poſſunt; cũ in priuatis tantum commodis atque utilitatibus uerſentur; ius autem ciuile à reliquis ſeiunctum ſuam ſemper retinet dignitatem, & in omnibus unicuique auxilio eſt, iuxta cuiuſque dignitatum opera, & bonorum rationem, & aliarũ rerum,

rerum, quæ ſingulis conueniant. Quapropter, cum ab initio genus humanum in ſiluis, & agris, nullo ritu, nulla religione, nullo humanitatis officio, uitam degeret; nullaq; ratio, uel diſciplina animi impetus contineret, ac moderaretur; eſſetq; omnis uita malis innumeris obnoxia; ſub præſidio alterius rationis, quàm iuris ciuilis, imbecilliores ullũ ocium, ac ſecuritatem conſtituendam uix unquam putarũt. Hinc potentes cum tenuioribus, & tenuiores cum potentioribus, pro ſua quiſque dignitate, uitam degere cœperunt. Hinc regiæ poteſtatis principia, omniaq; optimatum exorta iura ſunt. quorum auctoritatem admiratus Heſiodus, à Ioue initium habuiſſe in Theogonia ſcriptum reliquit: quales fuere Aeacus, Minos, & Rhadamantus, Numa Põpilius, Lycurgus, Draco, Solon, & Pittacus ille Mytilenæus, quales(ut illos uetuſtiores omittam)Mercurius & Phoroneus, & plerique alii, qui legum & iudiciorum adminiſtratione ampliſsimos honores ſibi compararunt. quorum quidem prouidentia adeo erat admirabilis, ut extra communem hominum ſortem poſiti & collocati uiderentur, quocirca & ipſam originem ad Deos auctores referebant: exiſtimant enim illum non niſi diuino ſemine ſuſceptum fuiſſe, quem cernerent tanquam diuinis uirtutibus cumulatum. Hinc priſci illi Heroes extiterunt, quorum præſtantia Homeri Ilias referta eſt: inter quos ipſe Ariſtoteles, & poſt eum Aratus Sicyonius ob legum adminiſtrationem tantum laudis aſſequuti ſunt, ut ne Themiſtocles quidem tantis rebus geſtis apud Athenienſes clarior haberetur. ex quo colligi poteſt, nullam eſſe uiam compendiariam magis ad honoris amplificationem, & gloriæ, ipſo iure ciuili. In eo uero, quod diſputari ſolet, uirtute uitam beatam perfici; nõ uidentur animaduertere quæ ſit iſtius uerbi uis. beatum enim, niſi expletum, & in ſuo genere perfectum, ne intelligi quidem poteſt. quæ autem uis, humana induſtria & ſtudio comparata, infinitam illam multarum, & maximarum rerum cupiditatem, natura mentibus humanis inſitam exple-

& repellere abſq; iuſtitiæ ſubſidio ualebit? qua, quæſo, uirtute (ut alia omittam) ardens illud ſitis deſiderium omniũ rerum, nec eorum tantum, quæ cernimus oculis, ſed eorum etiam, quæ uoluimus animo, quibus maxime aguntur omnes fere mortales, minues, atque lenies? aut qua ratione is, qui dignitatem aliquam acri animi ſtudio petendã putat, modum in ea expetenda ſibi ipſe conſtituit, niſi ſit iuris ciuilis particeps? neque omnia humana, ſiue illa extrinſecus adueniant, ſiue in corpore ſita, ſiue mentem inſtruant, & exornent, diriges, ac conſeruabis, qualia ſunt uires, integri ſenſus, firmitas ualetudinis, & reliqua, quæ Academicis & Peripateticis probabilia ſunt: deinde opes, & facultates, generis decus, & honores, filii omnibus rebus florentes, & ornati, amici denique magna amoris coniunctione præſtantes: poſtremo, ſi uidetur, (ut Epicuro obſequamur) demus operam, ut omnibus exquiſitis uoluptatibus animo & corpore potiatur; eumq; doloris acerbitate, atq; metu, quantum humano conſilio prouideri poteſt, liberemus; adeo ut nihil deeſſe poſsit, uel ad dignitatem, uel ad uitæ cultum, & elegantiam, uel ad uoluptates: nequè minus ei dabitur, ſine iuſtitia, ſine iuris ciuilis beneficio, iſtis ſuis commodis diutiſsime frui poſſe, aut aliunde finẽ beate uiuendi petere, quàm ab eo, unde uitæ præſidium atque tutelã quotidie omnes mortales ſumunt. Præeſſe uero ceteris animalibus longe maximum eſt, maximeq; glorioſum. id autem una in ratione poſuit Deus. nam id animal, quod rationis eſt particeps, quod præterita meminit, quod præſentia diſcernit, quod ſequentia ex iis utriſque præuidet, cauet, in magna diuinitatis parte poſitum eſt. Verũ ex horum hominum numero, ſi quis eſt, qui ceteris hominibus præſit, qui ceteros regat, qui colatur, tanquam præſens Deus, non ne hoc eſt Deũ fieri? in Deorũ numero haberi? at hoc ius efficit ciuile. homines enim ceteris animantibus ratione præſtant. ius uero ciuile conſilio, prudentia, ut etiã hominibus præſtare homines poſsint, pari efficit ratione.

O uere

O uere cælo(licet mihi ſæpius de tanto bono exclamare) dignam facultatem , quamq; homines deorum honoribus colant , hoc eſt , ut eam neque conſulendo contaminent , neque iudicando corrumpant . Qui copioſius in huiuſce tanti boni laudibus uerſati ſunt , alii alia ratione hoc extulerunt . Demoſthenes ciuitatum animam hoc eſſe dixit : & recte ille quidem . nam quemadmodum corpus ſine anima concidat , neceſſe eſt : ſic , ciuitates iure ciuili ne collabantur , teneri non poſſunt . Sed ille quidem, mea ſententia , nimis dixit tenuiter. rectius enim mũdi uitam, Dei mentem , uel potius Deum ipſum appellaſſet . quid enim aliud eſſe poteſt , unde tot ac tanta diuina commoda hominibus emanent , quàm Deus ipſe ? conſulitur Deus in rebus dubiis : hoc mentes hominum ſoluit . de bonis optime, peſsime de malis Deus meretur : hoc præmio bonos , malos ſupplicio affici iubet . Deus æque idẽ omnibus eſt : hoc , quod ſuũ eſt, cuique tribuit . Nihil uereor, ampliſsimi uiri , quod dicturus ſum , quin uos in eam partem , hoc eſt , ita eſſe, quemadmodum dixero , accipiatis . id quod paulo clarius dicam, ut omnes plane audire poſsint. Non ſolum hoc ius ciuile Deus eſt , quòd ea gentibus præſtet, quæ à Deo tantum proficiſci ſolent; uerum uos omnes , qui illud adminiſtratis, per quos tot ac tanta beneficia humanæ ſocietati impertit, uos , inquam , inter homines Deos efficit : ut , cum ego ueſtrum iſtum ornatiſsimum ordinem , ac ſplendidiſsimũ conſeſſum oculis luſtro , tot Deos mihi ſedere proponam , ad amplitudinis ſuæ laudes audiendum attentos . Quare , cum ego quoque omnẽ meum ſtudium, quicquid ingenio ualuerim , conatus denique meos omnes , eò contulerim , ut aliquando tandem in tam egregium , tamq; nobilem gregem aſciſcerer, hodiernus dies & meorum laborum, & tanti mei deſiderii finem attulit , eumq; , ut arbitror, quo me dignum iudicetis , qui in iſtum ueſtrum diuinum ordinẽ omnes coniunctiſsimis ſententiis reciperetis . Surge tu Alciate, alter plane inter hoſce ampliſsimos deos Iuppiter : ſurge, atque

iſta tua auctoritate uere diuina Faletum tuũ eo inſigni, quo ceteri uiri cohoneſtati ſunt, exorna. Reſtat, optimi ac doctiſsimi uiri, ut uobis uniuerſis gratias agã maximas, quòd me hodierno die ea dignitate dignum iudicaſtis, quæ ad ceteras ſummas dignitates quaſi gradus firmiſsimos ſubſtruit. id autem quo modo commode faciam, non ſatis uideo. nam ueſtrum iſtud de me tantum, tamq; honorificum iudicium, & mea in tam amicos animos ſumma animi propenſio magis cumulate relatã gratiam, quàm leuiter actam, à me poſtulat omnino. id quod cum in præſentia nulla prorſus mihi præſtandi ſit facultas, in ſuum tempus reſeruabo, hoc eſt, ut, ſi uſus unquam ueniat, quo cuique ueſtrum opera mea uſui eſſe poſsit, is eam ſibi ex hoc die obſtrictam debitamq; ſciat, eaq; utatur ſic, ut ſuis uteretur manibus. Ac ne ulla tamen ex parte ingratus uidear, eas quoque uobis uniuerſis & ſingulis ago gratias, quas uos ex hoc ipſo loco, hac eadem de cauſa honeſtiſsima, ampliſsimis item uiris egiſtis cumulatiſsimas. Vobis autẽ, condiſcipuli mei, ciues ampliſsimi; honeſtiſsimi adoleſcentes, qui præſentia ueſtra Faleti ueſtri nouam dignitatem condecoraſtis, atque auxiſtis, quosq; uideo cum uobiſcum gaudere, tum mihi uere & ex animo gratulari, uobis, inquam, hoc exiguum pro gratiarum actione præſtatur, ut uos amice moneam, fraterne horter, fideliter ſuadeam, ut ad hanc ipſam dignitatem, quam omnes miro deſiderio exoptatis, ea celeritate, ea iuris ſcientia, eo denique honorum iudicio perueniatis, quæ omnibus pro miraculo eſſe poſsit; ac breui hanc ipſam, quam à nobis ueſtrum humaniſsimũ officium expoſcit, gratiarum actionem à nobis multo etiam hoc modo doctiſsimorum uirorum frequentior conſeſſus expectet.

RERVM AC VERBORVM,

in his orationibus memorabilium,

INDEX.

A

ABRAHAM placuit Deo. b.83
Abrahamus Chriſti diem uidit. a.42
Abrahamo Sarra moleſta fuit. b.64
Abrahamus propheta. a.41
Aborigines in Italia antiquiſſimi populi. a.20
de Abortum facientibus quid. a.79
Acelinus ſedis apoſtolicæ hoſtis. b.41
Acharius Foreſti Euganeorum Principis filius. b.19
Acharius Foreſti Euganeorum Principis filius. b.20
Achilles poſt Patrocli mortem arma ſumpſit. b.30
Achillis cum Aſteropæo Axij fluminis nepote contentio. a.86
Achillis iracundia. b.35
Adalogerioni Aetius in Euganeis Regulus ſucceſſit, Theodati nepos. b.19
Adam è Paradiſo eiectus. b.71
Adæ primi patris lapſus. b.71
pro Admeto uxor mori uoluit. b.74
Adriatici ſinus nauarchus eſt Venetiarũ Princeps. a.48
Adulteri pœna capitali plectendi. b.78
Adulterii punitio diuerſa. b.78
Aeacus iuſtiſſimus habitus. a.96
Aegyptij per leænam quid. b.79
Aegyptij quid per duo capita humana ſignificabant. b.76
apud Aegyptios calciorum uſus interdictus mulieribus. b.74
apud Aegyptios contra matrimonij uiolatores quid. a.79
Aegyptios tandem ruina oppreſſit. a.33
ſine æquitate & iuſtitia nihil in mundo diu conſtare poteſt. b.13
Aemilia regio quæ nunc Romãdiola. b.37
Aemiliæ comitas immenſa. b.82
Aequanimitas in Sigiſmundo. b.13
Aeſopi fabella de leæna & uulpe. b.79
Aethionius ſiue Azo Eſtenſis Euganeorum præfectus. a.20
Affinitas inter Poloniæ Regem & Herculem Ferrariæ ducem. b.17
Africani manſuetudo laudatur. b.37
Agamedes cum Trophonio in Delphis Apollini templum extruxere. b.34
Agamedis & Trophonij mors. b.34
Agar mater Iſmaelis ancilla Abrahæ. b.64
Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex. a.18
Agrippina a filia necata. a.67
Agrippina qualis fuit erga maritũ. b.62
Agyrtos patrem morti tradidit. a.67
Aiacis furor. b.35
Albertus 2. Eſtenſis Princeps. a.21
Albertus Alberti Vberti pronepos. a.21
Albinæ mulieres crudeliſſimæ. a.63
Alceſtis pro uiro mori uoluit. b.74.82
Alciatus iuriſconſultiſſimus. a.97
Alcibiades ſempiternæ ignominiæ maculis aſperſus. b.35
Alcithea Pauſaniæ mater iniquiſſima. a.63
Alcmæon matrem necauit. a.67
Alchmæonem quis furor inuaſerit. b.62
Alda Otthonis primi Saxoniæ ducis filia. a.20
Alda uxor Alberti qui ob furorem Berengarij quarti in Saxoniam ſe contulit. a.20
Aldrouandinus filium Florentinis obſidem dedit. b.41
Aldrouandini inſigne facinus. b.41
Alexander Magnus. b.5
Alexandri Magni gloriæ ſitis inexplebilis. a.10
Alexandri gloria. b.32
Alexander intemperãtiæ damnatus. b.35

Alexander Caſimiri filius à Lithuanis pro rege expoſcitur. a.5

Alexandro Caſimiri filio mortuo Poloniæ regnum infeſtatur. a.15

Alexander Pont. pater uxoris Alphonſi Ferrariæ ducis. a.31

Alforiſius Foreſti Euganeorum Principis nepos. b.19.20

Aliena a ſuis inſtitutis nemo laudare ſolet. a.85

per Alpes quo tempore & qui primum tranſgreſſi in Italiam confluxere. b.19

Alphonſus Dux Ferrariæ Italiæ ſplendor ob uirtutes fuit. a.31

Alphonſus Eſtenſis. b.22

Alphonſus Eſtenſis belli artifex maximus. b.36

Alphonſus Eſtenſis in ætatis ſuæ primordio gloriam expetebat. b.36

Alphonſus copias Hiſpanas apud Rauennam proſtrauit. b.37

Alphonſus Eſtenſis multa pro Mutinæ ac Regii recuperatione fortiter fecit. a.36

Alphonſus ſe in medios hoſtes immiſit ut patriam liberaret. a.37

Alphonſo Eſtenſi Iulius 2. pont. oppida quædam abſtulit. a.23

in Alphonſo uirtutes inter ſe certare uidebantur. b.37

Alphonſi Eſtenſis Ferrariæ ducis mors ubi. b.35

Amazonibus non eſt conceſsũ nubere niſi pugnando hoſtem interfecerint. b.7

Ambuariti inter Belgas cis Renum et Moſam flumina. a.20

Amicos offendens, deum offendit. a.81

Amor cunctis inſitus ut genus ſuum producant. a.71

Amor niſi honeſtus laudandus. a.84

Amor uiri & uxoris miſcetur uti uinum cum aqua. a.74

Amphion cantu quid fecerit. b.44

Amuratem Vladislaus rex Vngariæ eiecit. b.4

Anaxagoras quid in morte filii dixerit. b.32

Andabatæ in tenebris digladiantur. a.93

Andreas Gorcanus. a.15

Angriuariæ ducatus. a.20

Animalibus cæteris præeſſe in ratione eſt poſitum. b.96

Animus eſt humanarum partium nobiliſsima. a.88

Animus hominis æternitatis eſt particeps inquit Plato. a.34

Animi gratitudo in Sigiſmundo. b.13

Animi magnitudo in Sigiſmundo. b.13

Animi pulchritudo nullo corporis morbo corrumpitur. b.37

Animi quàm corporis maior eſt habenda ratio. a.34

Annei Senecæ egregia ſententia. a.50

Anſeres alienis ouis non incubant et quid præterea agunt. b.78

Anteros apud ueteres quid. a.77

Antiochi opes ingentes. b.32

Antiphanes de cõiugio quid dixerit. b.61

in antiquis legibus multa temporis cauſa potius ferenda quàm laudanda. a.81

Antonius Butrienſis ferrariæ docuit. a.21

Antonius Faletus quid egerit de filio indomito. a.64

Annularis digitus pronubus. b.78

Annulorum uſus unde. a.78

Annulus ferreus ſine gemma cur ſponſæ datus olim. a.78

apud Aphros quis uſus de uxoribus. b.74

Apicula ſola uiuere nequit. a.81

Apim Aegyptium referebat uitulus erectus in deſerto. b.53

Apollo qualem dederit mercedem Agamedi & Tophonio. b.34

Apollinis boues abacti. a.69

Apollonides de uoluptate quid. b.83

Aqua patiendi elementum. b.77

Aquila nigra ab Imperatoris exercitu in areola aurea geſtata. b.20

Arabes habebant uxores cõmunes. b.58.

Aratus Sycionius. a.96

Arbor uitæ ac ſcientiæ boni & mali. b.52

Arborum & ſtirpium cauſa in ſemine eſt. a.19

ex argenteo parente auream ſobolem naſci uidemus. a.11

Argia mater Cleobis & Bythonis quid a numine petiit. b.34

Argiuos

Argiuos tandem ruina oppreſsit. a.33
Aria. b.74
Ariſtippus de felicitate quid. b.14
Ariſtophanes de ſcruis quid. a.78
Ariſtoteles eſt Coryphæus peripateticorum. b.90
Ariſt. de felicitate quid. b.14
Ariſt.iuſtitiam laudauit. b.13
Ariæ erga uirum amor. b.13
Ariſt.quid de beſtiolis apud Hypanim fluuium dixerit. b.29
Arius quid Pacuuio reſpondit de uxore ſuſpenſa. b.63
Arſinoes pietas in filios. b 82
Artaxerxes Perſarum Rex quàm fuerit gratus. a.2
Artaxerxes ſua humanitate multorum animos deuinxit. a.2
Artemiſiæ erga uirum amor. b.82
Aſini amor erga fœtum. b.75
Aſpaſia Periclis uxor. a.75
Aſſyriæ mulieres quando nubiles. a.69
Aſſyrij à Medis ſuperati. a.33
Aſſyrij triumuiros conſtituebant nuptiarum præfectos. a.60
Aſſyriorum potentia ſub Nino initium cepit. a.33
Athamas furore alienatus. a.67
Athenæ ſtudiorum bonarum artium mater. a.33
Athenienſes à Lacedæmonijs ſuperati ſunt. a 33
Athenienſes fuderunt Perſas. a.10
Athenienſes Macedonum armis oppreſſi. a.10
Athenienſes omnem oram intra Pamphylicum & Ponticum littus occuparunt. a.33
Athenienſes reticulo aureis cicadis diſtincto caput ornabant. a.20
Athenienſes terra geniti. a.20
Atheſte ab Atheſi nomen traxit. b.19
Attila Hunnorum Rex Euganeæ oppida euertit, inter quæ Aquilea, Montagnana, Atteſte, Monſilice, Calaonium & alia. a.19
Attila irruit in Italiam anno 421. ſed Neoterici tradũt fuiſſe ãno 445. b.20
Auaritia ac inhumanitas in Principe uituperanda. b.8
Auaritia inducta Rom.imperij. magnitudo diſsipari cepit. b.36
Auguſtus Alexandrum magnum irriſit merito. a.95
Auguſtus quid ſtatuit de matrimõio. b.79
Auguſti Cæſaris tempore Chriſtus natus eſt. a.55
Auguſti Imp.felicitas. b.40
Auguſti magnitudo. b.32
Auia materna Franciſci Venerii principis Venet.quid augurata ſit. a.49
ex aureo parente argenteam ſobolem procreari. a.11
Auſtria olim Boiaria dicta. a.5
Azo Ferrariæ Princeps a Gregorio nono Pont.conſtitutus. b.20
Azo ſiue Aethionus Eſtenſis Euganeorũ præfectus. a.20

B

Babylon coctilibus cincta. a.33
Barthol omæus Riccius. a.68
Bartholomæus Salicetus Ferrariæ docuit. a.21
Baſilius Moſcouitarum princeps. a.6
Bauaria Germaniæ prouincia. a.20
Beatus quis, propter coniugium. a.76
Bebius Macer de nuptiis, quid. b.79
Belgradum oppidum inexpugnabile. a.24
Belidum crudelitas. a.63
Bellica arte propagantur imperia. a.95
Bellouesus dux exercitus. b.19
Bellum ſolenni ritu denunciare. a.38
Beneficentia in Sigiſmundo. a.14
Berengarius quartus. a.20
Bergomum a Boiis conditum. b.19
apud Bialogrodum Sigiſ. uictoria b.7
Brunsbergam. ibidem
Barteuſteniam. ibidem
Bipartito diuiſum genus. b.80
Biton & Cleobis Argiæ ſacerdotis filii. b.10.
Bitonis & Cleobis teſtimonia. b.34
Bitonis & Cleobis pietas, & mors. b.82
Bohemi Vladislaum Caſimiri filium ſibi

Regem expoſcunt. a.5
Boiaria olim quæ nunc Auſtria nuncupatur. a.5
a Bois ferraria condita. a.19
Boij Boemia, Herciniaq; pulſi a marcomanis ſueuiæq; populis. b.19
Boij, quo tempore in Italiam uenerunt. b.19.
Boijuarias cis Apeninum condiderunt urbes. b.19
Bona Regina uxor Sigiſmundi. b.9
Bononiam Boij condiderunt. b.19
Boriſthenes amnis. a.6
Boriſthenidæ quid de mulieribus facere conſueuerunt. a.59
Brixiæ gubernator fuit Franciſcus Venerius. b.49
Brixia a Boijs condita. b.19
Briſæis Achilli adamata & ab Agamemnone erepta. b.30
Brunſuicenſes & luneburgenſes unde originem traxerint. a.20
Brutijs orbata Italia. a.33
Budæ nobilitas Palatinatum appetens diſſidebat. a.24
Buſcum, Veronouiam & zigoniam arces Sigiſmundus expugnauit. b.7
Buſiridis hoſpitium. a.35

C

Cæco impetu rationis arcem expugnare. b.37
Cælibatus laudatur maxime. a.68
in Cælibatu non eſſe perfectam felicitatis ac pietatis rationem. b.80
de Cælibatu & coniugio. b.81
Cælibatus quid. a.82
Cælibatu imperia delentur. b.85
in Ceſare ingenii uis laudatur. a.8
C. Cæſar accuſatur libidine dominandi. a.16.
Cæſar Borgia Alexan. Pont. filius. a.31
Cæſaris triumphi. b.32
Caia Cæcilia quæ & Tanaquil. Tarq. Priſci uxor. a.77
Calcaguiniorum familia nobilis. a.70
Calceorum uſus interdictus mulieribus apud Aegyptios. b.74
Calaonium ab Attila Hunnorum rege euerſum. a.19
Calendæ Iunij fabariæ dictæ. a.78
Cambiſis Regis exitus. a.10
in Camanijs quis mos fuerit ad uxorem ducendam. a.78
Cameli natura cum feminā appetit. b.82
apud Camenecıam, Sigiſmundi uictoria b.7
Caniouiam. b.7
Camilli & Poſthumij cenſorum conſtitutio. a.79
Camillus pro patria pugnauit. b.41
Campenſis Reſp. deleta. b.33
Capita humana duo quid apud Aegyptios ſignificabant. b.76
Capitolium Romæ quo tempore conditum. a.19.
Caput eſt ſenſuum ſedes. a.17
Caritas non ſeruatur deficiente amoris cauſa. b.85
Carna dea quæ uitalibus præeſt humanis. a.78
Carneades de felicitate quid. b.14
Caroli Magni ſtirps ab utilone deducta. a.20
Carpenſis ab Alphonſo Eſtenſi acquiſitio. a.36
Carthago urbium potentiſsima. a.33
Caſimirus, Pruſſiam et Pomeraniam ſuo Regno adiunxit. b.4
eiuſdem Caſimiri frugalitas. b.4
Caſimirus Poloniæ Rex poſt fratrem Vladislaum efficitur. b.4
Caſimirus, Alberti Rom. Hung. & Bohem. Regis filiam in uxorem ducit. a.5
Caſimirus ſex habuit filios. a.5
Caſtitatis ſpecies obumbrata. b.81
apud Catheos uxores cum uiris defunctis comburebantur. b.74
Cato ſapientiſſimus inter Romanos. a.13
Catonis continentia laudatur. b.37
Cato pro patria pugnauit. b.41
Catonis inſtitutum de oſculo mulieribus præbendo. b.59
Catonis ſententia de coniugio. b.63

Cato uxorem Hortenſio conceſſit. a.82
Centauros, quales poetæ fingunt. b.36
Centauri ex Ixione nati. b.75
in Cereris honorem mos inſtitutus. a.77
Ceruorum coitum nõ eſſe ſtatarium. a.86
Ceruum cur ueteres pingebant erecto genitali. a.86
Chaldeos tandem ruina oppreſſit. a.33
Chamani quo tempore Italiam ſunt ingreſsi. b.19
Chartaginienſes totam Europam ſuo imperio ſubigere affectabant. b.33
Chartaginienſium poteſtas & interitus. b.33.
Chiron centaurus qui omnes iuſtitia ſuperauit. b.21
Chriſtus Pontificiam dignitatem auxit & ampliauit. b.46
Chriſtus deitatem humanitati coniunctam habuit. b.54
Chriſtus nouus Adam. b.55
Chriſtus inter iumenta natus. a.56
Chriſtus cũ matre interfuit nuptijs. a.71
Cicadæ ex terra generatæ. a.20
Cicero pater Romanæ eloquentiæ. a.13
Cicero iuſtitiam laudauit. b.13
Cicero in libro de finibus bonorum, & malorum de felicitate quid ſenſerit. b.14
Cicero de dialectica quid. b.90
Cicero Diodorum ſtoicum cõmendat. a.92
Cicero cur Scæuolam laudauit. b.92
Ciceres erucas arcent. a.78
in ciceribus nulli uermes innaſcũtur. a.78
Ciconius rex Italiam inuaſit. b.19
Cilicia Gothifredo Duce à Chriſtianis deuicta. b.45
Cimbri quo tempore Italiam primũ ſunt ingreſſi. a.19
Clangor tubarum infantibus placet. b.36
Cleantes de felicitate quid. b.14
Clementia in Sigiſmundo Rege. a.14
Clementia & humanitas Sigiſmundi erga inimicos iam ſuperatos. b.7
Cleobis & Biton Argiæ ſacerdotis filii. b.10.
Cleobis & Bitonis teſtimonia de morte oppetenda. b.34
Cleobis & Bitonis pietas & mors. b.82
Cleombrotus ſe præcipitem è turri deiecit. a.67
Clytemneſtra qualis in maritum. a.62
Clytemneſtra à filio necata. a.67
Circe qualis fuit erga maritum. b.62
Citheronis conſilio quid fabrefactum. a.77
Ciuitati nihil tam contrarium quàm iniuſtitia. b.13
Ciuitati pernicioſius nihil diuiſione. a.59
Codrus morte ſpreta, patriam conſeruauit. a.37
Colus & fuſus cum ſtamine. a.77
Comum à Boijs conditum. b.19
Conchelarius Danorum Rex interfectus. a.20
Concordia perpetuitatis mater et altrix. a.94
Concordiæ & æquitatis cuſtos eſt iuris ciuilis doctrina. a.94
Coniugio malo nihil ærumnoſius. a.57
Coniugium animorum tranquillitati aduerſum. b.57
Coniugio bono nihil beatius. a.57
Coniugium eſt tormentum acerbiſsimum. a.63
Coniugii commoda diuerſa. b.75
Coniugij laudes. a.80
Coniugij inſtitutio à Deo eſt. b.81
Coniugatis omnia communia. b.84
Coniugij regnum perpetuum. b.85
Coniunctio nulla ſuauior quàm uiri & mulieris. a.74
Conſilia bona ex recta mente pullulare ait Pindarus. b.23
Conſortium uita eſt plena miſeriarũ. b.68
Conſulto res omittuntur ad quas peragendas uires non ſufficiunt. a.13
Continentia in Sigiſmundo laudatur. b.13
Continentia perturbationum moderatrix maxima. b.13
Connubii ſocietas à Ioue inſtituta. b.76
Cor eſſe corporis animam Ariſt. aſſeruit. a.17
Cornelia Tiberij Gracchi uxor. b.82
Coronatio Sigiſmundi Regis. a.17
Corpora ſolis radijs oppoſita ſplendorem augent. a.19
Coruini, nobilis Romanorũ familia. a.20

Coruncanus primus apud Romanos Pont. maximus, continentia inſignis. b.37
Coſrois Perſarum Rex. a.67
Cracouienſis urbs peſte laborat. b.4
Cracouienſis ciuitas. b.12
Cracouiæ ciuitas quare felix. b.16
Crœſus diuitijs abundans. a.10
Crœſus lydiæ Rex. b.10
Crateti philoſopho non obfuit uxor. a.83
Crates quomodo cum uxore uixerit. a.83
Crudeliſsimi Tyranni fuere Gilo, Dioniſios, Phalaris, Nero. a.67
Orthogathus Cypſelus. ibidem
Piſiſtratus, Syllanus. ibidem
Crucigeri, Lithuaniam, Poloniamq; populantes Vladislaus Rex, cum Silesijs atq; Ruſsijs oppreſsit. b.4
Cunigunda uxor Aetiononi ſiue Azonis Eſtenſis Euganeorum præfecti. a.20
Curtius pro patria pugnauit. b.41
Cyri perſarum Regis mors. a.10
Cyri Perſarum Regis notabile dictū. a.50

D

Dauid poeta ſanctiſſimus. a.30
Dauid propheta. a.41
Darij pompe innumerabilis. b.32
Darij amor erga uxorem. a.75
Decij, pater & filius, pro ſalute patriæ ſe deuouerunt. b.7
Decii, pro patria fortiter pugnarūt. a.37
Democritus ſummus philoſophus. a.30
Democritus rem familiarem abiecit. a.88
Demoſthenes orator maximus. a.39
Demoſthenes oratorum Græciæ princeps. a.92.
Demoſthenes ciuitatum animam ius ciuile dixit. a.97
Deo nihil gratius quam miſeris opem ferre. a.44
in Deo omnes theſauri ſapientiæ ſunt reconditi. b.55
Derbices Aſiæ populi. a.82
Deus omnium bonorum largitor. a.46
Deus ex nihilo omnia creauit. b.51
Deus promiſsiones ſuas ſemper ratas eſſe uoluit. a.53
Deus unicum filium ſuum de cœlo in terrā miſit. a.54
Deus homo naſcitur. b.56
Deus uitæ perennis fons. b.57
Deus bene meretur de bonis & de malis male. a.97
Deus æque omnibus idem. a.97
Deus in rebus dubijs conſulitur. a.97
Dialecticæ ſtudium neceſſarium. b.88
Dialectica quare neceſſaria. a.90
Dialecticæ ſtudio exacuuntur ingenia. a.90
Dialecticæ cū prudentia neceſſitudo. b.90
de Dialectica & Rhetorica. b.91
Dialecticæ munus. b.91
Dialectica, quibus comparata. a.91
Dianæ Epheſiæ templum incenſum. a.69
Didonis fides erga Sycheum. a.86
Difficultas in matrimonio unde. a.84
Digitus pronubus quis. b.78
Dij nuptiales, natalitij lares. b.73
Dij lares. a.81
poſt Diluuium deus inſtaurauit mundum. a.72
in Diodis honorem quid obſeruatum a Megarenſibus. b.59
Diodorus Stoicus a Cicerone commendatus. a.92
Diomedis equi. a.33
Dion tyranni iugum a ceruice patriæ propulit. b.41
Dionis uirtus. a.86
Dionyſius poſterior, Syracuſis expulſus. a.86
Diuina uirtus in operibus Chriſti eluxit. b.54
Diuiſione nihil ciuitati perniciofius. a.59
Diuus Iuſtinianus in matrimonio quid. a.79
Doloris & uoluptatis communionem ſtatuendam. a.59
Draco Athenienſium legislator. a.96

E

in Edificijs extruendis Sigiſmundus multum auri & argenti erogauit. a.8
Egeſiæ Cyrenaici conſilium de morte ſibi conſci-

conſciſcenda. a.34
Eleonora Aragonum Regis filia. a.21
Eliſabetha Alberti.Rom.Hung.& Bohemiæ Regis filia Caſimiro Pol.Regi nubit. a 5
Eloquentiam, Galli tribuunt ſuo Herculi Ogygio. b.88
Empedocles ſe ipſum in incendium Aetnæ demiſit. a.67
Enoch placuit deo. b.83
Epaminundæ uirtutum copia. b.32
Epicurus de felicitate quid. b.14
ad Equites Polonos oratio. a.12
Equites et Principes ſunt Regni membra. a.17
Equi Diomedis. a.35
Eridanus fluuiorum Rex. a.47
Ergaſtula libidinum confringenda. b.83
Erymnis ac Eumenides ab inferis excitatæ. b.31
Eryphilis a filio necata. a.67
Eſaiæ uaticinium de Chriſto. a.56
Eſtenſes Principes, et Poloniæ Reges ſunt conſanguinei. a.2
Eſtenſes a Carolo Magno originem ducunt. b.19
Eſtenſes Principes a Bois ac Saxonum Regulis prognati. b.19
Eſtenſes Gottos & Longobardos magna ſtrage affecerunt. b.20
Eſtenſes, inſubriam, liguriam, Veronenſes, Vicentinos, Anconitanos olim rexere. b.20
Eſtenſium familiæ commendatio. b.20
Eſtenſes literarum ſtudia ſub Alberto ſecundo reſtituerunt. a.21
Eſtenſes obiecerunt ſe barbaris in Italiam irrumpentibus. a.21
Eſtenſis familiæ Paulus 3. Pont. fautor maximus. b.40
Eſtenſis familia, Ferrarienſi, Comaclenſi, Flaminieq; ditionibus præeſt. b.46
Eſtenſis familia ſedis Apoſtolicæ obſequentiſsima. a.47
Ethruſcis pulſis condita Ferraria a Bois. a.19
Eua ex coſta hominis creata. b.71
Euadne. b.74
Euchariſtia interdicti qui. a.80
Euganeorum Regia ſedes in ripa Atheſis fuit. b.19
Euganeæ oppida ab Attila Hunnorum Rege euerſa. a.19
Euripidis dictum notabile. b.34
Euripides de uxoribus quid dicat. a.59
Euripidis dictum de mulieribus. b.62
Euripidis ſententia aut ſolos aut celibes uiuendum. b.67
Eruli populi ad Iſtrum flumen. b.74
Eurydicem apud inferos queſiuit Orpheus. a.75
Exulibus cur aqua & igni interdictum fuit. b.77

F

Fabarias inſtituit Iunius Brutus. a.78
Fabij ſolertia & prudentia laudatur. a.8
Fabia qualis fuit erga maritum. b.62
Fabius Quintilianus optimus oratoris inſtitutor. b.92
Fabricius Rom. animi præſtantia inſignis. a.23
ex Facie multa iudicantur. b.84
Facultates in matrimonio quid. a.84
Fæcunditas honoribus afficitur. b.81
Faletus ab Alciato doctoratus inſignia accepit. b.97
Faliſcis orbata Italia. a.33
Familiæ celebritas commendatur. a.19
Farneſiane familiæ ſplendor fuit Paulus III. Pont. max. b.39
Fatorum arbitrio rapimur. b.29
Fax in nuptijs quando & a quibus rapiebatur, & quam ob cauſam. a.77
Federicus Caſimiri filius ad Card. dignitatem expetitur. a.5
Federicus ænobarbus Imp. æſtuauit ira aduerſus Gregorium nonum Pontificem. b.20
Federicus Imp. ſedis apoſtolicæ hoſtis. b.41
Felicitatem in honeſtate ſitam. b.14
Felicitatem in mentis uoluptate ſitam aliqui dixere. b.14
Felicitatem in perturbationum & dolorũ uacuitate ſitam. b.14

Felicitatem in honeſta uoluptate & indolentia ſitam. b.14
Felicitatem in perfectæ uirtutis exercitatione ſitam. b.14
Felicitatem, finem ſummumq; bonũ Philoſophi dixere. b.14
Felicitas rebus honeſtis ac perpetuis tribui debet. b.70
Ferraria urbs Italiæ. a.19
Ferraria Padi metropolis. a.19
Ferrariam Boij condiderunt. b.19
Ferraria ad Eccleſiæ obſequium redacta. b.20
Ferraria ad Imp. defecit. b.20
Ferrariæ principum ſucceſſio non fuit perpetua. b.20
Ferraria ab Alphonſo Duce optime munita. a.37
Ferrariæ ſuis quiſq; fruitur fortunis. a.37
Feminam ex latere uiri creauit Deus. a.58
Feminis apud Rom. erat capitale uinum bibere. b.59
ut Femineo generi honos haberetur exoſculationes apud Rom. ſancitæ. b.59
Femina ſpeculo comparatur. b.62
Femina peccati Symbolum. b.62
Femina multas clades hominibus inuexit. b.65
Fons uitæ perennis Deus eſt. b.57
Foreſtus Euganeorum princeps ab Attila extinctus. b.19
Fortunæ mutatio notanda. a.33
Franciſcus Mantuæ regulus. a.51
Franciſcus Venerius fuit gubernator Brixienſis, Veronenſis, Vtinenſis, Patauinus. b.49
Franciſci Venerij Venet. Principis auia quid augurarit de ipſo. a.49
Frugalitas Caſimiri Regis Poloniæ. b.4
Fundamentum firmiſſimum ad amplitudinem eſt nobilitas. a.19
Fuſus cum ſtamine, & colus nubentibus dabantur. a.77

G

Galliæ gentes in Italiam confluxere. b.19
Gallorum exercitus magnã Italiæ partem peruagauit. a.21
Galli ex Italia à Iulio II. eiecti. a.23
Gallicarum feminarum mores cum hoſpites adueniunt. b.59
in Gallia feminæ oſculo excipiunt hoſpites. b.59
Gallina criſtata mulieri comparatur indomitæ. b.64
Gallus uictor Inſubriam & Liguriam Eluetiorum impetu amiſit. b.37
Gedeon bellicoſus. a.41
Generis humani omniumq; rerum principium ad Deum refertur. b.72
Genius olim inuocabatur naſcẽtibus. a.51
Genus bipartito diuiſum. b.80
Germani apud Dobrinum confluentes & Pruſſiam ac Poloniam maxima clade affecerunt. a.4
Germani ab Vladislao Rege ſuperati & profligati. b.4
contra Germanos Sigiſmundi uictoria. b.7
Germani in Italiam confluxere alpes primum tranſgreſſi. b.19
Germanicus Auguſti priuignus. b.79
Giarus aut Giara inſula una ex cicladibus in quam Romani noxios relegabant. b.30.
Giliolius Cremonenſis Ferrariæ docuit. a.21
Giraldi uiri doctiſſimi. a.68
Gloriæ ſitis inexplebilis erat Alexandro Magno. a.10
Gloriam ad præclari muneris ſtudia mortales maxime incitare. b.16
apud Goſdeciam Sigiſmundi uictoria. b.7
Guteſtadium ibidem
Gothifredo Duce Cilicia & Syria à Chriſtianis debellata. b.45
Gotthi & Longobardi in Romanos fines irrupere. b.20
Grammatica certa loquendi obſeruatione conſtat. a.91
Gracchi Tiberij pietas erga Corneliã. a.86
Græcorum ſub Cyro militantium conſuetudo. a.74
ad Gubernationem cuiuſq; Regni multũ intereſt maiorum res geſtas recte intelligere.

ligere. a.9
in Gubernatione cuiusq; Regni multum intereſt maiorum res geſtas recte intelligere. a.9
Gutholdus in Eſtis ab Vtario confirmatus Princeps. b.20

H

Hebræi ruina oppreſſi. a.33
Hebræi nouiter coniugati quid. b.79
apud Heilisbergã Sigiſmundi uittoria. b.7
Helenæ raptus, euerſionis Troiæ cauſa fuit. b.85
Heliſæus propheta. b.41
Helitonius Dux exercitus. b.19
Henricus quartus Imperator. a.20
Heracliensis Reſp.deleta. a.33
Herbaria ab Alphonſo duce recuperata. b.37
Hercules Eſtenſis quare æquiori animo Sigiſmundi mortem tulerit. a.9
Hercules Eſtenſis Dux. a.21
Hercules Eſtenſis ſuſtinuit Regnum Neapolitanum. a.21
Hercules Ferrariæ princeps Alphonſi filius. b.30
Herculis & Phyloctetis amor. b.30
Hercules Ferrariæ Princeps pro patre Orator ad Adr.Pont. a.35
Hercules Ferrariæ Princeps Galliarum Regis gener. a.35
Herculi Ferr.Duci Paulus tertius oppida quædam confirmauit. b.40
Herculis ſcutum. a.77
Herculi Ogygio ſuo Galli eloquentiam tribuunt. b.88
Hermocrates Athenienſium opes attriuit. b.41
Hernicis orbata Italia. a.33
Herodianus in Seuerianis. b.73
Heſiodus de Herculis ſcuto quid. a.77
Heſiodus de optimatũ exordio quid. a.96
Hieremias de natura humana ſaluatoris quid. a.55
Hieremias de coniugio cõtra Iudeos. a.80
Hieronymus de felicitate quid. b.14
Hieronymus Faletus ab Alciato doctoratus inſignia accepit. b.97
Hieroſolyma ad Chriſti fidem reuerſa Gothifredo Duce. b.45
Hypanis fluuius Scythiæ. b.29
Hypermeſtra. b.74
Hipparchus Piſiſtrati filius. a.86
Hippias philoſophus omnium artium ſcientiſſimus. a.70
Hippias Athenis exterminatus. a.86
Hippolyti Eſtenſis Card.laudatio. a.16
Hippolytus Eſtenſis.in Pannoniam conceſſit. a.21
Hippolyti Eſtenſis ad ineunte ætate laudes. a.21
Hippolyti Eſten.in Italiam reditus. a.22
Hippolytus Eſten.Strigonienſis, Archiepiſcopatus dignitate honeſtatus. a.22
Hippolytus Eſten. legatus ad Matthiam Pannoniæ Regem. a.26
Hippolytus Eſten. ſtudio & opera Ludouici Sforciæ, Card.factus. a.22
Hippolytus Eſten. à Ludouico Sforcia Mediolanum uocatus. a.22
Hippolytus Eſtenſis à Mediolanenſibus amatus. a.22
Hippolyti Eſten. liberalitas. a.26
Hippolytus Eſten. Bononiæ Legatus. a.26
Hippolytus Eſten. Card. b.31
Hippolytus Eſtenſis à Paulo 3. Card. factus. b.40
Hipponactis notabile dictum de coniugio. b.63
Hipſicrathea Mithridatis uxor. b.74.82
Hircani Aſiæ populi. a.82
Hirundines exacta æſtate deuolant. b.74
Hiſpanas copias Alphonſus apud Rauennam proſtrauit. b.37
Hominum diuerſæ & occultæ uoluntates. b.18
Homines hominibus bella indicunt. a.16
Homines ratione ceteris animantibus præſtant. b.96
Honeſtatis fræno regi pulchrum eſt. a.66
Honeſtus eſſe nõ poteſt cuius appetitus eſt inhoneſtus. b.65
Horatij puluilli conſtantia in morte filij ſui. a.32
Hortenſio Martia uxor à Catone conceſſa.

ſa. a.82
Hoſpitium Buſyridis. a.35
Humanæ ſocietatis origo. b.71
Hungari Caſimirum & Ioannem Albertum CaſimiriRegis filios ſibi Reges expoſcunt. a.5

I

Iacob propheta: b.41
Iacob quid in ſcala uiderit. a.42
Iagellonum familia, quæ uirtutis exempla Regno reliquerit. b.9
Ignis, actionis uim obtinet. b.77
Ignis et aquæ ſacramento nuptiarum fœdera ſanciri. b.77
apud Iluſcum Sigiſmundi uictoria. b.7
Illuſtrius nihil quam opem ferræ laborantibus. a.38
Imbecilliores fortioribus parent. a.16
Imperium niſi ratio teneat parum prodeſt litteras didiciſſe. b.35
Imperatoris maieſtas cum dijs æqualis a gentilibus habita. a.46
Indi quid de uxoribus infecundis facere ſolebant. a.59
Indi quo hore afficiebant mulieres fæcundas. a.59
Indi multas babebant uxores. b.79
Indi faciem intuentur ut uxorem rectè agnoſcant. b.84
Indolem uirtutis maiorum ſatu poſteris ingenerari uidere eſt: a.19
apud Indos uxores cum uiris defunctis cõburebantnr. b.74
Infelicitas Priami. a.10
Ingenij uis in Sigiſ. laudatur uti in Cæſare. a.8
Ingenij uiribus examinatis aliquid aggredi, laudabile eſt. a.18
Ingenio honeſtis officijs exculto nihil præſtantius. b.66
Ingenium humanum apiculæ comparatur. a.81
per Ignem & aquam quid intelligendum in nuptijs. b.77
Immunitatis præmia quibus cõceſſa. b.81
Inhumanitas ac auaritia in Principe uituperanda. b.8
ex Iniuſtitia omne malum. b.13
Innupti infamia notati. a.79
Inſtitutio coniugij a deo eſt. b.81
Inſubriam et liguriam Gallus amiſit. b.37
Ioannes Albertus cum Caſimiro fratre ab Hungaris pro Regibus ſibi dari expetuntur. a.5
Ioannes Tarnouius. a.15
diui Ioannis allegatio notanda. b.16
Iob propheta de uita conqueſtus quid matri dixerit. b.34
a Ioue connubij ſocietas inſtituta b.76
Iſabella Alexan. Pont. filia uxor Franciſci Marchionis Mantuæ. a.31
Iſmael Abrahe filius ex Agar. b.60
Iſter fluuius qui & Danubius dictus. a.24.
Italia terrarum nobiliſsima. a.33
Italia multis populis orbata. b.33
Samnitibus, Salentinis
Volſcis, Hernicis
Latinis, Lucanis
Faliſcis Brutijs Sabinis
Iudicium ex facie fieri poſſe. b.84
Iulia Pompei uxor. b.82
Iuliæ amor erga Pompeium. a.86
Iulium Cæſarem Vladislaus Poloniæ Rex imitatus eſt. a.4
Iulius Cæſar antecelluit omnes Imperatores rerum geſtarum gloria. a.8
Iulius 2. Gallos ex Italia eiecit. a.23
Iulius 2. Pontifex totam fere uexauit Italiam. a.23
Iulij 2. amor erga Hippolitũ Eſten. Card. a.27.
Iulij 2. Pontificis iniuria in Eſtenſes. b.37
ad Iulium 3. Pont. oratio. a.43
Iulius Cæſar gloriabatur ob benefaciendi facultatem adeptam. a.50
Iulij Cæſ. natalis dies ab Octauio Auguſto decoratus. a.51
Iulius Cæſar ſcelerata coniuratione interijt. a.51
Iunius Brutus fabarias inſtituit. a.78
Iuno ſummum pietatis præmium morti attribuit. a.10
Iuno pronuba. b.76

Iuppiter

Iuppiter ex ſimia fœminam natam pro-
tulit. b.60
Iuppiter Gentilitius. a.81
Iuppiter Philius amicitiæ præſes. a.81
Iuris cum alijs facultatibus comparatio. a.95.
Iuris ciuilis laudes. b.96
Iuris adminiſtratores inter homines pro dijs habendi. a.97
an Ius ſit uiolandum regnandi cauſa.a.16
Ius, ſuum cuiq; tribuit. a.97
Ius, bonos præmio afficit, malos autem ſupplicio. a.97
Ius ciuile mentes hominum ſoluit. a.97
Iuſtinianus diuinam appellat iuſtitiam. b.13.
D.Iuſtinianus de legitimatione quid.a.79
Iuſtitia in Sigiſmundo laudatur. a.8
Iuſtitia omnium rerum bonarum Dux & parens. a.13
Iuſtitia legum ſuffragio adminiſtratur. b.13.
Iuſtitia a Platone & Ariſt.Ciceroneque, laudata. b.13
Iuſtitia neglecta, quidquid uirtus, apud Romanos peperit perijt. b.13
ſine Iuſtitia & æquitate nihil in mundo conſtare poteſt. b.13
Ixion Iunonis amore captus. b.75

L

Laborantibus opem ferre eſt maxime illuſtre. a.38
Lacedæmonij cum ſumma laude educabāt liberos. b.21
Lacedæmonij Peloponeſſum omnem macedoniam uſque ſubiugarunt. a.33
Lacedæmonij a Thebanis ſubiguntur.a.33
Lacedæmon iuſtitiæ cultrix. a.33
apud Lacedæmonios dabantur præmia lepidius ſuauiantibus. b.59
Lacedemoniorum & meſſeniorum congreſſus. a.85
Lactantius Fir.de caritate. b.85
Lælij & Scipionis amor. b.30
per Leænam Aegyptii quid. b.79
Leæna ſemel tantum parit. b.79
Lætitia ex aduentu Pauli 3. Pont. max cum Ferrariam uenerat. a.39
Laodomia. b.47
Latinis orbata Italia. a.33
in Laude tria præcipue ſpectanda. b.3
Laudes ex uera ſolidaque gloria præcipue manant. b.18
Laudem Pompeiam Boij condiderūt.b.19
Laus uera in uirtute conſiſtit. b.18
in Legibus antiquis multa potius temporis cauſa ferenda quàm laudanda.a.82
Legum ſuffragio iuſtitia adminiſtratur. b.13
Leonardus Lauredanus Venetiarum Princeps. a.49
Leonis feritas. b.36
Leones catulos ſuos amant. b.57
Leonis.X.amor erga Hippolitum Eſten. Card. a.27
Leonides Perſas aditu greciæ excluſit.a.37
Leonides ad Thermopylas obijt. a.37
Lex capitalis contra matrimonij uiolatores apud Germanos. a.79
Lex contra uxorum occiſores. b.79
Lex damnat ſterilitatem. b.80
Lex ſocietatis diuinitus promulgata.b.81
Lex in paricidas. b.82
Lex Numæ de coniugatis. a.82
Liberalitas Hippoliti Eſtenſis commendatur. a.26
Liberalitas ac munificētia Hippoliti Card. Eſtenſis commendatur. a.82
Libertas uera quæ ſit. b.83
Liberalitas & munificentia in Sigiſmundo laudatur. b.8
Liguriam & Inſubriam gallus amiſit. b.37
Literarum ſtudia ſub Alberto ſecundo ab Eſtenſibus reſtituta. a.21
Lithuani Alexandrum Caſimiri filium Regem expoſcunt. a.5
Lithuani Poloniæ parent Imperio. a.15
Lithuania quare felix. b.16
Locrenſis Reſp.deleta. a.33
Lolius & pigna uiri doctiſs. a.68
Longobardi quo tempore in Italiam uenerunt. b.19
Longobardi et Gotti in Romanos fines ir-

ruperunt. b.20
Lucanis orbata Italia. a.33
Lucilla mulier maxime crudelis. a.63
Lucius Sylla. a.10
Lu. Martius poſt duorum Scipionum interitum Rom.reſp.reſtituit. b.7
Lucretia Borgia Alex.Pont.filia Alphonſi Ferrariæ Ducis uxor. a.31
Ludouicus Sfortia, Inſubrum & ligurum Dux. a.22
Ludouicus Francorum Rex inſubriam inuaſit. a.22
Luna ſpatijs menſtruis annuos ſolaris curſus ſequitur. a.52
Luneburgenſes & Brunſuicenſes unde originem traxerint. a.20
Lupi abijciunt catulos latrantes tanquàm illegitimos. b.75
Lupo uxorem debere dari. a.64
Lycurgus Lacedæmonius contra innuptos quid. a.79
Lycurgus legum conditor inſignis. a.96
Lycurgi lex. b.79
Lydos, ruina tandem oppreſſit. a.33

M

Macedones a Romanis uicti. a.33
Macedones Perſas ſuperarunt. a.33
Macedones Thebanos ſuperarunt. a.33
Macedones mutuis diſſenſionibus euanuerunt. a.33
Macedonum armis Athenienſes oppreſſi. a.10
Macedonum lex in militia. a.7
Magnificentius nihil quam quod Chriſtus commendauit. a.71
Magnitudo animi in Sigiſmundo laudatur. b.13
Mala multa mortales turmatim inuadunt in hac uita. b.52
Maledictio contra incontinentes. b.81
Malum neceſſarium eſt coniugium. b.77
Mantinea urbs quæ & Antigoniam appellatur. b.32
Marcomania Germaniæ prouincia. b.15
Marcomani cum ſueuiæ populis Boios Boemia Herciniaq; expulerunt. b.19
M.Anci templum. a.77
M.Antonius Antimachus. a.68
M.Cato non ipſe gloriam, ſed ipſum gloria ſequebatur. a.45
Marcus Marcellus Annibalis impetum primus repreſſit. b.7
M.Plautius propter uxoris mortem pugione ſe confodit. a.75
Marci T.Cic.pulcherrimum dictum C.Iulio Cæſari. a.27
Mariæburgus cruciferorũ magiſter apud Toruniam uiſtula traiecta in Poloniam irruit. b.4
Maruellus Foreſti Euganeorum Principis nepos. b.20
Martia Catonis uxor. a.82
Maſouia quare felix. b.16
Mathias Rex Pannoniæ. a.22
Mathiæ Pãnoniæ Regis atrox caſus. a.22
Matrimonium a Deo inſtitutum. b.68
Matrimonium nos ſummo parenti ſimiles reddit. b.76
Matrimonium ſtudijs non obeſſe. a.83
Matrimonium uiolatum græci uindicandum cenſuerunt. b.78
Matrimonij laudes. a.80
in Matrimonio difficultas unde. a.84
in Matrimonio omnia communia. b.84
de Matrimonio quid, apud Britannos Traconitas, Lacedæmonios. b.78
Medi a Perſis ſuperati. a.33
Medi ſuperarunt Aſſyrios a.33
apud Medibozum Sigiſmondi uictoria. b.7
contra Moſcos Sigiſmondi uittoria. b.7
Medica res male tractata. b.93
Mediolanum a Boijs conditum. b.19
ad Mediolanenſem ditionem nonnulli principes animum adiecerunt. a.22
Medo Dux exercitus. b.19
a Megarenſibus quid obſeruatum in honorem Diodis. b.59
Memoria in Sigiſmundo laudatur uti in Mithridate. a.8
Mercurius ægyptijs leges & litteras tradidit. a.56
Meſſana marmoribus cincta. a.33
Meſſeniorum et Lacedæmoniorum congreſſus.

greſſus. a.85
Metellus animi præſtantia inſignis. a.23
Metellus Macedonicus. a.10
Metellus pro patria pugnauit. b.41
Metellus de uxore ducenda quid. b.77
Metropolis pade Ferraria eſt. a.19
Michael Goliza in prælio captus. a.6
Micheas uates de Criſto quid cecinit. b.55
Mileſius Apollo quid de Chriſto ſeruatore noſtro dixerit. a.55
Militaris diſciplinæ ratio in natura & exercitatione ſita eſt. b.36
Militantium ſub Cyro conſuetudo. a.74
Minos Cretenſibus leges dedit. a.96
Minos & Rhadamanthus. b.63
Miracula a Chriſto edita. a.56
Miſeris opem ferre, Deo eſt gratiſſimum. a.44
Mithridates ob memoriam laudatur cui Sigiſmundus comparatur. a.8
Moderatrix perturbationum continentia. b.13
Mõſilice Mõtagna. ab Attila euerſa. a.19
Modeſtia in Sigiſmundo laudatur. b.13
Moroelus foreſti Euganeorum principis nepos. b.19
Mors non eſt appellanda quorum laus emori non poteſt. a.38
Mors non eſt dicenda, ubi breuem uitam reliquimus & ad æternam migramus. a.38
Mors rerum perfectio, ad finem ultimum aſſequendum. b.10
Mors terribilis, quorum cum uita omnia extinguuntur. a.38
Mors Hippolyti Eſten. Card. deploratur. b.27
Mors ſiue interitus Vladislai 2. Poloniæ Regis. b.4
Mors Vladislai Iagello ideſt Poloniæ Regis, anno ſui Regni. 52. b.4
Mortis contemptio apud omnes celebratur. a.7
Mortem non eſſe deplorandam. b.34
Mortales omnes in aliquem finem intuentur. b.57
Mos in honorem Cereris inſtitutus. a.77
Mores diuerſi in nuptijs. b.77
Mores mulierum inſupportabiles. b.60
Moſaica lex ſterile coniugium execrabatur. b.58
Moſcouitæ a Polonis cæſi. a.6
Moſcouite et Tartari Poloniæ regnum incurſionibus infeſtant. a.15
Moſes uir optimus a Deo populo miſſus. b.53
Moſes eduxit populum ex ægypto. b.55
Moſes in monte ſina legem accepit a domino. b.53
Moſes omnium mortalium mitiſſimus habitus fuit. b.45
Muliebri malo nihil immanius. b.62
Mulier deteriore conditione in optionem apud Italos uenit quàm iumentũ. a.59
Mulier intemperans uiperæ comparatur. b.64.
Mulier uirum maxime domat. a.64
Mulieris formator, opifex malus. b.62
ob Mulieris impudentiam Troia euerſa. b.65
Mulieris primæ captioſa ſocietas multum calamitatis attulit. a.58
Mulieres diuerſimode ſunt factæ. a.60
Mulieres fæcunde quo in honore erant apud Indos. a.59
Mulieri indomitæ comparatur gallina criſtata. b.64
Mulieres a luna diuerſas eſſe debere, ait Plutarchus. a.74
Mulieribus adulteris naſus amputabatur. a.79
Mulierum mentem ſeorſum factam. a.60
Mulierum mores & natura. a.60
Mulierum querelæ quales. a.61
Munera uetita inter coniuges a Romanis. a.74
Munificentia & liberalitas in Sigiſmundo laudatur. b.8
Munificus ac liberalis Simiſmundus. a.14
Muſa Attica Xenophon dictus. a.18
Muſæ gloriantur ob figmenta. a.69
Muſici quid obſeruant. b.84

Muſonius de iniuria quid. a.81
Muſtella a Venereo complexu aliena multum. b.60
Mutatio fortunæ notanda. a.33
Mutius Romanus animi præſtantia inſignis. a.23
Mutinam Boij condiderunt. b.19
Mutina recuperata ab Alphonſo. b.37
Myrtho & uerbena noua nupta caput cingebat. b.76
Munificentia & liberalitas Hippolyti, Eſten. commendatur. a.28

N

Natura nos ad ſocietatem genuit. b.30
Natura bona non corrumpitur nomine. b.58
Natura innata cōiunctionis ſemina. b.75
de Natura & uoluntate. a.80
Neapolitanum Regnum ſuſtinuit Hercules Eſtenſis. a.21
Nero matrem necauit. a.67
Nerui omnes a capite initiū ſumunt. a.17
Neſtoris auctoritas commendatur. b.30
Nihil in uita tam ſtabile aut firmum quod temporis momento uel minimo non extinguatur. a.30
Nihil firmum nihil ſtabile ſub cælo. b.33
Ninus Aſſyriorum Rex. a.33
Niſeorum inuentum de oſculatione. b.59
Nobilitas adiumenti plurimum addit ad uirtutem amplexandam. a.19
Nobilitas firmiſſimum eſt fundamentum ad amplitudinem. a.19
Nobilitas & uirtus duplex preſidium ad dignitatem. a.19
Noctu natus eſt ſol Iuſtitiæ. a.56
Noe cum filijs ingreſſus eſt arcam. a.53
Noe cum coniuge & filijs. a.72
Noe placuit Deo. b.83
Numa Pompilius Sabinus humili loco natus, ad Romanum Imp. uirtute ac religione euectus. a.45
Numa Pomp. Romanis ſacra inſtituit. a.96
Numæ lex de coniugatis. a.82
Nupta caput uerbena cingebat & myrtho. b.76
Nuptam deducebant duo pueri. a.77
quæ Nuptæ noue offeruntur. a.77
Nuptiarum ritus apud Italos. a.60
Nuptiarum celebris uſus. b.76
Nuptiæ quæ felices apud antiquos habitæ. a.60
Nuptiæ ſunt conſtitutionis familiæ principia. a.80
Nuptiæ contrahendæ pro ſua cuique fortuna. a.84
Nux, aſinus, mulier, eiuſdem naturæ. b.60

O

Octauius Cæſar. a.10
Octauius Auguſtus Cæſar. a.51
Octauius Aug. Cæſ. Iulij Cæs. natalem diē decorauit. a.51
Officium Regis eſt omnibus benefacere. a.50
Olympia & Pythia certamina. b.61
Optamus multa, quæ poſtea conſecuti, dolemus. a.34
Oratio in funere Sigiſmundi Poloniæ Regis. a.3
Oratio ad equites Polonos. a.12
Oratio de laudibus Hippolyti Eſtenſis Card. a.18
Oratio de laudibus Alphonſi Ferrariæ Ducis. III. a.29
Oratio ad Paulum III. Pont. a.39
Oratio ad Iulium III. Pont. a.43
Oratio, ad Franciſcum Venerium Venetorum Principem. a.48
Oratio de ortu Chriſti. a.51
Oratio de celibatu. a.57
Oratio de matrimonio. a.70
Oratio de dialectica. a.88
Oratio cum doctor fieret Faletus, de iuris laudibus. a.94
Oreſtis & Pyladis amor. b.30
Oreſtem quis furor inuaſerit. b.62

Oreſtes

Oreſtes matrem necauit. a.67
Oreſtilla M. Plautij uxor, qua mortua ſeipſum confodit. a.75
Orodes Parthorum Rex. a.67
Orpheus cantu quid fecerit. b.44
Orpheus ad inferos deſcendit. a.75
apud Oſſacouiam Sigiſmundus contra Valachos pugnauit & uicit. b.7
Oſiris ab ægyptijs ſol dictus et adoratus. b.58
Ottho primus Saxoniæ Dux. a.20

P

Padi metropolis Ferraria. a.19
Palma mas & femina. a.75
Panarium delatum in nuptijs. a.78
Panthea. b.74
in Parricidas quæ lex. b.82
Paris & Helena. b.85
Parmam Boij condiderunt. b.19
Parthi cum ſumma laude educabant liberos. a.21
Patauij gubernator fuit Franciſcus Venerius. b.49
Patriarchas miſit deus populo. b.53
Paulus Aemilius fortiter duorum filioru mortem ſuſtinuit. a.32
Paulus Aemilius triumphum egit de Rege Perſeo. a.32
Pauli Aemilij precatio ad deos pro patria. a.32
Pauli Aemilij continentia laudatur. b.37
ad Paulum III. Pont. oratio. a.39
Pauper, omnium conditor naſcitur. a.56
Pauſanias intemperantiæ dánatus. b.35
Pax in Germania Principumq; concordia conſtituta. a.22
Pentheus furijs agitatus fuit. a.67
Periander rem habuit cum uxore defuncta. a.75
Pericles amor erga uxorem. a.75
Perſæ a macedonibus ſuperati. a.33
Perſæ medos ſuperarunt. a.33
Pergamus urbs Troiæ ſuperbiſſima. a.33
Pericles Athenienſium princeps. b.32
Pericles a poetis olympus dictus. b.24
Pericles mortem filiorum forte animo pertulit. b.32
Pericles nobilis Athenienſis eloquentiſſimus. b.91
Periclis pulcherrimum dictum cum animam ageret. b.24
Periclem, Vladislaus Polonie Rex eſt imitatus. a.4
Perniciosius ciuitati diuiſione nihil. a.59
Perpetuitatem cupiunt omnes. b.57
Perſæ multas habebant uxores. b.79
Petro data fuit poteſtas ligandi & ſoluendi. a.46
Petrus Ancaranus Ferrariæ docuit. a.21
Petrus Cmita. b.15
Petrus firlegius. b.15
Phædra amentia furens. a.67
Phætonteum incendium. a.80
Phalaridis taurus. a.35 b.63
Phalaris tyrannus. a.67
Pharaonis ſeruitute populus domini liberatus. b.53
Philius Iuppiter. a.81
Philonis uxoris dictum notabile. b.74
Philopæmenis laudes immortales. b.32
Philippi Macedonis laus. b.78
Philoſophia animanti ſimilis. a.91
Phoroneus triſillabum populos diſperſos in urbem coegit. a.96
Pietas filii ualet ad honorem patris. b.34
Pigna uir doctiſſimus. a.68
Piſiſtratus tyrannus. a.67
in Piſtacijs quis amor. a.75
Pittaco quid reſponſum fuit de ducẽda muliere. a.65
Pittacus legislator appellatus minor. a.96
Pitho flexamina. b.88
Plantarum coniunctio. a.75
Plato iuſtitiam laudauit. b.13
Platonis præclara ſententia de uita mortalium. a.30
Platonis de animo hominis ſententia. a.34
Plato cenſuit mulieres debere eſſe communes, ita & filios. b.58
Plato in ſympoſio quid cenſuit. b.83

Plato inde Rep.libro de ſtudiis quid. a.95
M.Plautius ſeipſum interfecit. a.70
Plutarchus de claris mulieribus. b.59
Plutarchi admonitio de mulieribus. b.60
Plutarchus de mulieribus quid. a.74
Plutarchus de cõiugalibus præceptis quid a.80
Poetam natura fieri. b.75
Pæna ſterilitatis. a.99
Poloniæ Reges, et Eſtenſes Principes ſunt conſanguinei. a.2
Poloniæ Regis laus. b.3
Poloniam & Pruſſiam Germani maxima clade affecerunt. a.4
Poloni moſcouitas in prelio interficiunt, ac ſuperant. a.6
ad Polonos Equites oratio. a.12
Polonia quare felix. b.16
Pomeraniam & Pruſſiam Caſimirus Rex Poloniæ Regno adiunxit. b.4
Pompei magni cædes. a.10
Pontifex cõſtitutus a deo ſuper omnes gentes. b.45
Pontifex Apoſtolicæ auctoritatis uerus heres. a.46
Pontifex eſt Chriſtianæ religionis monarcha. a.46
Pontificiam dignitatem a Chriſto auctam eſt ampliatam. b.46
Portia. b.74
Portia Catonis uxor. b.82
Portiæ caritas erga Brutum. a.86
Poſteris reddendum quod a maioribus accepimus. a.71
Poſthumij & Camilli cenſorum conſtitutio. a.79
Præmia multitudinis filiorum. b.79
Preſidio duplici ad dignitatẽ muniuntur, quibus adeſt nobilitas & uirtus. a.19
Prætextatus puer in nuptiis. a.77
Priami infelicitas. a.10
Primitiæ miraculorum Chriſti. a.71
Probitatis commendatio. b.83
Procuſtis ſiue procruſtis immanitas. a.35
Prometheus Saturni lege damnatus. b.78
Pronubus digitus quis. b.78
Propagatio præcipuus uitæ noſtræ ſcopus. b.57
Prothæus in diuerſas formas ſe tranſmutat, ſic & femina. b.65
Prudentia in Sigiſmundo laudatur uti in Fabio. a.8
Prudentia in Sigiſmundo maxima. b.14
Prudentia cum dialectica quid. b.90
Prudentiæ tria ſunt officia. b.90
apud Prumarcum Sigiſmũdi uictoria. b.7
apud Piſſam. ibidem
Pruſſiam et Pomeraniam Caſimirus Regno Poloniæ adiunxit. b.4
Pruſſiam et Poloniam Germani clade maxima affecerunt. a.4
Pruſſia quare felix. b.16
Ptolemæi Regis Aegypti mortiferæ doctrinæ prohibitio. b.34
Puellæ nubiles nude inſpiciebantur apud Taxillos publice. b.59
Puellæ nubiles apud Taxillos magna pompa in forum producebantur. b.59
Puellæ nubiles apud Aſſyrios a triumuiris in forum productæ per mutuas exoſculationes. a.60
Pueri duo nuptam deducebant. a.77
Puer prætextatus in nuptijs. a.77
Pulchritudo animi nullo corporis morbo amittitur. b.37
Pyrrhi militaris diſciplina. b.32
Pythia & Olympia certamina. b.61

Q

Quinctij manſuetudo probatur. b.37
Quinque ſtellæ errantes dictæ. a.52
Quintus martius Rex maximi cõſilij. b.32
Quintus Martius ob mortem filij nihil contriſtatus. a.32

R

Rainaldus in principatus & uictoriæ ſignum Aquilam albam geſtabat. b.20
Rainaldus Eſtenſis Ferrariæ Princeps aquilam albã ab hoſte reportauit. b.20

Ratio

Ratio niſi imperium teneat parum prodeſt literas didiciſſe. b.35
Ratio militaris diſciplinæ in natura et exercitatione ſita eſt. b.36
Rationis arcem cæco impetu oppugnare. b.37
Regina bona uxor Sigiſmundi. b.9
Regium lepidi ab Alphonſo recuperatū. b.37
Regis officiū eſt omnibus benefacere. a.50
Regnum neapolitanum ſuſtinuit Hercules Eſtenſis. a.21
Regulus Romanus animi præſtantia inſignis. a.23
Reſpublicæ in Italia tandem deletæ, inter quas Locrenſis, Tuſculana Campenſis, Romana Tarentina, Heracliēſis. b.33
apud Reſſam Sigiſmundi uictoria. b.7
Raſtemburgum. ibidem
Rex tanquàm cor & caput regni. a.17
Rhadamantus & minos. b.63
Rhadamantus Iuſtitiæ ſæuerus executor. a.96
Rhetoricæ munus. b.91
Rhetorica cum dialectica quid. b.91
Roma caput orbis. a.33
Romani uicerunt Macedones. a.33
Romana Reſp. deleta. b.33
Romæ totius orbis præcipua ſedes. a.45
Roma, orbis terrarum dominatrix. a.51
Roma mulieris nomen. b.59
Romani, quibus muneribus ſuos Imp. & milites affecerunt. b.7
Romani, orbis rerum triumphatores ac domini, tandem deleti. a.10
Romanum Imperium concidit cum iniuſtos foueret homines. b.13
Romani imperij magnitudo auaritia inducta diſſipari cœpit. b.36
Romani legislatores uetuere munera inter coniuges. a.74
Romam uenerunt Troiani. b.59
apud Romanos obuias quaſque mulieres licebat oſculo excipere. b.59
Romulus natus Kal. martij. a.51
Romulus quid de matrimōio ſtatuit. a.79
Romulo bene ceſſit uirginū raptus. b.77
Roſimunda mulier crudeliſſima. a.63
Rupenſe & Vilnenſe fanum Sigiſmundus extrui fecit. a.8
Ruſſi Poloniæ parent Imperio. a.15
Ruſſia quare felix. b.16
Rutilius Rom. animi præſtantia inſignis. a.23

S

Sabinis orbata Italia. a.33
Sacrificij ueteris mos de maſculis & fœminis. b.62
Sacramentum matrimonij ab eccleſia inſtitutum. a.71
Salentinis orbata Italia. a.33
Salomonis ſententia notatu digna. b.33
Samagitæ, Poloniæ parent Imperio. a.15
Samagitia quare felix. b.16
Samnitibus orbata Italia. a.33
Sapientia ac rerum gerendarum peritia in Sigiſmundo Rege laudatur. a.9
Sapientis uita, mortis meditatio eſt. a.30
Sardanapalus uoluptatibus deditus omnibus. a.10
Sarmatiæ utriuſque, imperium fortiſſimum. a.15
Sarra Abraamo moleſta. b.64
Saturnus proprios deuorat natos. b.33
Saturno pudenda falce abſciſſa. b.58
ex Saturni teſticulis nata Venus. a.78
Satyrici de diu uiuētibus notabile dictum. a.24
Sauus fluuius. a.34
Saxonia Germaniæ prouincia. a.20
Scæuolam laudauit Cicero. b.92
Scipio Africanus. b.5
Scipio pro patria pugnauit. b.41
Scipio bis conſul. a.45
Scironis latronis Saxa. a.35
Scriptura ſacra in ſteriles quid. a.80
Scythas in Ruſſiam irruentes Vladislaus profligauit. b.4
Scythæ in Ruſſiam inſtituunt. b.5
Scytharum conſuetudo in ſacris epulis. a.7
Scythæ metu perterriti bellum mouere nō

audent. b.15
Secundis nuptijs interdicti qui. a.80
Sedes cæleſtes lapſu angelorũ uacuæ. b.71
Semiramis qualis fuit erga maritũ. b.62
Seminibus ineſt ſtirpium cauſa & arborũ. a.19
Semina rerum cælitus delapſa. b.58
Semina coniunctionis natura innata hominibus. b.75
Senecæ ſententia notanda. a.50
Senſuum ſedes eſt caput. a.17
Senones in Italiam confluxere. b.19
Septimius florens, digitum annularẽ pronubum appellauit. b.78
Seriphius dictum Themiſtocli. a.40
Seruitus uoluntaria quæ infamiam non ſubit. a.84
Ser. Tullius Kal. Ianuarij natus. a.51
Sicambri in Italiam confluxere. b.19
Sicariam facere non licet in coniugatos. b.83
Sicera interdicti qui. b.79
Sicyonios tandem ruina oppreſſit. a.33
Sigiſmundi Poloniæ Regis laus. a.b.3
Sigiſmundus Caſimiri filius à Sileſijs pro Rege expoſcitur. a.5
Sigiſmundus Rex finitimos fœdere reconciliauit, ac cũ turca pactiones iniuit. b.5
Sigiſmundus Rex Poloniæ omnigena doctrina præditus. b.5
Sigiſmundus e Cracouia uilnam proficiſcitur. a.6
Sigiſmundus obſeſſus a duobus exercitibus. b.6
Sigiſmundus aduerſus Moſcos & Scythas fortiter pugnauit. a.7
Sigiſmundus Valacchos debellauit apud Oſſacouiam. b.7
Sigiſmundi clementia & humanitas erga ſuperatos hoſtes. b.7
Sigiſmundi uictoria contra Moſcos. b.7
Tartaros ibidem
Valachos
Germanos
Turcas
Sigiſmundi uictoria apud Iluſcum. b.7
Cameneciam ibidem
Trebouuliam
Medibozum
Caniouiam
Bialogrodum
Goſdeciam
Trumarcum
Zeburgum
Guteſtadium
Brunsbergam
Reſſam
Raſtemburgum
Piſſam
Bartenſteniam
Helsbergam
Sigiſmundus in extruendis edificijs multũ auri & argenti erogauit. a.8
Sigiſmundi Regis erga amicos amor laudatur. b.8
Sigiſmundo Regis amor erga omnes laudatur. b.8
Sigiſmundi laus ob memoriam ſummam qualis in mithridate fuit. a.8
Ingenij uis laudatur uti in Ceſare. a.8
Recta rerum exiſtimatio laudatur, ut in themiſtocle. a.8
Sigiſmundus Sigiſmundi filius ante obitũ patris in regno ſucceſsit. a.9
Sigiſmundi iunioris Regis laudes. b.9
Sigiſmundus nouus Rex. a.11
Eiuſdem uirtutes laudantur. b.11
Sigiſmundus auxit imperium Polonicum defendit & amplificauit. a.15
Sigiſmundi Regis coronatio. a.17
Sigiſmundus Sarmatiæ Rex. a.27
Sigiſmundus Eſtenſis. b.31
Sigoueſus dux exercitus. b.19
Sileſia Germaniæ prouincia. b.15
Sileſij Sigiſmundum Caſimiri filium Regem expoſcunt. a.5
Silupeſia exuſta. a.5
Simonidis de mulieribus dictum. a.60
Smoleuchum oppidum in finibus Moſcouitarum. a.6
ad Societatem natura geniti ſumus. b.30
Societatis lex diuinitus promulgata. b.81

Socrates

Socrates de felicitate quid. b.14
Socratis & Solonis uiſcera præ dolore diſrumpere b.31
Socrati nil obfuit uxor. a.83
Solertia in Sigiſmundo laudatur uti in fabio. a.8
Sol ab ægyptijs oſiris dictus. b.58
Sol magnitudine terram ſuperat. a.51
Solon greciæ ſapientiſſimus. b.10
Solis radijs corpora oppoſita ſplendorem augent. a.19
Solon Athenienſibus leges dedit. a.96
Sonitus tympanorum infantibus placet. b.36
Sophoclis ſententia de notho & legitimo. b.58
Sparta deleta. a.10
Spartiatæ habebant uxores communes. b.58
Sparta ob mariti ſenium iuuenem admiſit. a.82
Speculo mulier comparatur. b.62
Speculi cum muliere comparatio. b.84
Sphyngis ænigma. a.35
Splẽdor uirtuti additur a nobilitate. a.19
Stanislaus Laſcus. b.15
Statua qui præcipue digni. b.94
Stellæ errantes dictæ. a.51
Sterilitas lege damnata. b.80
Stirpium atque arborum cauſa in ſemine eſt. a.19
Stoica de felicitate quid. b.14
Stoici cenſent animum infirmitate corporis occupatum, in miſeria eſſe. a.10
toSicorum princeps zeno quid de dialectica & Rhetorica. b.90
Stoici dialecticam uirtutem dixere. b.90
Strigonienſis Archiepiſcopus dignitate Hippolitus Eſten. honeſtatus. a.22
Studio dialecticæ exacuũtur ingenia. a.90
Studia quare diu deprauata. a.93
Sueui in Italiam confluxere. b.19
Superſtitionis caligine remoti in ueræ lucis religione uerſamur. a.51
Sylenus a Migda lydorum Rege captus quid dixerit. b.34
Syria Gothifredo duce a Chriſtianis ſuperata. a.45
Syroches crudelitate inſignis. a.67

T

Tanaquil quæ & Caia Cæcilia Tarq. Priſci uxor. a.77
Tarentina Reſp. deleta. b.33
Tarquinio Priſco Romæ regnante ultramontani Italiam primũ ingreſſi. b.19
Tarquinius Priſcus. a.77
Tarquiniorum expulſio. a.86
contra Tartaros ac Turcas Sigiſmundo Regis uictoria. b.7
Tartari & Moſcouitæ Poloniam incurſionibus infeſtant. a.15
Taurus Phalaridis. a.35
apud Taxillos quid de puellis nubendis ſancitum fuit. b.59
Tellus Athenienſis a Solone feliciſſimus iudicatus. b.10
Temperantia in Sigiſmundo. a.14
Thebani Lacedemonios ſubigere. a.33
Thebani a Macedonibus ſuperati. a.33
Thebæ præſtantiſſimos habuit belli artifices. a.33
Thebe mulier crudeliſſima. a.63
Themiſtoclem, Vladislaus Poloniæ Rex eſt imitatus. a.4
in Themiſtocle recta rerũ exiſtimatio laudatur, ita & in Sigiſmundo. a.8
Themiſtoclis dictum Seriphio. a.40
Theodorus peripateticus de felicitate quid. b.14
Theodopertus cum Vtilone contra Danos pugnauere. a.20
Theodopertus Theodorici francorum Regis filius. a.20
Theodorus gaza Ferrariæ docuit. a.21
Theodotus Boiorum Rex. b.19
Theognides de coniugio quid. a.85
Theophraſtus de felicitate quid ſenſerit. b.14
ex Theopompo quid inſtitutum in nuptijs. a.78

Theſauri omnes ſapientiæ in Deo ſunt reconditi. b.55
Theſeus Athenienſes in unum locum compulit. b.44
Theſſala. b.74
Thori geniales. b.76
Thraces excipiunt infantes merore & lachrimis cum naſcuntur. b.9
Thraces funera tripudijs & cantu proſequuntur. b.9
apud Thraces quis uſus uxorum. b.74
Thyle ſiue Thule inſula ultra Orcadas. b.30
Ticinum a Boijs conditum. b.19
Tigrides pro catulis dimicant. b.75
Tlepolemi cum Lycio ſarpedona contentio. a.86
Timeleonis uirtus. a.86
Timon oſor humani conſortij. a.76
Tolerantia in Sigiſmundo. b.13
Torquati, nobilis Romanorum familia. a.20
Torquatus pro patria pugnauit. b.41
Traiani bonitas. b.40
Tranſgreſsio mandati dei per primos parentes noſtros. a.58
apud Trebouuliam Sigiſmundi Regis uictoria. b.7
Tridentum a Boijs conditum. b.19
Trochonitæ habuerunt uxores communes. b.58
Troiani antiquiſſimi. a.20
Troiani tandem ruina oppreſſi. a.33
Troiani Romam per Tyberim uenere. b.59
Troianorum claſſis igne abſumpta. b.59
Troia ob mulieris impudentiam euerſa. b.65
Troianum regnum euerſum ob Helenæ raptum. b.85
Trophonij & Agamedis mors. b.34
Trophonius cum Agamede in Delphis Apollini templum extruxere. b.34
Tubarum clangor ac tympanorum ſonitus etiam infantibus placet. b.36
Turcarum Imp. copias magnas in hongariam duxit. a.24
Turcæ quid de mulieribus obſeruant. a.59
Turriæ fides ſumma. b.82
Tuſculana Reſp. deleta. b.33
Tympanorum ſonitus infantibus etiam placet. b.36
Tyrios tandem ruina oppreſſit. a.33
Tyranni crudeliſſimi. a.67
Tyrus. b 74

V

Valachos deuicit Sigiſmundus apud Oſſacouiam. b.7
contra Valachos Sigiſmundi uictoria. b.7
Valacchi metu perterriti. b.15
Vanitate nihil ſtultius. a.69
Varta amnis. a.5
Varus fluuius prouincia Narbonenſem a liguria diuidens. a.41
ad Varum uſque Paulus tertius Pontifex uenit. a.41
Vaticinium Eſaiæ de Chriſto. a.56
Venationis laus apud antiquos. b.21
Veneti agrum Ferrarienſem inuaſerunt ac deuaſtarunt. b.22
Venetiarum Princeps, ſinns Adriatici nauarchus. a.48
Venetorum impetus in Eſtenſes. b.37
Venus ex Saturni teſticulis nata. a.78
Venus armata a Lacedemonijs culta. a.85
Vera laus in uirtute conſiſtit. b.17
Vera libertas quæ ſit. b.83
Verbena & myrtho caput cingebat noua nupta. b.76
Verbum domini ad Dauid. b.55
Veronouiam, Buſcum & zigouiam Sigiſmundus expugnauit. b.7
Veronam Boij condiderunt. b.19
Veronenſis gubernator fuit Franciſcus Venerius. b.49
Victoria Sigiſmundi contra b.7
Moſcos
Tartaros
Valachos, Germanos, Turcas.

Victoria

Victoria Sigiſmundi apud Iluſchum. b.7
Cameneciam
Trebouuliam
Medibozum
Canioniam
Bialogrodum
Gosdeciam
Prumarcum
Zeburgum ibidem
Guteſtadium
Brunsbergam
Reſſam
Raſtemburgum
Piſſam
Bartenſteniam
Helisbergam
Vilna oppidum Poloniæ. a.6
Vindelicia ſuperior. b.19
Vincentiam Boij condiderunt. b.19
Viperæ comparatur mulier intemperans. b.64
Virago quoniam ex uiro ſumpta. b.72
Virgilianus damætas. a.80
Virgines nuptui tradendæ apud Taxillos nudæ inſpiciebantur. b.59
Virgo cum uiro tradebatur, de matris gremio rapi ſimulabatur. b.77
Viribus ingenij examinatis opus aggrediendum. a.18
Viri & uxoris amor miſcetur uti uinum cum aqua. a.74
Viro cur deus ſociam adiunxit. b.71
Viro mortuo uxor laqueo ſe ſuſpendit apud Erulos, b.74
Viro ſeni incommoda uxor iuuenis. a.85
in Victoria uera laus conſiſtit. b.17
Virtus quidquid pepererat apud Romanos neglecta iuſtitia perijt. b.13
Virtutes inter ſe connexæ & coniunctæ coherent. a.14
Virtutis magnitudo commendatur. a.19
Virtus, & nobilitas duplex præſidium ad dignitatem. a.19
ad Virtutem amplexandam plurimũ adiumenti nobilitas addit. a.19
Virtuti additur ſplendor a natiuitate. a.19
Virtutis indolem poſteris ingenerari maiorum ſatu uidere eſt. a.19
Virtute tantum uere clarus quis dici debet. a.40
Virtutes uitijs opponuntur. b.67
Virtus eſt conſeruare acquiſita. b.95
Virtute uita beata perficitur. a.96
Viſnouenum oppidum a Sigiſmundo defenditur. a.7
Vilnenſe & Rupenſe fanum Sigiſmundus extrui fecit. a.8
Viſtula amnis. l.4
Vita mortalium multis calamitatibus obnoxia. a.29
Vita eſt appellanda non mors, quorum laus emori non poteſt. a.38
Vita breuis homini magis expedit quam longa. a.34
Vita celibe nihil laudabilius. a.54
Vitam rebus propagare ſolius dei eſt. b.97
Vitæ principium uitæ finis. b.10
Vitæ communio ſtabiliorem reddit amicitiam. a.59
Vitijs uirtutes opponuntur. b.67
Vladislaus Iagello Sigiſmundi Regis Poloniæ auus. b.4
Vladislaus Iagello ex lithuanorum Regulis in Polonia regnauit. a.4
Vladislaus repudiauit Bohemiæ Regnum ſibi oblatum, eo quod populus a uera religione deſciuerat. a.4
Vladislaus Themiſtoclem imitatus, item Periclum & Iulium Ceſarem. a.4
Vladislai patientia & manſuetudo laudatur. a.4
Vladislaus Rex Germanos deuicit ac profligauit. b.4
item Crucigeros cum Silesijs & Ruſſiis oppreſſit. b.4
Vladislaus Rex obijt anno ſui Regni quinquageſimo ſecundo. b.4
Vladislaus 2. Vladislai filius natu maior ſuccedit in Regno. b.4
Vladislaus 2. ab Hongaris abſens Rex expetitus eſt. b.4

Hh peti-

item Amuratem ex Hungaria eiecit. b.4
item apud Varnam poſtea prelio commiſſo cum Amurate Vladislaus interijt. b.4
Vladislaus Caſimiri filius a Bohemis pro Rege expoſcitur. a.5
Vlixis facundia commendatur. b.30
Vlixes Homericus mendax. a.69
ex Voce iudicium animi. b.84
Volſcis orbata Italia. a.33
Volucrum uſus & qualis amor. b.75
de Voluntate & natura. b.80
Voluntatum diſſimilitudo odium parit. a.84
Voluptatis & doloris communionem ſtatuendam. a.59
Vrbes quare primum conditæ. b.16
Vtarius Longobardorum Rex. b.20
Vtilo Theodorici Francorum Regis ſororem duxit in uxorem. a.20
Vtilo Theodonis filius contra Danos pugnauit. a.20
ab Vtilone Caroli magni ſtirps deducta. a.20
Vtinenſis gubernator fuit Franciſcus Venerius. b.49
Vuelfus Regulus Charionum. a.20
Vuelfus Aetij pronepos in Vindeliciam ſuperiorem confugit. b.19
Vuelfus dux Boiorum quartus. a.20
Vuelfones Boiorum principes. a.20
Vulcani inſtrumenta ſurrepta. a.69
Vulpeculæ fraus. b.36
de Vulpe & Leæna fabella. b.79
Vueſtualia germaniæ prouincia. a.20
Vxor deteriore conditione in optionē apud Italos uenit quàm iumentum. a.59
de Vxore danda lupo indomito. a.64
Vxoris & uiri officia. b.72
Vxor ſuo uiro adeſſe debet. a.73
Vxoris Philonis dictum notabile. b.74
Vxor laqueo ſe ſuſpendit apud Erulos uiro mortuo. b.74
Vxorem qui occidit qua pena plectebatur. b.75
Vxor iuuenis incommoda uiro ſeni. a.85

X

Xeno de felicitate quid. b.14
Xenophon Socraticus muſa attica dictus. a.18
Xenophon filiorum mortem immoto animo pertulit. b.32
Xenophon maiorem ex uirtute filij uoluptatem, quam ex morte dolorem ſenſiſſe dixit. b.32
Xilus Xenophontis filius apud mantineam in prælio interijt. b.32
Xenophanes uoluptates contempſit. a.88

Z

Zapyri, Aſiæ populi. a.82
apud Zeburgum Sigiſmundi uictoria. b.7
Zeno Stoicæ ſectæ princeps. de dialectica et Rhet. quid. b.91
Zigoniam, Buſcum & Veronouiam arces Sigiſmundus expugnauit. b.7

ERRATA, QVAE OPERARVM incuria ſunt commiſſa, ſic corrigito; a, autem primam folii paginam, b, uero alteram denotat.

Folio.	*linea.*	*a. b.*	*lege.*
5.	1.	*a*	*Silupeia agros*
5.	1.	*b*	*Sane illum*
6.	35.	*a*	*Moſcouitas*
6.	31.	*b*	*illuderet atq; cōtēneret.*
7.	32.	*b*	*Pruſmarcum*
12.	27.	*b*	*munitiſſimam*
15.	16.	*b*	*Marcomania*
16.	1.	*a*	*fateatur.*
19.	2.	*b*	*Heſti magno animo*
19.	7.	*b*	*Italarum*
19.	29.	*b*	*Theodoti*
20.	6.	*b*	*anno.421.nōnulli.445.*
21.	34.	*a*	*Regnum ſuſtinuit*
21.	20.	*b*	*apprime callido*
29.	5.	*b*	*pulcherrima*
30.	28.	*a*	*regiæ ſedis eius*
31.	7.	*a*	*qua tu illum*
33.	2.	*b*	*Carthaginenſibus*
36.	28.	*a*	*Hercules Princeps*
36.	10.	*b*	*magis magisq;*
36.	21.	*b*	*exercitatione ſitam*
37.	24.	*b*	*Aemilia*
37.	34.	*b*	*Coruncani*
41.	29.	*a*	*Princeps meus*
41.	19.	*b*	*Acelinus*
43.	2.	*b*	*me ſuo nomine*
44.	15.	*a*	*expeditior*
45.	24.	*b*	*ſummum*
49.	24.	*a*	*obſeruarentq;*
56.	26.	*b*	*quod noſtra*
57.	8.	*b*	*de cælibatu, & ut,*
58.	26.	*a*	*inſitam labem parentis*
63.	6.	*a*	*lapidem ad obſtruendū*
65.	35.	*a*	*minabunda*
69.	30.	*a*	*ex altera uero*
74.	3.	*b*	*autem tanta erat*
75.	9.	*b*	*lupi latrantes abijciunt*
78.	34.	*b*	*Troconitas*
79.	35.	*b*	*Siceram quidem*
80.	24.	*a*	*pati, Atq; Plutarchus*
85.	3.	*b*	*cælibatu*
88.	8.	*b*	*proficitur*
90.	24.	*b*	*arbitramur*
92.	9.	*a*	*Diodorum Stoicum*
96.	1.	*b*	*explere et replere*

IN INDICE, LEGE SVIS LOCIS

Darij pompæ innumerabiles.
Dialecticæ munus.
Metropolis Padi Ferraria.
Periclis amor erga uxorem.
Pitho ſtexanima.
Scythæ in Ruſſiam influunt.
Stoici de felicitate quid.
Stoicorum princeps zeno.
Strigonienſis Archiepiſcopatns
Varus fluuius, prouinciam

Reliqua ſi quæ erunt, æquus ac induſtrius lector per ſe facile corrigere poterit.

-D8318-

H564
N2810
1-3072